
3 1761 07974514 7

C. SUETONII TRANQUILLI
OPERA

TEXTU AD CODD. MSS. RECOGNITO

CUM

IO. AUG. ERNESTII

ANIMADVERSIONIBUS

NOVA CURA AUCTIS EMENDATISQUE

ET

ISAACI CASAUBONI

COMMENTARIO

EDIDIT

FRID. AUG. WOLFIUS.

INSUNT

RELIQUIAE

MONUMENTI ANCYRANI

ET

FASTORUM PRAENESTINORUM.

VOL. II.

LIPSIAE
IMPENSIS CASP. FRITSCH.
1802.

SUETONII
LIBER QUINTUS.

TIB. CLAUD. DRUSUS CAESAR.

Patrem Claudii Caesaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem praenomine, Livia, quum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit; fuitque suspicio, ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est versus: 1

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Is Drusus in quaesturae praeturaeque honore dux Raetici, deinde Germanici belli, Oceanum septemtrionalem primus Romanorum du-

Cap. 1. *Intra mensem tertium*] Pontanus dubitationem commovit contra hunc locum ex Aug. c. 63., quod ibi infans immaturus editus dicitur, in quo valde hic aestuat Burmannus, quasi immaturus dicatur partus Drusi, ratione Augusti, qui eum e legibus non potuisset pro suo agnoscere, etsi fecisset: immemor eorum, quae ipse ad locum in Augusto dixit, ubi verum vidit. Nempe *immaturus partus* est ibi, ante maturitatem per abortum editus, adeoque non vitalis. Ern.

Statim certe vulgatus est versus] Ms. Lyser. et Vindob. sec. *statimque vulgatus est versus*, quod non displicet, etsi duplex *que* non suave est. Contra mox *que* in *transque* delevi, quod a melioribus Mss. et edd. pr. abest. Ern. *Statim certe* habet Longol. quoque cum plerisque aliis, nec ulla caussa est, cur mutetur.

cum navigavit: trans Rhenum fossas novi et immensi operis effecit, quae nunc adhuc Drusinae vocantur: hostem etiam frequenter caesum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quam species barbarae mulieris, humana amplior, victorem tendere ultra, sermone Latino prohibuisset. Quas ob res ovandi ius et triumphalia ornamenta praecepit; ac post praeturam, confestim inito consulatu, atque expeditione repetita, supremum diem morbo obiit in aestivis castris, quae ex eo *scelerata* sunt appellata. Corpus eius per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad Urbem devectum, sepultumque est in campo Mar-

Etiam *transque* non temere reiiciendum, et est in eodem Longol.

Drusinae] Putatur esse alveus Rheni, quo Isalae infunditur; atque ipsius Isalae alveus ampliatus, ut aquam e Rheno influentem capere posset; quod alioqui non posset *immensum opus* vocari. Vide Cellarium Geograph. Ant. T. I. p. 210. et Altingium Descr. Agr. Bat. et Fris. secundum Antiqu. p. 115. Ern.

Scelerata] Eo sensu, quo *porta scelerata* Romae, per quam Fabii exierant, h. e. calamitosa, et calamitate aliqua insigni accepta infamis. Vide Fabretti Inscriptt. p. 257. Ern.

Scribarum decuriis] Tirones videant Clav. Cic. in h. v. Conf. ad Aug. c. 57. Ern.

Ad Urbem] Casaubonus interpretatur, *in Urbem*, ut pro rostris laudaretur ante, quam in Martio campo combureretur. Recte. Sed e Pedonis Consolatione ad Liviam v. 207. 208. licet colligere, ex Urbe in campum delatum esse ab equitibus. Nam post illatum Urbi Drusum inquit:

Certat onus lecti generosa subire iuventus,
Et studet officio sedula colla dare.

Eius rei auctor etiam Dio lib. 55. init., qui scribarum mentionem omisit, ut Suetonius Equitum. Ern. Conf. Perizon. ad Sanct. 4, 6, 1.

tio. Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit; circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice ſupplicarent. Praeterea Senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum tropaeis via Appia decrevit, et Germanici cognomen ipſi poſterisque eius. Fuiſſe autem creditur non minus glorioſi, quam civilis animi. Nam ex hoſte ſuper victorias opima quoque ſpolia captaſſe, ſummoque ſaepius discrimine duces Germanorum tota acie inſectatus: nec disſimulaſſe umquam, priſtinum ſe reipublicae ſtatum, quandoque poſſet, reſtituturum. Unde exiſtimo, nonnullos tradere auſos, ſuſpectum eum Auguſto, revocatumque ex provincia; et, quia cunctaretur, interceptum veneno. Quod equidem magis, ne praetermitterem, retuli, quam quia verum aut veriſimile putem; quum Auguſtus tanto opere et vivum dilexerit, ut coheredem ſemper filiis inſtituerit, ſicut quondam in Senatu profeſſus eſt, et defunctum ita pro concione laudaverit, ut deos precatus ſit, *ſimiles ei Caeſares ſuos facerent, ſibique tam honeſtum quandoque exitum darent, quam illi dediſſent.* Nec contentus, elogium tumulo

Honorarium tumulum] Cuius hodie quoque veſtigia ſupereſſe creduntur in nomine loci, qui vocatur *Druſiloch*, h. e. Druſi locus. ERN.

Quandoque poſſet, reſtituturum] Caſauboni lectionem dedimus. *ſtatum quandoque reſtituturum.* Alii ſcr. et edd. variant. Illud *ſi poſſet*, poſt *reſtituturum*, notam gloſſatoris ſapit. Mſ. Lyſer. delet: ſed et *quandocunque* habet, ut alii, quod eſt e gloſſa pro *quandoque*. ERN. Quod nos edidimus, plures firmant libri, atque inde corruptae erant vulgares ſcripturae. Alia vi *quandoque* dicitur mox et c. 3.

eius verſibus a ſe compoſitis exſculpſiſſe, etiam vitae memoriam proſa oratione compoſuit. Ex Antonia minore complures quidem liberos tulit; verum tres omnino reliquit, Germanicum, Livillam, Claudium.

2 Claudius natus eſt, Iulo Antonio, Fabio Africano, Conſulibus, Kalendis Auguſtis, Lugduni, eo ipſo die, quo primum ara ibi Auguſto dedicata eſt: appellatusque Tiberius Claudius Druſus. Mox, fratre maiore in Iuliam familiam adoptato, Germanici cognomen asſumpſit. Infans autem relictus a patre, ac per omne fere pueritiae atque adoleſcentiae tempus variis et tenacibus morbis conflictatus eſt; adeo ut animo ſimul et corpore hebetato, ne progresſa quidem aetate ulli publico privatove muneri habilis exiſtimaretur. Diu, atque etiam poſt tutelam receptam, alieni arbitrii, et ſub paeda-

Exſculpſiſſe] Haec eſt lectio codd. et edd. plurimarum, poſita pro *inſculpſiſſe*, quod habent quaedam edd. Alia huius ſignificationis exempla Lexica ſuppeditabunt. Ern.

Cap. 2. *Iulo Antonio*] De Torrentii et aliorum ſententia ſcripſi *Iulo* pro *Iulio*, etſi refragantibus Mſſ. omnibus. Eſt is Coſ. a. U. 744., cuius Horat. Carm. 4, 2. Tac. Ann. 1, 10. et alii meminerunt. Librariis tale vitium imputari poteſt, non veteri ſcriptori.

Quo primum ara ibi Auguſto dedicata eſt] Haerent in hoc loco Viri docti, et Suetonium facere dedicationem putant arae duobus annis ſeriorem; quaſi dicat, eodem die et aram illam dedicatam, et Claudium natum eſſe. Sic non addidiſſet *primum*. Intellige diem anniverſarium illius dedicationis. Ern.

Privatove] Sic e Mſ. Lyſer. dedi pro *privatoque*, quod et res poſtulat. Ern.

Poſt tutelam receptam] Poſteaquam tutelam ſui, quam alii adhuc ſustinuerant, recepit, h. e. ſuae tutelae factus eſt: ut *legibus reddi* dicuntur, qui deſinunt ſub regio imperio vivere, et ad legum impe-

gogo fuit; quem *barbarum et olim ſuperiumentarium, ex induſtria ſibi appoſitum, ut ſe quibuscumque de cauſſis quam ſaeviſſime coerceret,* ipſe quodam libello conqueritur. Ob hanc eandem valetudinem et gladiatorio munere, quod ſimul cum fratre memoriae patris edebat, palliolatus novo more praeſedit; et togae virilis die, circa mediam noctem, ſine ſollemni officio, lectica in Capitolium latus eſt.

Diſciplinis tamen liberalibus ab aetate prima non mediocrem operam dedit, ac ſaepe experimenta cuiusque etiam publicavit. Verum ne ſic quidem quidquam dignitatis asſequi, aut ſpem de ſe commodiorem in poſterum facere potuit. Mater Antonia *portentum eum hominis* dictitabat, *nec abſolutum a natura, ſed tantum inchoatum;* ac, ſi quem ſocordiae argueret, *ſtultiorem* aiebat *filio ſuo Claudio.* Avia Auguſta pro deſpectiſſimo ſemper habuit: non affari, niſi rariſſime; non monere, niſi acerbo et brevi ſcripto, aut per internuntios, ſoli- 3

rium veniunt. Numquam haeſiſſem in hoc loquendi genere, quod Burmannus non concoquebat. Mſ. Lyſer. delet *atque;* poſt *et* ante *ſub.* Bene. Ern. Erravit Burmannus. Vide Cic. de Or. 1, 39. Nepos Eum. 2. et ibi Boſ. *Tutelam recipit,* qui ſub aliena tutela eſſe deſinit.

Eandem] Mſ. Lyſer. *tandem.* Non male, opinor. Sic et Vindob. ſec. Ern. Merum mendum.

Palliolatus] H. e. tectus caput palliolo, quod facere ſolebant molles, meretrices, et, quod ad h. l. pertinet, aegroti. Vide Heinſium ad Ovid. Art. am. 1, 734. et Salmaſium, iam laudatum ab aliis, ad Vopiſci Aurelian. c. 45. Ern.

Cap. 3. *Publicavit*] Pro *in publicum edidit,* more aetatis argenteae dicitur. Melior aetas tantum dixit, pro *aerario addicere,* aut populo addicere, *publicum facere,* quod ſciam. Ern.

ta. Soror Livilla quum audiſſet, ipſum quandoque imperaturum, tam iniquam et tam indignam ſortem populi Romani palam et clare deteſtata eſt. Nam et avunculus maior Auguſtus, quid de eo in utramque partem opinatus ſit, quo certius cognoſcatur, capita ex ipſius epiſtolis poſui.

4 *Collocutus ſum cum Tiberio, ut mandaſti, mea Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum eſſet ludis Martialibus. Conſentit autem uterque noſtrum, ſemel eſſe nobis ſtatuendum, quod conſilium in illo ſequamur. Nam ſi eſt* ἄρτιος, *et, ut ita dicam,* ὁλόκληρος, *quid eſt, quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus ſit, per quos frater eius productus fuit? Sin autem* ἐλαττῶσθαι *ſentimus eum,* καὶ βεβλάφθαι, καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος, καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα, *praebenda materia deridendi et illum*

Ipſum quandoque imperaturum] Addidi *ipſum* e Mſ. Lyſer. Pronomen hic durius abſit, praeſertim apud Suetonium. Ern. Abeſt tamen a plurimis Mſſ., nec magnum eius uſum video.

Deteſtata eſt] Deteſtatio talis fiebat formulis quibusdam ratis: *Dii avertant, Dii faxint melius* etc. Ern.

Cap. 4. Ὁλόκληρος] Hoc verbum mihi ſemper ſuſpectum fuit. Putem adpoſitum margini, ut eſſet interpretatio rarioris paullo verbi ἄρτιον, cuius mox etiam ſubſtantivo utitur: ſunt enim plane ſynonyma, nec ulla eſt vis in eorum coniunctione, quam debebat ea habere, ſi eſſet legitima. Videtur igitur e gloſſario aliquo adſcripta ea vox eſſe. Heſychius quidem: ἄρτιον, ὑγιὲς, ὁλόκληρον. Indicat etiam omiſſio copulae. Ern. Hanc adieci cum Beroaldo, vitioſe omiſſam ante *ut*. Vere enim Dorvillius monuit, S. addidiſſe *ut ita dicam,* quia ὁλόκληρος minus proprie de animo dicatur.

Sin autem ἐλαττῶσθαι] Notabile de imbecillitate: mentem *imminutam* dicit Tac. Ann. 6, 46., ſcilicet ex Graeco.

et nos non est hominibus, τὰ τοιαῦτα σκώπτειν, καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσιν. Nam semper aestuabimus, si de singulis articulis temporum deliberabimus, μὴ προϋποκειμένου ἡμῖν, posse eum gerere honores arbitremur, nec ne. In praesentia tamen quibus de rebus consulis, curare eum ludis Martialibus triclinium sacerdotum, non displicet nobis, si est passurus, se ab Silani filio, homini sibi affini, admoneri, ne quid faciat, quod conspici et derideri possit. Spectare eum Circenses ex pulvinari, non placet nobis. Expositus enim in prima fronte spectaculorum conspicietur. In Albanum montem ire eum, non placet nobis, aut esse Romae Latinarum diebus. Cur enim non praeficitur Urbi, si potest fratrem suum sequi in montem? Habes nostras, mea Livia, sententias, quibus placet semel de tota re aliquid constitui, ne semper inter spem et metum fluctuemus. Lice-

Quod conspici et derideri possit] H. e. quod habeat promtam et obviam omnium oculis deformitatem. Nihil opus emendatione Burmanni *quo:* nam et deformes res ipsae *conspici* dicuntur; neque homines modo *conspicui* et *conspecti* dicuntur, sed *vitia* etiam *conspicua* et *conspecta*. Locus clarissimus est Nepotis 25, 13. *supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset,* h. e. nec magnificentia et copia, nec tenuitate et paucitate infra dignitatem. Iuvenal. 8, 140. *conspectum crimen.* Ductum est e Graeco. Homerus Iliad. γ, 42. ἐπόψιος in malam partem dixit. Ern. Conf. Intpp. ad Liv. 4, 13. pr.

Praeficitur Urbi] Non ut praefecturam Urbi gerat eam, quam Augustus, de Maecenatis sententia instituit, ne tirones errent, sed antiquam, quae, feriarum Latinarum caussa absentibus magistratibus, gerebatur, tumque fere mandabatur principum filiis et cognatis. Vide inprimis Ner. c. 7. Ern.

bit autem, ſi voles, Antoniae quoque noſtrae des hanc partem epiſtolae huius legendam. Rurſus alteris litteris: *Tiberium adoleſcentem ego vero, dum tu aberis, quotidie invitabo ad coenam, ne ſolus coenet cum ſuo Sulpicio et Athenodoro; qui vellem diligentius et minus* μετεώρως *deligeret ſibi aliquem, cuius motum et habitum et inceſſum imitaretur miſellus:*

Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖσι σπουδαίοις λίαν.

Ubi non aberravit eius animus, ſatis apparet ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια. Idem tertiis litteris: *Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuiſſe, peream, niſi, mea Livia, admiror. Nam qui tam* ἀσαφῶς *loquatur, qui poſſit, quum declamat,* σαφῶς *dicere, quae dicenda ſunt, non video.* Nec dubium eſt, quid poſt haec Auguſtus conſtituerit, et reliquerit eum nullo, praeter au-

Deligeret ſibi aliquem] Primum dedi *deligerent* pro *deligeret* e Mſ. Vindob.: nam pertinet ad magiſtros. Error natus eſt e *ſibi,* quod ad Claudium trahebatur: ſed id h. l. redundat, ut alibi. Ceterum non ſane placet. Ern. Vulgatum teneo hoc ſenſu: Vellem, alium quendam (quam Sulpicium) ſibi deligeret Athenodorus etc.

Placere mihi] Burmannus vidit, *mihi* eſſe alienum: corrigi volebat *tibi.* Sed Livia, opinor, non adſedit declamanti. Arbitror, eſſe a gloſſatore et delendum. Ern. Ipſe miratur Auguſtus, qui placere ſibi potuerit bardi hominis declamatio. Non enim ſemper cauſſas afferre poſſumus, cur nobis aliquid placeat.

Quid] Facile relinquam in textu, quod codices plerique in hac lectione conſentiunt; etſi τὸ *quin* meliorem ſenſum efficit, quod item aliquot codd. habent. Apparet, inquit, Auguſtum feciſſe, quod ſuaſerat Liviae: *placet ſemel aliquid de tota re conſtitui:* hoc eſt, conſtituiſſe aliquid, quod ſemper ad extremum ſequeretur. Ceterum quicquid eligas, ta-

guralis ſacerdotii, honore impertitum, ac ne heredem quidem, niſi inter tertios ac paene extraneos, e parte ſexta, nuncuparit, legato quoque non amplius, quam octingentorum ſestertiorum proſecutus.

Tiberius patruus petenti honores conſularia ornamenta detulit. Sed inſtantius legitimos flagitanti, id ſolum codicillis reſcripſit, *Quadraginta aureos in Saturnalia et Sigillaria miſiſſe ei.* Tunc demum, abiecta ſpe dignita-

men poſt *conſtituerit* aliquid deeſt: nam *et reliquerit* cum ſequentibus, neque a *quid*, neque a *quin*, quamquam ab hoc citius, pendere poteſt. Omiſſum eſt *quum*, cui tollendo mox ſequens *quum* locum facere potuit, vel *qui*, quod habere video Stephani editionem, neſcio unde. Suetonius argumenta et indicia afferre inſtituit, quae conſiderantibus non dubium ſit, quid de ea re Auguſtus conſtituerit. Ern. Nondum diſplicet nobis vulgata lectio. Non nimis rarum eſt, mutata membrorum ſtructura, ſubintelligi aliam coniunctionem, quam quae ad prius membrum poſita erat; ut h. l. *quin* neceſſario ſumendum eſt ad *reliquerit*, ad prius verbum non item. Simile eſt, ſi poſt *ne* ſubauditur *ut*. Ceterum ipſum verbum *conſtituere* pertinet ad teſtamentum, non ad ſuperiora, ut Erneſtius putat. Item docent verba *poſt haec.*

Legatoque] Gronovius aut *que* tollendum, aut *fuerit* addendum putat. Si alterutrum neceſſarium, malim addi *fuerit:* nam copula *que* eſt in hoc contextu neceſſaria. Neque enim haec enuntiatio pendere poteſt a praecedente, de heredis nuncupatione: ſunt enim diverſi *heres* et *legatarius*, ut notum eſt. Sic c. 6. ſimiliter dirimuntur: *in heredibus tertiis eum ex parte tertia nuncupatum, legato etiam circa HS. vicies proſecutus:* unde mihi placet, aut addere *ſit;* quod verbum facillime hic excidere potuiſſe, propter initialem ſequentis verbi, uno iota temere deleto, aut omiſſo, omnes vident, qui antiquos libros tractarunt, aut librariorum aberrandi modos tenent: aut potius *legato quoque — proſecutus.* Saepe apud Suetonium *que* et *quoque* permutata a librariis, varietas lectionis docet. Ern.

tis, ad otium concessit, modo in hortis et suburbano, modo in Campaniae secessu delitescens; atque ex contubernio sordidissimorum hominum, super veterem segnitiae notam, ebrietatis quoque et aleae infamiam subiit: quum interim, quamquam hoc modo agenti, numquam aut officium hominum, aut reverentia publica defuit.

6 Equester ordo bis patronum eum perferendae pro se legationis elegit: semel, quum deportandum Romam corpus Augusti humeris suis a Consulibus exposcerent; iterum, quum oppressum Seianum apud eosdem gratularentur. Quin et spectaculis advenienti assurgere, et lacernas deponere solebant. Senatus quoque, ut

Cap. 5. *Et suburbano*] Sic partim e scr.is, partim ex edd. quibusdam edidi pro *et suburbana domo*. *Horti* et *suburbana* coniunguntur etiam apud Cic. Rab. Post. c. 10. Ern.

Publica defuit] Mss. quidam *publice*; quod praetulerim. Ern. Usque ad haec verba caput superius continuavit Bremius, quem secutus sum.

Cap. 6. *Exposcerent — — gratularentur*] Haec est lectio Memmiani codicis et omnium vett. edd. usque ad Casaubonum, facilior ea, quae a Casaubono inducta est, *exposceretur — — gratularetur*. Ern.

Spectaculis] Hic positum est simpliciter, ut *ludis* alibi, h. e. quum spectacula ederentur, quod male negat Oudendorpius, accipiens de locis spectatorum. Ern.

Lacernas deponere solebant] Lacernae iniiciebantur togae ad frigus pluviamve arcendam. Advenientibus autem principibus hic honos habitus est, ut lacernae exuerentur, quod ea vestis non esset solemnis et forensis. Frustra aestuat hic Burmannus. Ridiculum esse putat, spectatores togas et lacernas una secum habuisse, et alternis exuisse et induisse. Credit potius, si scirent, Claudium venturum, togatos, non lacernatos fuisse. Atqui id repugnat verbis Suetonii. Sub lacerna est toga semper: unde Iuvenalis 9, 28. lacernam vocat *munimentum togae*. Lacernam penulamve secum habebant, ut, pluvia ingruente, iniicerent togae. Adveniente igitur, cui honos ha-

ad numerum ſodalium Auguſtalium ſorte ductorum extra ordinem adiiceretur, cenſuit: et mox, ut domus ei, quam incendio amiſerat, publica impenſa reſtitueretur, dicendaeque inter Conſulares ſententiae ius eſſet. Quod decretum abolitum eſt, excuſante Tiberio imbecillitatem eius, ac damnum liberalitate ſua reſarturum pollicente. Qui tamen moriens, et in tertiis heredibus eum ex parte tertia nuncupatum, legato etiam circa ſeſtertiûm vicies proſecutus, commendavit inſuper exercitibus, Senatui populoque Romano inter ceteras neceſſitudines nominatim.

Sub Caio demum, fratris filio, ſecundam 7
exiſtimationem circa initia imperii omnibus lenociniis colligente, honores auſpicatus, conſulatum geſſit una per duos menſes: evenitque, ut primitus ingredienti cum faſcibus forum,

bendus eſſet, deponebant. Dio lib. 57. p. 610. de Tiberio: ὑετοῦ ἐν πανηγύρει τινὶ γενομένου φαιὰν μανδύην ἐπενέδυ, *ingruente ludis pluvia, pullam lacernam* (ſive *penulam*) *iniiciebat.* Domitianus porro apud Xiphilinum, quum inter imbres ludos ſpectaret, ſaepe veſtem mutat. P. 763. Αὐτὸς μανδύας ἀλλασσόμενος, ἐκείνους οὐδὲν εἴασε μεταβαλεῖν, *quum ipſe penulas ſumeret, nemini permiſit ſimiliter ſumere.* Ern.

Sorte ductorum] Torrentius opponit locum e Galba c. 8., ubi dicitur in ſodales Auguſtales aliquis *cooptatus.* Sed hic locus adeo clarus eſt, ut ille ad hunc ſit accommodandus. Potuit autem dici *cooptari*, per συζυγίαν, quam vocant; *Quindecimviri* cooptati ſunt. Uno verbo cupiens rem expedire, de omnibus *cooptari* dixit. Ceterum *nominationem* ante ſortitionem factam crediderim eorum, e quibus ducerentur quidam, et hinc, quibus ſors cecidiſſet ex voto, etiam cooptatos dictos eſſe. Ern.

Seſtertii vicies] Sic recte I. F. Gronovius legit *HS. Circa* pertinet ad numerum *vicies*, non ad nomen *ſeſtertii*: ſi tamen *circa* verum eſt, et non potius *circiter*, ut Mſ. Urſini

praetervolans aquila dexteriore humero consideret. Sortitus est et de altero consulatu in quartum annum; praeseditque nonnunquam spectaculis in Caii vicem, acclamante populo, *Feliciter*, partim *patruo Imperatoris*, partim *Germanici fratri.*

8 Nec eo minus contumeliis obnoxius vixit. Nam et, si paullo serius ad praedictam coenae horam occurrisset, non nisi aegre, et circuito demum triclinio, recipiebatur: et quoties post cibum addormisceret, quod ei fere accidebat, olearum ac palmularum ossibus incessebatur; interdum ferula flagrove, velut per ludum, excitabatur a copreis. Solebant et manibus stertentis socci induci, ut repente expergefactus faciem sibi confricaret.

9 Sed ne discriminibus quidem caruit: primum, in ipso consulatu, quod Neronis et Drusi, fratrum Caesaris, statuas segnius locandas ponendasque curasset, paene honore summotus est; deinde, extraneo vel etiam domesticorum aliquo deferente, assidue varieque inquietatus. Quum vero detecta esset Lepidi et Gaetulici coniuratio, missus in Germaniam inter legatos ad gratulandum, etiam vitae periculum adiit; indignante ac fremente Caio, patruum potissimum ad se missum, quasi ad pue-

habuit. Ern. *Sestertiûm* edidi de Perizonii iudicio notissimam ob caussam.

Cap. 7. *Sortitus est — annum*] Frustra hunc locum sollicitarunt Viri docti. Caius imitatus alterum C. Caesarem, Dictatorem, in plures annos Consules nominavit, iussitque sortiri, quo quisque anno Consul foret. In his fuit et Claudius. Sors ei cecidit, ut quarto anno esset. Ita etiam Burmannus, qui miratur, Viros doctos hoc non vidisse. Sed ipse similiter, ut aliquoties

rum regendum: adeo, ut non defuerint, qui traderent, praecipitatum quoque in flumen, ficut veftitus advenerat. Atque ex eo numquam non in Senatu noviffimus Confularium fententiam dixit, ignominiae cauffa poft omnes interrogatus. Etiam cognitio falfi teftamenti recepta eft, in quo et ipfe fignaverat. Poftremo etiam feftertiûm octogies pro introitu novi facerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris anguftias deci-

vidimus, in facilibus haefit. Nempe nemo omnibus horis fatis videt. Ern.

Cap. 9. *Cognitio — recepta eft*] Olim de criminibus delatis dicebatur *nomen recipere*, referebaturque ad eum, qui de crimine aliquo delatus, inter reos fcriptus a Praetore effet, ut de cauffa ea cognofceretur. *Cognitio* autem dicebatur *conftitui*, Cic. Verr. 2, 25. *fieri*. Nove ergo dictum eft, *cognitio recepta eft*. Ern. Nempe hac aetate Latinitatis *recipitur crimen*, de quo *fit cognitio*; etiam *recipitur* f. *fufcipitur* ipfa *cognitio*. Sed cogitandum h. l. *in Senatu*.

Novi facerdotii] Vide Calig. c. 22. Ern.

Impendere] Accipiunt de pecunia pro facerdotio, aut, ut Plinius ait, Ep. 10, 113., pro introitu data, quem locum laudat Burmannus; fed ita deberet effe *pendere*. Nusquam enim, quod fciam, *impendere* dicitur pro *folvere*. Ergo aut legendum *pendere*, aut, quod malim, intelligenda non folum pecunia pro facerdotio data, fed etiam aditus cauffa, v. c. in coenam aditialem, impenfa: non enim dubitem, etiam tales coenas in huius facerdotii aditu inftitutas, ut fummis facerdotiis etiam hoc nomine aequaretur. Ern. Conf. Gronov. ad Tac. Ann. 2, 65.

Decidit] Ufitatius eft *recidit ad anguftias*, pro, redactus eft, idque praeferrem, fi codices addicerent; neque dubito, Suetonium fic fcripfiffe. *Decidere in laqueos*, dicimus, et fimilia, ubi motus e loco fuperiori indicatur, vel proprie, vel metaphorice, ut *decidere in fraudem* apud Cic. Verr. 4, 5. Iftas autem voces faepe a librariis permutatas effe, fatis conftat. Sic in Caef. c. 17. pro *recidit rurfus in discrimen aliud*, nonnulli habent libri *decidit*; ubi vide Burmannum. At eo loco tolerabilius erat *decidit*, quam hic. De verbo

dit, ut, quum obligatam aerario fidem liberare non poſſet, in vacuum lege praedia-

recidere hoc ſenſu et in talibus formulis vide Gronovium et Drakenborchium ad Liv. 43, 6. Adde Tac. Ann. 2, 38. Dubitatio Oudendorpii nihili eſt, putantis eſſe debere *ad:* nam in his formulis *ad* et *in* dicitur, ut apud Ciceronem *delabi in* et *ad*. Ern. Nihil mutandum cenſeo; multo etiam minus Caeſ. c. 17. Sed vide ipſum Erneſt. ad Tac. Ann. 2, 38.

Obligatam etc.] Non quo deberet adhuc pecuniam, pro aditu ſacerdotii dandam; dicendum enim fuiſſet *fiſco*, non *aerario:* ſed quod eam pecuniam ab aerario mutuam ad certum tempus ſumſiſſet. Ern.

In vacuum lege praediatoria] Difficilis locus. *Lege praediatoria* eſt, lege de praediis obligatis aerario, ut ei caveretur. Philoxenus in Gloſſ. *praediatorius: περὶ χωρίου*. Χωρίον autem *praedium* dici Graecis, dudum docuere Viri docti, et ſic interpretantur Gloſſae. De lege praediatoria egit Salmaſius de modo uſur. c. 16. p. 738. et Graevius iunior Diſſertatione peculiari, in qua tamen nondum exhauſtum eſt argumentum, ne locis quidem Ciceronianis, ad eam pertinentibus, ſatis diligenter collectis, v. c. ad Div. 5, 20. Verr. 1, 54. Ex ea lege vendita publice praedia obligata, ſi pecunia ad diem non ſoluta eſſet. Ex ea igitur lege *venalis pependit* Claudius: non, ut ipſe in ſervitutem venderetur, ut placet Caſaubono, defenſorem nacto nuper Heineccium Opuſc. Poſtum. p. 69. ſqq.; dudum enim abrogata illa, ſi fuit umquam, conſuetudo: ſed ut praedia; quem eſſe ſenſum illorum verborum, *venalem pendere*, tum loca a Broukhuſio et Burmanno commemorata, e Cicerone et Plinio, demonſtrant, tum ille Ciceronianus, ad ius praediatorium pertinens, locus in Verr. 1, 54. *ubi illa conſuetudo, in bonis praediis praedibusque vendendis, ut eius optima conditio ſit, cuius res eſſet.* Praedia autem Claudii proſcripta et venalia pependiſſe dicuntur *in vacuum*. Quorum verborum duplex eſt interpretatio: altera Torrentii, quae non diſplicebat Broukhuſio, veluti bona illa eſſent vacantia, ſine domino; altera Salmaſii, et ante eum Alciati, Loenſis etc., ſcilicet *fruſtra*, nemine ſe emtorem profitente. Huic Latine loquendi conſuetudo favet, quod Gloſſae habent, εἰς μάτην, *fruſtra, in vacuum:* illi neque res, neque Latinitas; nam neque praedia talia, ut

toria venalis pependerit ſub edicto Praefectorum.

Per haec ac talia maxima aetatis parte transacta, quinquageſimo anno imperium cepit, quantumvis mirabili caſu. Excluſus inter ceteros ab inſidiatoribus Caii, quum, quaſi ſecretum eo deſiderante, turbam ſummoverent,

vacantia, venduntur, neque hoc Latine dicitur, *in vacuum venale eſſe*. Illi Caſauboni ſenſui, *fruſtra*, non ſatis res convenit: nam licitatio fit, non venalibus proſcriptis bonis, ſed poſt illam proſcriptionem, die certa, inſtituta venditione ſub haſta. Ergo dicendum fuiſſet, *in vacuum ſubiectus voci praeconis*. Mihi videtur ſenſus hic eſſe: proſcriptam eſſe praediorum Claudii auctionem, ſed id factum eſſe tantum contumeliae et ſollicitudinis iniiciendae cauſſa, non, ut auctio fieret, neque auctionem praediorum conſtituta die factam. Ita Latinam conſuetudinem loquendi ſequimur, et morem aerarii in talibus rebus, neque huic interpretationi contextus repugnat. Si quis tamen melius conſentientem his tribus rebus interpretationem poterit proferre, libenter ei cedemus. Ern. Haec ratio vel maxime repugnat Latinitati; immo nihili eſt. An melius quid attulerit Vir doctus, qui olim ſub Bachio ſcripſit de iure praediatorio, me latet. Interea Salmaſii placet explicatio, *nemine ſe emptorem profitente*, quam et res commendat. Vix enim ſtabilem poſſeſſionem ſperare poterat emptor praediorum futuri principis.

Sub edicto praefectorum] Praefecti aerario indicantur: aerario autem tum praefuiſſe Praetores, aut ſaltem Praetorios, auctor eſt ipſe Suetonius infra c. 24.; unde tanto minus neceſſaria emendatio Loenſis, Epiphyll. 9, 1. legentis *Praetorum*. Neque Praetores, qua Praetores, proſcribunt bona debitorum publicorum, ut ille putabat, ſed qua praeſunt aerario: diciturque hoc munus *praefectura* apud Tacitum Ann. 13, 29. Hi igitur Praefecti edicto propoſuerunt auctionem bonorum Claudii. Auctiones et dies auctionum proprie dicuntur *edici* et *prodici*. Cicero Verr. 1, 54. *nondum proſcripta neque edicta die*. Ern.

Quantumvis] Hoc loco nove dicitur pro *valde*. Similiter Calig. c. 53. *eloquentiae plurimum attendit, quantumvis facundus et promptus*

in diaetam, cui nomen eſt Hermaeum, receſſerat. Neque multo poſt, rumore caedis exterritus, prorepſit ad ſolarium proximum, interque praetenta foribus vela ſe abdidit: latentem discurrens forte gregarius miles, animadverſis pedibus, e ſtudio ſciſcitandi, quisnam eſſet, agnovit, extractumque, et prae metu ad genua ſibi accidentem, Imperatorem ſalutavit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, nec quidquam adhuc quam frementes, perduxit. Ab his lecticae impoſitus, et, quia ſui diffugerant, viciſſim ſuccollantibus, in caſtra delatus eſt, triſtis ac trepidus, miſerante obvia turba, quaſi

Mox Mſ. Lyſer. pro vulgato *ſubmoverent, ſubmoviſſent,* ut et Vindob. ſec. recte. Poſtulat et verbum *receſſerat.* Ern.

Diaetam, cui nomen eſt Hermaeum] Diaetis interdum a diis nomina impoſita eſſe, ut tricliniis, ex hoc loco apparet. Ern.

Prorepſit — — abdidit] *Solarium* intelligo generis eius, quod voluptas primo ſpectandi ludos reperit, (*Maeniana* vocant,) mox utilitas apricandi comprobavit, denique ſpecies et opinio pulchritudinis ornatusque frequentavit, unde porticibus, (vide Gorium ad Donii Inſcr. p. 595. Murator. T. III. Inſcr. p. 1337.) diaetis denique tricliniisque adiuncta. Burmannus quidem malebat legere *ſcalarium;* ſed vide Excurſum ad hunc locum. Ern.

Gregarius miles] Non repugnat, opinor, Ioſephus Suetonio, quum ille praetorianum dicit fuiſſe, hic gregarium; quamquam Caſaubono aliter videtur: nam de praetoriano milite ſermonem eſſe Suetonio, ſequentia planiſſime demonſtrant. Perducit enim Claudium ad commilitones, hi in caſtra deferunt, quae ſunt praetoriana. Praetoriani milites, qui nullos ordines ducunt, nec cohortibus praeſunt, quin gregarii dici poſſint, non dubito. Ern.

In caſtra delatus eſt] Feſtinavit Vir magnus Caſaubonus, quum Ioſephum dixit tradere, ſtatim in Palatium Claudium delatum fuiſſe. Qui Ioſephum volet inſpicere, conſentire Ioſephum cum Suetonio videbit. Ern. Paullo ante ex omnibus prope Mſſ. edidi *ſui* pro *ſervi,* praeeunte Oudendorpio.

ad poenam raperetur inſons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit, aliquanto minore ſpe quam fiducia. Nam Conſules cum Senatu et cohortibus urbanis forum Capitoliumque occuparant, asſerturi communem libertatem: accitusque et ipſe per Tribunos plebis in curiam ad ſuadenda, quae viderentur, *vi ſe et neceſſitate teneri*, reſpondit. Verum poſtero die, et Senatu ſegniore in exſequendis conatibus, per taedium ac disſenſionem diverſa cenſentium, et multitudine, quae circumſtabat, unum rectorem iam et nominatim expoſcente, armatos pro concione iurare

Aliquanto minore ſpe quam fiducia] *Spe* refertur ad imperium; *fiducia* ad trepidationem et timorem, qui praeceſſerat. Ex quo oritur ſenſus hic: ſecurus ille quidem et certus vitae pernoctavit, ſed ſpes potiundi imperii, quod detulerant praetoriani, infirma erat. Quodſi *fiducia* quoque ad imperium referre velimus, legendum erit, *aliquanto maiore ſpe quam fiducia*, i. e. ſpem ille quidem magnam e militum praetorianorum conſenſu habebat, ſed tamen non erat ea fiducia, ut auderet imperare, accipere imperium, et pati, ut in nomen ſuum iuraretur: idque fateor mihi magis placere. Ern. Sic etiam coniecit Perizon. Sed prior interpretatio haud dubie praeferenda eſt.

Tribunos plebis] Recepi pro vulgato *Tribunum plebis*, quum conſentiant Viri docti, ita legendum; poſtulante Ioſepho et Dione, adſtipulante autem codice Viterbienſi. Qui *Tribunum plebis* ſervare volent, debebunt dicere, principem legationis, qui verba fecerit, *Veranium*, unum nominari; quod ſane non repugnat conſuetudini ſcriptorum bonorum. Sic apud Ioſephum Antt. Iudd. lib. 7. c. 7. §. 2. Ioabus dicitur miſiſſe nuntios, eosque audiſſe David: mox tamen nuntius in ſingulari dicitur. Ern.

Suadenda] Inuſitatum ſane in tali contextu verbum: unde non improbem lectionem libri Cuiaciani, *cenſenda*. Ern. Quae vel ob conſenſum ceterorum librorum pro gloſſemate habenda eſt.

in nomen ſuum paſſus eſt; promiſitque ſingulis quina dena ſestertia, primus Caeſarum fidem militis etiam praemio pigneratus.

11 Imperio ſtabilito nihil antiquius duxit, quam id biduum, quo de mutando reipublicae ſtatu haeſitatum erat, memoriae eximere. Omnium itaque factorum dictorumque in eo veniam et oblivionem in perpetuum ſanxit, ac praeſtitit: tribunis modo ac centurionibus paucis e coniuratorum in Caium numero interemptis, exempli ſimul cauſſa, et quod ſuam quoque caedem depopoſciſſe cognoverat. Converſus hinc ad officia pietatis, iusiurandum neque ſanctius ſibi, neque crebrius inſtituit, quam PER AUGUSTUM. Aviae Liviae divinos honores, et Circenſi pompa currum elephantorum Auguſtino ſimilem decernenda curavit. Parentibus inferias publicas, et hoc amplius, patri Circenſes annuos natali die; matri carpentum, quo per Circum duceretur; et cognomen Auguſtae, ab viva recuſatum. Ad fratris memoriam, per

Quina dena] Ioſephus habet quina millia drachmarum, quae efficiunt *vicena HS.* Quoniam in Ioſepho non poteſt eſſe peccatum ſcribae, idemque potuit e rationibus publicis planiſſime, uti Suetonius, veram ſummam cognoſcere: putem numeros in Suetonio corruptos, et e XX HS. facta XV. Satis autem conſtat, X et V ſaepe a librariis permutata, ut ſaepe Viri docti docuere. Vide v. c. Drakenborchium ad Liv. 39, 29. ERN.

Cap. 11. *Carpentum, quod*] Burmannus e cod. Copeſiano et coniectura Lipſii et Broukhuſii recepit *quo*, ut intelligatur *ſimulacrum eius;* quod, quia Lyſerianus et alii codd. conſentiunt, et ipſe recepi, ut Oudendorpius. ERN. *Quo* etiam Longol. Conf. Calig. c. 15.

Ab avia recuſatum] Probo emendationem Lipſii ad Tac. Ann. 1, 8. *ab viva,* ſcil. Antonia; quam contextus deſiderat aliique Viri docti probarunt. ERN. Inſignis ſuper-

omnem occaſionem celebratam, comoediam quoque Graecam Neapolitano certamine docuit, ac de ſententia iudicum coronavit. Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum ac ſine grata mentione transmiſit; teſtatus quondam per edictum, *Tanto impenſius petere ſe, ut natalem patris Druſi celebrarent, quod idem eſſet et avi ſui Antonii.* Tiberio marmoreum arcum iuxta Pompeii Theatrum, decretum quidem olim a Senatu, verum omiſſum, peregit.

ſtitio foret, talem coniecturam, tantis veritatis notis conſpicuam, non in contextu ponere. Flagitat eam hiſtoria; confirmant nummi, qui titulum illum non habent niſi poſt Antoniae mortem procuſi. Fruſtra obloquitur Torrent.

Comoediam quoque Graecam — docuit] *Docere fabulas* dicuntur auctores earum. Atque ſic etiam hic accipiunt Viri docti. Enimvero ſcrupulum iniicit primum hoc, quod Suetonius in commemorandis Claudii ſtudiis nullam mentionem facit poeticae omnino, nedum Graecae: quod facturus erat, ut in aliis fecit, ſi comoediam ſcripſiſſet Claudius. Accedit, quod, ſi hoc dicere voluit Suetonius, eius argumentum debuit eſſe frater; quod eſt abſurdum: nam comicum argumentum non poteſt eſſe res talis. Reſtat igitur, ut comoediam tantum ediderit ſuo ſumtu in memoriam et honorem fratris, quod uſitatiſſimum fuit; non ipſe comoediam fecerit. Ex quo ſit, ut aut *comoediam docuit* poſitum ſit pro *edidit;* aut, ſi hoc repugnat conſuetudini Latinae, legendum ſit, *edidit*, vel *dedit*, ut voluit Beroaldus. Sed quia omnes codd. Mſſ. in vulgata conſentiunt, neque credibile eſt, librarios uſitatiſſimum in tali re verbum in *docuit* mutaſſe, illud ſequemur, etſi adhuc deſidero exemplum ita a quoquam uſurpati verbi. Ern. Mihi quoque verum videtur *docuit.* Quisquis eam fabulam fecerat, Claudius ſeſe auctorem eius venditare populo potuit. Ruhnken. tamen praeferebat quarundam editt. lectionem *dedit.*

Coronavit] Fruſtra, ut opinor, aeſtuant Viri docti in hoc verbo explicando, quod ſimpliciter poſitum pro *coronavit ſe* putant. Refer ad *comoediam: coronavit comoediam,* hoc eſt, comoediae illi, quam ipſe, ſcri-

Caii quoque etsi acta omnia rescidit, diem tamen necis, quamvis exordium principatus sui, vetuit inter festos referri.

12 At in semet augendo parcus atque civilis, praenomine Imperatoris abstinuit, nimios honores recusavit, sponsalia filiae, natalemque geniti nepotis silentio, ac tantum domestica religione, transegit. Neminem exulum, nisi ex Senatus auctoritate, restituit: ut sibi in curiam praefectum Praetorii, tribunosque militum secum inducere liceret, utque rata essent, quae procuratores sui in iudicando statuerent, pre-

ptam suo iussu, edidit, victoriam atque adeo coronam dedit. Ern.

Festos referri] Sic legendum; non *fastos*, ut plures codd. et edd. habent, ut etiam alii dixere. Ego caussam addam. Si *fastos* legeretur, sensus nullus esset, nisi statueremus, eum diem *nefastum* fuisse; quod nec doceri potest, nec credibile est. Neque ullum exemplum exstat, quod sciam, diei e nefastis exemti, honoris habendi caussa, et in fastos relati. Illud autem usitatum, diem aliquem inter festos referre, ut honos habeatur principi, et inter nefastos, contumeliae caussa. Vide Tib. c. 53. Ern.

Cap. 12. *Silentio*] Beroaldus: sine publica festivitate. Burmannus mavult: sine edicto, quo soliti fuerint principes populum de talibus diebus monere. At edictum in publica festivitate tali per se intelligitur, nec a Beroaldo, ut opinor, excluditur. Tum, si sola per edictum admonitio intelligeretur, dicendum fuisset, *silentio transmisit*. Calig. c. 11. *dissimulatione transmittens*. Claud. c. 11. *sine honore ac mentione transmittere*. *Silentium* opponitur etiam turbae e confluxu hominum ad salutationis, nuptiarum, natalis officium, aut aliis de caussis. Tac. Agric. c. 6. *idem praeturae tenor et silentium: nec enim iurisdictio evenerat*. Ad hoc quoque respici putem; sed tamen etiam ad solemnia et sacra publica, quia opponitur *domestica religio*. *Nepos* autem qui sit, ignoramus. Ern.

Procuratores sui in iudicando] Intelliguntur *procuratores fisci*, qui in caussis fiscalibus iudicabant, non procuratores provinciales tales, qualis

cario exegit. Ius nundinarum in privata praedia a Conſulibus petiit: cognitionibus magiſtratuum, ut unus e conſiliariis, frequenter interfuit. Eosdem, ſpectacula edentes, ſurgens et ipſe cum cetera turba, voce ac manu veneratus eſt. Tribunis plebis adeuntibus ſe pro tribunali excuſavit, quod propter anguſtias non poſſet audire eos, niſi ſtantes. Quare in brevi ſpatio tantum amoris favorisque collegit, ut,

Pilatus. qui provinciae ipſi praeſunt, ut Lipſio placuit ad Tac. Ann. 12, 60. Plinius Paneg. c. 36. *Eos procuratores habes, ut plerumque cives tui non alios iudices malint.* Neque ſolum urbani intelligendi, quamquam inprimis, ſed etiam provinciales ii, qui negotia principis adminiſtrarent, ut loquitur Tacitus Ann. 16, 17., hoc eſt, fiſci procuratores. Atque de hoc genere etiam ceperim locum Taciti Ann. 12, 60. Ern.

Cognitionibus magiſtratuum] Conſules et Praetores intelligi, e Dione conſtat lib. 60. p. 667. Inde ſit. ut de ordinariis cognitionibus et iurisdictione ordinaria ſermo ſit. Ex quo ſtatim apparet, falſum eſſe, quod Salmaſius de modo uſur. c. 3. contendit, *cognitionem* ſemper de extraordinaria dici; quod iam convicimus in Clave Cic. in h. v. Conf. etiam Tib. c. 33. Porro de iurisdictione capiendum declarat *conſiliariorum* mentio: nam ius dicenti qui adſident, ita vocantur; iudices, qui quaeſitori, numquam. Tales autem conſiliarios habuiſſe, qui ius dicerent, plura Ciceronis loca declarant, pro Quintio c. 10. 15. etc. *Cognoſcendi* verbum Suetonio de iurisdictione ordinaria dici, etiam ad Tib. c. 33. vidimus: niſi quis forte malit referre ad cognitiones magiſtratibus delegatas, in quibus et ipſis conſiliarii. Vide ad c. 15. Ern.

Voce ac manu veneratus eſt] I. e. acclamando et manum oſculando et protendendo, quod eſt adorare. De hoc videndus Lipſius Elect. 2. 6.; de illo Ferrar. de Acclamat. Vett. Ern.

Audire eos, niſi ſtantes] Nempe, cui honorem quis habere debebat vel volebat, eum vel ſtantem ſtans audire debebat: vide Caeſ. c. 78.: vel ſedens ſedentem. Quia pro tribunali ſedere mos eſt eum, qui agat negotium publicum, poſterior modus honoris habendi uſurpandus erat; qui quum

quum profectum eum Oſtiam periſſe ex inſidiis nuntiatum eſſet, magna conſternatione populus, et militem, quaſi proditorem, et Senatum, quaſi parricidam, diris exſecrationibus inceſſere non ante deſtiterit, quam unus atque alter, et mox plures, a magiſtratibus in roſtra producti, ſalvum et appropinquare confirmarent.

13 Nec tamen expers inſidiarum usquequaque permanſit, ſed et a ſingulis, et per factionem, et denique civili bello infeſtatus eſt. E plebe homo nocte media iuxta cubiculum eius cum pugione deprehenſus eſt: reperti et equeſtris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro praeſtolantes, alter ut egreſſum Theatro, alter ut ſacrificantem apud Martis aedem adoriretur. Conſpiraverunt autem ad res novas Gallus Aſinius et Statilius Corvinus, Pollionis ac Meſſallae oratorum nepotes, asſumptis compluribus libertis ipſius atque ſervis. Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiae legatus; verum intra quintum diem oppreſſus eſt, legionibus, quae ſacramentum mutaverant, in poenitentiam religione converſis, poſtquam, denuntiato ad novum Imperatorem itinere, caſu quodam an divinitus,

locum non haberet, excuſavit rem. Ern.

Profectum eum Oſtiam] De hoc itinere vide Lipſium ad Tac. Ann. 11, 26. extr. Ern.

Confirmarent] Mſ. Lyſer. Vindob. ſec. *affirmarent*. Melius. Ern.

Cap. 13. *Caſu quodam an divinitus*] Minime revocanda eſt quamvis plerorumque omnium Mſſ. ſcriptura *ac divinitus*. Semper *caſus* diſtinguitur a *providentia*. Etiam Liv. 1, 4. dormitabat optimus Gronovius, ubi de Gruteri ſententia ſcribendum, *Forte quadam an divinitus*.

neque aquila ornari, neque ſigna convelli moverique potuerunt.

Conſulatus ſuper priſtinum quatuor geſſit: 14
ex quibus duos primos iunctim, ſequentes per intervallum, quarto quemque anno, ſemeſtrem noviſſimum, bimeſtres ceteros, tertium autem, novo circa principem exemplo, in locum demortui ſuffectus. Ius et Conſul et extra honorem laborioſiſſime dixit, etiam ſuis ſuorumque diebus ſollennibus, nonnunquam feſtis quoque antiquitus et religioſis. Nec ſemper praeſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemve multarum, ex bono et aequo, perinde ut afficeretur, moderatus eſt. Nam et iis, qui apud privatos iu-

Neque aquila ornari] De unctione, quam feſtis diebus adhibitam eſſe pulverulentis aquilis, tradit Plinius Hiſt. Nat. 13, 3., accipit Torrentius. Nihil amplius ceteri. Atque ego non ignoro, ſigna militaria, feſtis diebus etiam floribus ornata, ut patet e loco Claudiani, quem iam laudavit Lipſius de Milit. Rom. 4. 5.; quod eſſet huic loco aptius, quum τὸ *ungere* proprie non ſit in ornatu. Sed feſtis diebus utrumque factitatum: tum, quum exercitus moveretur, numquam legi, nec quisquam docuit. Atque etiam ex eo, quod ſigna non in aedicula aliqua repoſita, ſed in terra tum defixa ſtabant, patet, aquilam ſimiliter defixam ſtetiſſe. Iſta porro ornandi actio eſt eiusmodi, ut nec caſu, nec divinitus, impediri poſſit. Itaque mihi hic locus ſemper corruptus viſus eſt in verbo *ornari.* Sed verbum, quod huic loco aptum ſit, et e quo corrupta lectio naſci potuerit, nondum ſuccurrit. Apud Florum 2, 6, 14, ſunt *aquilae prodire nolentes.* Ern. Omnem ſuſpicionem ab h. l. recte removent Oudend. et Ruhnk.

Cap. 14. *In locum demortui ſuffectus*] Dubitationem hic movent Viri docti ex eo, quod ut ordinarius Conſul hoc anno cum Vitellio iungitur in Faſtis et alibi. Putat igitur Oudendorpius, id ſic intelligendum, ut mortuo ante Kalendas Ian. Conſule deſignato, ipſe in locum eius deſignatus ſit. Sed id non placet ſatis. Ern.

dices plus petendo formula excidiſſent, reſtituit actiones; et in maiore fraude convictos, legitimam poenam ſupergreſſus, ad beſtias condemnavit.

15 In cognoſcendo autem ac decernendo mira varietate animi fuit, modo circumſpectus et ſagax, modo inconſultus ac praeceps; nonnumquam frivolus amentique ſimilis. Quum decurias rerum actu expungeret, eum, qui diſſimulata vacatione quam beneficio liberorum habe-

Formula excidiſſent] Uſitatius eſt *cadere formula*, ut poſſit aliquis coniicere, legendum *cecidiſſent*. Sed tamen *excidere* probum eſt. Dicitur autem, ut *excidere ſpe, ſine* etc., pro *perdere litem*. Ern.

In maiore fraude convictos] Non modo Suetonius ſic dixit, etiam in Tito c. 9.; ſed et Cicero pro Sulla c. 30. Ern.

Cap. 15. *In cognoſcendo*] Quia ante de iurisdictione dixit, apparet, hic agi de cognitionibus iuris extraordinarii. ſive cognitionibus extraordinariis. Ern.

Decurias rerum actu expungeret] I. e. recenſeret, ut tolleret ex iis, quum mortuos, tum eos, qui commiſiſſent, ut de numero iudicum tollerentur, loca autem vacua ſuppleret, novis iudicibus legendis. Confer, quae diximus ad Tib c. 41. *Actu rerum* eſt idem, quod Cicero in Philippica ſecunda dicit, de Antonio, magiſtro equitum, pro tribunali ſedente: *negotium publicum gerens.* Eſt formula generalis, quae de ſingulis fere negotiorum publicorum, ſive, adminiſtrandae domi reipublicae, partibus dicitur: h. l. de decuriarum lectione ſive recenſione. Laudatur hic locus a Torrentio ad Aug. c. 32. : tamquam de iurisdictione intelligendus eſſet h. l. rerum actus; quod non eſt ſatis accurate factum: nam etſi quondam Praetoris urbani, cuius iurisdictio erat, fuit, ut decurias iudicum ſcriberet; tamen non eſt proprie pars iurisdictionis. Ceterum *expungeret* ſuſpectum eſſe poſſit: non expunguntur decuriae, ſed *dispunguntur*, quod par eſt recenſendi verbo; ſed tamen et in rationibus adhibetur ſimili ſenſu. Ern.

Beneficio liberorum] E lege Papia Poppaea, quae vacatione a iudicandi moleſtia concedenda iis, qui certum libero-

bat, reſponderat, ut cupidum iudicandi dimiſit: alium interpellatum ab adverſariis de propria lite, negantemque, cognitionis rem, ſed

rum numerum haberent, allicere Equites ad matrimonia debebat. Nihil de hac parte legis Heineccius dixit in Commentario ad illam legem. ERN.

Reſponderat] Ex hoc loco patet, in recenſendis decuriis iudicum nomina per praeconem pronuntiata, et, qui in iudicibus eſſent, profeſſos eſſe nomina ſua, quod eſt *reſpondere*, et, vel recepiſſe iudicandi munus, vel excuſationes attuliſſe, de quibus cognoſceretur. ERN.

Interpellatum ab adverſariis de propria lite] Hunc locum ita interpretatur Salmaſius de modo uſur. c. 3., ut eam rem accidiſſe dicat illo ipſo tempore, quo decurias expungeret, et iudicem, de quo ante, dimitteret: idque ſequuntur ceteri; ſaltem Burmannus, eo loco Salmaſii prolato, nihil addit. Sed mihi Latinitas id pati non videtur. Primo *appellatum* dixiſſet Suetonius, non *interpellatum;* quamquam ſcio, in iure etiam *interpellare*, pro appellare, dici de creditoribus: vide Briſſonium in h. v. Tib. c. 75.: neque enim e Latinitate antiquiori et Suetoniana *interpellantur* homines de lite, ſed *appellantur*, niſi ſi id ſiat, quum negotium aliquod, vel publicum, vel privatum, gerant. Tum, dixiſſet tantum *de lite*, non *de lite propria.* Igitur iſta a ſuperioribus maiori diſtinctione divellenda, ut nos fecimus. Senſus ergo eſt hic: Iudex aliquis, ſedens in *iudicio alienae litis*, praeſente Caeſare, interpellatur ab adverſariis *de propria lite*, ut ea coram Caeſare extra ordinem agatur. Excipiente iudice, cauſſam eſſe iuris ordinarii, Caeſar eum cogit, ſtatim, intermiſſo iudicio, quod agebatur, cauſſam agere apud ſe, ut *propria lite* doceret, quam aequus iudex foret in *aliena lite. Iudices interpellati* dicuntur ab ipſo Suetonio de Grammat. c. 22., hoc ſenſu, ut interrumpatur iudicium, et differatur: *Caſſius Severus, interpellatis iudicibus, dilationem petiit*, etc. Mox manifeſte, *ut in negotio proprio documentum daret, quam aequus iudex in alieno negotio* (non, *in alienis negotiis*) *futurus eſſet.* Decepit Viros doctos minor diſtinctio in vulgatis; quae fecit, ut putarent, haec cum ſuperioribus coniuncta eſſe. Haec quum ſcripſiſſem, reperi, Noordkerkium Obſſ. p. 61. iam monuiſſe, rem in iudicio apud Praetorem actam eſſe. ERN.

ordinarii iuris esse, agere caussam confestim apud se coegit, proprio negotio documentum daturum, quam aequus iudex in alieno negotio futurus esset. Feminam, non agnoscentem filium suum, dubia utrimque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio iuvenis. Absentibus, secundum praesentes facillime dabat, nullo delectu, culpane quis, an aliqua necessitate cessasset. Proclamante quodam, praecidendas falsario manus, carnificem statim acciri cum machaera mensaque laniónia, flagitavit. Peregrinitatis reum, orta inter

Ordinarii iuris esse] Hoc ius pertinet ad caussas eas, quae a magistratu ordinario dirimuntur modo ordinario, h. e. ex edicto, iudicibusque dandis. Eius autem iuris non sunt, sed cognitionis (extraordinariae), de quibus vel a principe ipso, vel a magistratibus, decernendo, sine iudicibus, constituitur, adhibitis tamen consiliariis. Spartianus Hadrian. c. 8. Conf. supra c. 12., ubi Claudius cognitionibus magistratuum, ut unus e consiliariis, interfuisse dicitur. De magistratibus, quod possint cognoscere, non iure ordinario, vide Noodt. de Iurisdict. 1, 7., ubi hoc ipso loco utitur. Ern.

Absentibus] Recte viderunt, qui hoc ita acceperant, ut dictum esset pro, *quum altera pars litigantium absens esset*; idque nove dictum esse aiunt. Sed nemo exemplis similibus illustravit: nam Cannegieteriana ad Avian. Fab. c. 32. *ludis, solibus*, non satis sunt similia. Magis conveniunt loca, ubi ablativus participii passivi simpliciter ponitur, ut *audito, cognito, imperato* etc., cuius generis multa exempla collegerunt Viri docti ad Livium 1, 41., inprimisque saepe ea ratione utuntur Livius et Plinius maior in Historia naturali. Simillimum est exemplum apud nostrum in Tiberio c. 31., ubi sic accipiendum esse, ut hic absentibus, τὸ *consente*, si vulgata lectio reliqua servetur, ibi monuimus. Ern. Hoc quidem exemplum non quadrare, subscriptio nostra docebit; sed tamen nulla dubitatio esse debet de hoc elliptico usu ablativi absoluti.

Acciri — flagitavit] Verbum *flagitare* in tali sententia aut sine verbo poni solet, aut

advocatos levi contentione, togatumne an palliatum dicere caussam oporteret, quasi aequitatem integram ostentans, mutare habitum saepius, et prout accusaretur defendereturve, iussit. De quodam etiam negotio ita ex tabella pronuntiasse creditur, SECUNDUM EOS SE SENTIRE, QUI VERA PROPOSUISSENT. Propter quae usque eo eviluit, ut passim ac propalam contemptui esset. Excusans quidam testem, e provincia ab eo vocatum, negavit praesto esse posse, dissimulata diu caussa, ac post longas demum interrogationes, *mortuus est*, inquit; *puto, licuit*. Alius gratias agens, quod reum defendi pateretur, adiecit: *Et tamen fieri solet*. Illud quoque a maioribus natu audiebam, adeo caussidicos patientia eius solitos abuti, ut descendentem e tribunali non solum voce revocarent, sed et lacinia togae retenta, interdum pede apprehenso, detinerent. Ac ne cui haec mira sint, litigatori Graeculo vox in altercatione excidit, Καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός. Equi-

cum verbo iungitur per *ut*. Vide tamen simile exemplum infra c. 29. *imminere portenderetur*. Alia exempla addidit Oudendorpius. ERN. Et meliora, ut Plin. 35, 10.

Ex tabella] H. e. de scripto, ut insignior stupor sit. Male Ursinus de tabella iudicis, sententiam ferentis, accipit: non enim iudicat Caesar, sed decernit sine iudicibus; est enim sermo de cognitione extraordinaria. ERN.

Licuit] Similis locus est ap. Ciceronem Phil. 5, 5. extr. ERN.

Et tamen fieri solet] Male Burmannus excusandi formulam facit, et stuporem tribuit defensori, quod in tali re deprecetur: non enim stupidum defensorem facere voluit Suetonius, sed irrisorem Claudii, cui postquam gratias egit de more, addidit, irridendi caussa, *fieri tamen solere*: hoc est, non esse, quare gratiae agantur; fieri enim non beneficii caussa, sed de more et iure. ERN.

tem quidem Romanum, obſcoenitatis in feminas reum, ſed falſo, et ab impotentibus inimicis conficto crimine, ſatis conſtat, quum ſcorta meritoria citari adverſus ſe, et audiri pro teſtimonio videret, graphium et libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna ſtultitiae et ſaevitiae exprobratione iecíſſe in faciem eius, ut genam non leviter perſtrinxerit.

16 Geſſit et cenſuram, intermiſſam diu poſt Plancum Paullumque Cenſores: ſed hanc quoque inaequaliter, varioque et animo et eventu. Recognitione Equitum iuvenem probri plenum, ſed quem pater probatiſſimum ſibi affirmabat, ſine ignominia dimiſit, *habere*, dicens, *Cenſorem ſuum*. Alium, corruptelis adulteriisque famoſum, nihil amplius quam monuit, *ut aut parcius aetatulae indulgeret, aut certe cautius:* addiditque, *Quare enim ego ſcio, quam amicam habeas?* Et quum, orantibus

Cap. 16. *Geſſit et cenſuram*] Nempe ita, ut et nomen Cenſoris haberet: nam ſine eo nomine ſaepe geſta erat. Nam Paullus et Plancus Cenſores fuere a. U. DCCXXXI., Auguſtus autem a. U. DCCXXXV. magiſterium morum in quinquennium recepit, auctore Dione p. 527., etſi nulla eius rei mentio in numis et lapidibus: vide Spanhemium de uſu et praeſt. num. T. II. p. 474.: et anno poſt lectionem Senatus habuit, Dio p. 529., item a. U. DCCXLI., Dio p. 540. Magiſter morum iterum in quinquennium factus a. U. DCCXLII., Dio p. 542. Cum eo porro cenſuram ſimul egit e lége Tiberius, auctore Suetonio in Tib. c. 21. Luſtrum item aliquoties condidit, Aug. c. 97. Ern.

Inaequaliter] E Salmaſii codice Graevius recepit *inaequabiliter*, ut eſt Galba c. 9., idemque habent tres alii codd., videturque ſic legiſſe Berneccerus, quia hunc locum laudat in indice in h. v. Recepit et Oudendorpius. Sed quia tamen plures edd. et codd. vulgatum habent, nolim quicquam mutare, quum *inaequaliter* idem

ſamiliaribus, dempſiſſet cuidam appoſitam notam, *Litura tamen*, inquit, *exſtet*. Splendidum virum, Graeciaeque provinciae principem, verum Latini ſermonis ignarum, non modo albo iudicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quemquam, niſi ſua voce, utcumque quis poſſet, ac ſine patrono, rationem vitae paſſus eſt reddere. Notavitque multos, et quosdam inopinantes, et ex cauſſa novi generis, quod ſe inſcio ac ſine commeatu Italia exceſſiſſent; quendam vero et, quod comes regis in provincia fuiſſet: referens, maiorum tempo-

ſit, quod *inaequabiliter*. Cicero Or. c. 58. de oratione: *aequaliter ingrediens, et conſtanter*; et ſic alii quoque. ERN.

Graeciaeque provinciae] Intellige Achaiae, ut Tib. c. 49. Dio quoque Caſſius in provinciis populo et Senatui relictis ab Auguſto, lib. 53. p. 503. commemorat Ἑλλάδα μετὰ τῆς Ἠπείρου, *Graeciam cum Epiro*. Per *Graeciam* cave intelligas *Illyricum*, quia Strabo c. 17. extr. nominat in hoc genere provinciarum *Illyricum cum Epiro*, e verſione vulgata: nam in Graeco eſt *Illyricum finitimum Epiro*. Graecia eſt apud Dionem *Achaia*, quae a Strabone in popularibus provinciis ponitur: nam ea eſt Graecia proprie ſic dicta. Atque ea h. l. intelligenda: quae alias ab ipſo Suetonio, uſitatiori tum nomine, *Achaia* vocatur. ERN.

Comes regis in provincia] Hoc non intelligo. praeteritum. ut facile, ab Interpretibus. Τὸ *in provincia* quid ſibi velit, non video, niſi ſic capias, ut regi cuidam, in provincia aliqua Romana iter facienti, comes fuerit; quod tamen, ut opinor, non ſic dixiſſet Suetonius. Mihi videntur verba, *in provincia*, a male ſedulo addita eſſe. Nempe, quia, quum de Romanis Imperatoribus aut magiſtratibus in provinciam euntibus ſermo eſt, commemorantur *comites in provincia*, ut apud ipſum Suetonium in Grammat. c. 10. *Claudiis fratribus, quorum etiam comes in provincia fuerit*, etc.; aut cum alio tali additamento, ut *peregrinationis*, *expeditionis* etc., id hoc loco addendum putavit aliquis, quod hic, ubi de rege externo ſermo eſt, lo-

ribus, Rabirio Poſtumo, Ptolemaeum Alexandriam, crediti ſervandi cauſſa, ſecuto, maieſtatis crimen apud iudices motum. Plures notare conatus, magna inquiſitorum negligentia, ſed ſuo maiore dedecore, innoxios fere reperit, quibuscumque coelibatum, aut orbitatem, aut egeſtatem obiiceret, maritos, patres, opulentos ſe probantibus: eo quidem, qui ſibimet vim ferro intuliſſe arguebatur, illaeſum corpus veſte depoſita oſtentante. Fuerunt et illa in cenſura eius notabilia, quod eſſedum argenteum, ſumptuoſe fabricatum, ac venale ad Sigillaria, redimi concidique coram, imperavit: quodque uno die viginti edicta propoſuit; inter quae duo, quorum altero admonebat, *ut uberi vinearum proventu bene dolia picarentur;* altero, *nihil aeque facere ad viperae morſum, quam taxi arboris ſuccum.*

17 Expeditionem unam omnino ſuscepit, eamque modicam. Quum, decretis ſibi a Senatu ornamentis triumphalibus, leviorem maieſtate

cum omnino non habet. Videtur autem ille, quisquis fuit, apud regum aliquem verſatus diu et in eius comitibus fuiſſe, velut ille Rabirius; qui tamen etiam dioecetes regius fuerat, quamquam miniſtri regum vel maxime eorum ſunt comites, ſi eorum conſuetudine libenter et crebro utuntur. Ern. In *provincia* aliqua Romana peregrinanti regi comitem ſe obtulerat, quod indignum cive Rom. Sic et Oudendorp.

Vim ferro intuliſſe] Notabilis locus, ex quo patet, αὐτοχειρίαν, etſi nulla lege prohibita fuerit, tamen probatam non fuiſſe, cenſoriumque probrum habitum eius etiam conatum. Ern. Pro *eo quidem* ſuſpicor legendum *et quodam.*

Cap. 17. *Eamque modicam*] Maiorem interpunctionem poſui, quod alioqui contextus non ſatis conſtat. Ern.

Leviorem maieſtate principali] Dedi *maieſtate* pro *maieſtati*, ut iam quidam alii ſe-

principali titulum arbitraretur, velletque iusti triumphi decus, unde acquireret, Britanniam potissimum elegit; neque tentatam ulli post Divum Iulium, et tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Hoc quum ab Ostia navigaret, vehementi Circio bis paene demersus est, prope Liguriam, iuxtaque Stoechadas insulas. Quare a Massilia Gesoriacum usque pedestri itinere confecto, inde transmisit: ac sine ullo proelio aut sanguine intra paucissimos dies parte insulae in deditionem recepta, sexto quam profectus erat mense Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu. Ad cuius spectaculum commeare in Urbem non solum praesidibus provinciarum permisit, verum etiam exulibus quibusdam; atque inter hostilia spolia, navalem coronam fastigio Palatinae domus iuxta civicam fixit, traiecti et quasi domiti Oceani insigne. Currum eius Messallina uxor carpento secuta est. Secuti et triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed ceteri pedibus

cere, quod ipsa Latinitas postulabat. Ern. Certe fert: nam *leviorem principi* nemo propter Latinitatem reprehenderit. Mox egregie Gronovius pater coni. *undeunde acquirere.* Nunc durum est *velle decus.*

Fastigio Palatinae domus] Atqui constanter alii scriptores, Ovidius, Plinius, atque etiam noster, tradunt, civicam in foribus Palatii vestibuloque suspensam fuisse, non autem fastigio. Legendum ergo arbitror, *in vestibulo Palatinae domus.* Noster in Tib. c. 26. *civicam in vestibulo coronam recusavit.* Vulgatum defendit Oudendorpius. Non bene, aut idoneis locis. Ern. Sed ad Claudium non pertinet illud, quod de Tiberio narratur.

Carpento] Potestate ei a Senatu, honoris caussa, facta, ut diebus festis et solemnibus carpento veheretur, ut constat e Dione lib. 60. p. 679. Ern.

et in praetexta; Crassus Frugi equo phalerato, et in veste palmata, quod eum honorem iteraverat.

18 Urbis annonaeque curam sollicitissime semper egit. Quum Aemiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus mansit: ac deficiente militum ac familiarum turba, auxilio plebem per magistratus ex omnibus vicis convocavit; ac, positis ante se cum pecunia fiscis, ad subveniendum hortatus est, repraesentans pro opera dignam cuique mercedem. Artiore autem annona ob assiduas sterilitates detentus quondam medio foro a turba, conviciisque ac simul fragminibus panis ita infestatus, ut aegre, nec nisi

Crassus Frugi] Vide Ruperti Epist. 43. p. 428. 430. Ern.

Cap. 18. *Diribitorium* domus ampla, ab Agrippa instituta, eo mortuo perfecta et dedicata prope Septa, in Campo Martio, regione Circi Flaminii: destinata usibus comitiorum, ut in eo tabellae suffragiorum diriberentur, mox etiam aliis usibus serviens. Vide Dionem lib. 55. p. 553. In eius vicinia Aemiliana fuisse, res ipsa declarat. Paullo post pro *familiarum*, i. e. *servorum*, in edd. aliquot superiores irrepsit *familiarium*, quorum turba non potuit ad incendium restinguendum adhiberi: item post libri quidam *repraesentans*, pro *repraesentaturus*, quod cum Burmanno recepit Oudendorpius. *Dignam cuique mercedem* vulgato favet. Ern. Non apparet ratio: crediderim potius, verbo *ostendendi* s. *promittendi* usurum fuisse Scriptorem, si voluisset, quod eum coegit serus corrector. Nam participium praesentis in plerisque bonis codd. est, ut in Longol.

Per magistratus] P. Faber corr. *magistros*, scil. *vicorum*, commoda coniectura, et quae placebat Ruhnkenio.

Fragminibus panis ita infestatus] Non sine caussa miratur Guietus, in caritate annonae a famelicis hominibus panis fragminibus petitum Claudium. Nempe non est mirum, ea re petitum, in qua diligentiam eius desiderabant, ut Vespasianus iussus est *oppleri luto*, Vesp. c. 26., quod in pur-

poſtico, evadere in Palatium valuerit; nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus. Nam et negotiatoribus certa lucra propoſuit, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet, et naves mercaturae cauſſa ſabricantibus magna commoda conſtituit, pro conditione cuiusque: civi, 19
vacationem legis Papiae Poppaeae; Latino, ius Quiritium; feminis, ius quatuor liberorum: quae conſtituta hodieque ſervantur.

Opera magna potiusque neceſſaria, quam 20
multa perfecit; ſed vel praecipua, aquarum ductum, a Caio inchoatum; item emiſſarium

gandis viis curam ſuam deſiderari paſſus eſſet: ſed lutum ſtatim ad manus, neque in eo fit iactura; panis autem tum rarus et carus. Ceterum verbum et res ita apta eſt, ut a librariis proficiſci non potuerit. *Inſtratus* autem etſi defendit Burmannus, tamen exempla, ab eo prolata, non ſatis ſimilia ſunt, praeter unum e Virgilii Ciri v. 53., ſed id nimis poeticum eſt. Quare, quum plures codd., etiam Memmianus et Mſ. Lyſer., habeant *infeſtatus*, quod uſitatius et *conviciis* aptius, hoc praetulerim: praeſertim quum etiam melius reſpondeat verbis, *ut aegre evadere valuerit*, intell. quo minus iſtis fragminibus obrueretur. Ergo nondum *inſtratus iis*, h. e. obrutus fuerat. Dixiſſet etiam, ut opinor, *conſtratus*, non *inſtratus*. Ern.

Excogitavit] Hoc praetuli alteri, *ex eo cogitavit*, quod pauciores codd. priſcaeque edd. habent; quum *excogitavit* in pluribus et melioribus codd. ſit. *Ex eo* autem plane redundat, quum iam lateat in verbis *detentus* et *infeſtatus*, neque in hac forma loquendi, quae ſaepiſſime apud Suetonium occurrit, adhibetur: tum qui modus loquendi *cogitavit ad*? Ern.

Cap. 19. *Hodieque*] Sic optimus Memmianus aliique, pluresque edd., neque id ortum ex *hodie quoque*: nam id ipſum *hodieque* eſt. Ern.

Cap. 20. *Potiusque neceſſaria*] Sic ex ed. Rom. cum Burmanno reſcripſi. Sic et Mſ. Lyſer. habet, niſi fallit collatio. Poſt *aquarum ductum* e Mſſ. recepi pluribus, etiam Lyſer., ut Oudendorpius. Ern.

Fucini lacus, portumque Ostiensem: quamquam sciret, ex his alterum ab Augusto precantibus assidue Marsis negatum, a D. Iulio saepius destinatum, ac propter difficultatem omissum: Claudiae aquae gelidos et uberes fontes, quorum alteri Caeruleo, alteri Curtio et Albudino nomen est; simulque rivum Anienis novi lapideo opere in Urbem perduxit, divisitque in plurimos et ornatissimos lacus. Fucinum aggressus est, non minus compendii spe, quam gloriae; quum quidam privato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit aegre, et post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine inter-

Negatum] In vulgatis omnibus post *negatum* repetitur *alterum*. Sed hoc posterius *alterum* haud dubie vitiosum atque tollendum est; quod miror neminem Interpretum vidisse: nam utrumque ad lacum Fucinum pertinet. Quod de Iulio dicit, esse ad lacum referendum, docet ipse Suetonius in Caes. c. 44.: de Augusto autem, situs locorum declarat. Quid enim Marsis cum portu Ostiensi? Sed in eorum finibus est lacus Fucinus. Stulti librarii putarunt, prius *alterum* desiderare aliud *alterum*. In tanta evidentia non dubitavi de contextu tollere: neque probandam putavi puerilem religionem eorum, qui certissima librariorum peccata in contextu relinquunt. Neque contra est, ut Oudendorpio visum, locus Plutarchi, qui inter opera Caesari destinata repurgationem portus Ostiensis ponit: nam ei cetera h. l. non conveniunt. Fucini lacus emissionem saepe destinavit atque omisit, non portus Ostiensis. De re ipsa vide Excursum. Ern. De evidentia interpolationis dubitari potest, etsi ambiguus est locus Plutarchi. Etiam historici habent σιωπώμενα sua, et ipse verborum ambitus favet vulgatae omnium Mff. scripturae. Perizon. tamen in Lectt. eandem coniecturam fecerat.

Continuis] Burmannus hoc verbum a glossatore ortum pu-

missione operantibus. Portum Ostiae exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, et ad introitum profundo iam solo mole obiecta: quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.

Congiaria populo saepius distribuit. Spe- 21
ctacula quoque complura et magnifica edidit, non usitata modo ac solitis locis, sed et commentitia et ex antiquitate repetita, et ubi praeterea nemo ante eum. Ludos dedicationis Pompeiani Theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali posito in orchestra commisit; quum prius apud superiores aedes supplicasset, perque mediam caveam, sedentibus ac silentibus cun-

tat. quod mox est, *sine intermissione,* unde nascatur tautologia; quare aut eiiciendum, aut legendum, *post undecim annos continuos.* Glossam quidem non dixerim. Cuius enim verbi interpretandi caussa adiectum putemus? Quare posterius potius probarem, si res pateretur. Sed nulla ratio est, quare anni undecim continui dicantur, ubi simpliciter longitudo temporis indicanda est, ut hoc loco. Alia res esset, si dixisset, triginta millia hominum sine intermissione per annos undecim continuos operatos esse. *Continua XXX millia* dixit, tum, quia non per vices et partes, ut fit in opere militari, sed simul omnia operabantur; tum, quia numerus idem per totos undecim annos fuit, suffectis in mortuorum aut aegrotorum etc. locum semper novis. Ern. *Continuas operas* intell. una et continua serie collocatas.

Alexandrini Phari] *Alexandrinae* bene corrigunt Viri docti propter constantem usum Latinitatis.

Cap. 21. *Complura et magnifica*] Sic e Ms. Lyser. pro *magnificaque,* quod male sonat, edidi, cui et plures alii libri scr. consentiunt. Ern.

Apud superiores aedes supplicasset] De aede Veneris, Theatro Pompeiano ita imposita, ut Theatrum pro gradibus

ctis, descendisset. Fecit et seculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos: quamvis ipse in historiis suis prodat, *intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse*. Quare vox praeconis irrisa est, invitantis more sollemni ad ludos, *quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset;* quum superessent adhuc, qui spectaverant, et quidam histrionum, producti olim, tunc quoque producerentur. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnumquam interiecta per quinos missus venatione. Circo vero maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quae utraque et tophina ac lignea antea fuerant, exculto, propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis. Ac super quadrigarum certamina, Troiae lusum exhi-

aedis esset, explicavit recte Lipsius Elect. 1, 11. De aede Veneris testis Tertullianus (laudatus Lipsio) de spectaculis c. 10. Hanc interpretationem adiuvant verba, *quum prius supplicasset.* Sed difficultas oritur e numero plurali. Eam tolli posse Lipsius putabat, legendo, *aedem superiorem.* Iac. Gronovius autem non modo Veneris, sed etiam Victoriae templum super Pompeiano Theatro fuisse existimat, e loco Tironis apud Gellium 10, 1. *Quum Pompeius aedem Victoriae dedicaturus foret, cuius gradus vicem Theatri essent.* Verum, nisi me omnia fallunt, ibi legendum *Veneris*, quod tamen templum diversum a *Veneris Victricis* templo, a Pompeio secundo consulatu dedicato, ut tradit Plinius Hist. Nat. 8, 6., quod miror non animadvertisse doctos Gellii Editores. Ern.

Promiscue] Non immixti plebi; nam separatim et ante spectaverant: non reverentia plebis, ut placet Torrentio ad Ner. c. 11., sed constitutione Augusti, auctore Dione lib. 55. p. 563., sed locis incertis, et quae sors tulerat, auctore eodem Dione lib. 60. p. 669., nunc autem etiam certus locus assignatus est. Vide Lipsium ad Tac. Ann. 15, 23. Ern.

buit, et Africanas, conficiente turma equitum praetorianorum, ducibus tribunis, ipſoque praeſecto: praeterea Theſſalos equites, qui feros tauros per ſpatia Circi agunt, inſiliuntque defeſſos, et ad terram cornibus detrahunt. Gladiatoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit. Anniverſarium in caſtris praetorianis, ſine venatione apparatuque, iuſtum atque legitimum in Septis, ibidem extraordinarium et breve, dierumque paucorum, quodque appellare coepit *ſportulam:* quia primum daturus edixerat, *velut ad ſubitam condictamque coenulam invitare ſe populum.* Nec ullo ſpectaculi genere communior aut remiſſior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos, prolata ſiniſtra pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret; ac ſaepe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, *dominos* identidem appellans, immixtis interdum frigidis et arceſſitis iocis: qualis eſt, ut quum Palumbum poſtulantibus, *daturum ſe,* promiſit, *ſi ca-*

Appellare coepit] Puto dictum pro *appellavit.* Ern. - Intell. primus induxit hunc uſum.

Prolata ſiniſtra] Numerandi per digitos cauſſa. Siniſtram autem extra togam proferre deformitatis aliquid habebat. Ern.

Qualis eſt, ut quum etc.] Manifeſta eſt; et non ferenda tautologia. Quidam libri, et ſcripti et editi, non habent τὸ *ut;* quod deleri placet Caſaubono et Burmanno. Per me quoque licebit. Sed quando alterum alteri pro interpretamento adiectum debet fuiſſe, magis placet, *qualis eſt* gloſſam eſſe τοῦ *ut,* quam hoc illius; praeſertim quum contextus non tam *qualis eſt* deſideret, quam *qualis fuit.* Itaque potius *qualis eſt* tollendum puto, praeſertim quum etiam mox ſit, non *ille quoque,* ſed *illud quoque.* Probat Oudendorpius. In hac ambiguitate utrumque in contextu reliqui, et liberum cuique arbitrium. Ern.

ptus esset. Illud plane, quantumvis salubriter et in tempore: quum essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium favore indulsisset rudem, tabulam illico misit, admonens populum, *quanto opere liberos suscipere deberet, quos videret et gladiatori praesidio gratiaeque esse.* Edidit et in Martio campo expugnationem direptionemque oppidi ad imaginem bellicam, et deditionem Britanniae regum, praeseditque paludatus. Quin et, emissurus Fucinum lacum, naumachiam ante commisit. Sed quum, proclamantibus naumachiariis, *Ave, Imperator, morituri te salutant,* respondisset, *Avete vos;* neque post hanc vocem, quasi venia data, quisquam dimicare vellet; diu cunctatus, an omnes igni ferroque absumeret, tandem e sede sua prosiluit, ac per ambitum lacus, non sine foeda vacillatione, discurrens, partim minando, partim adhortando, ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulae, excien-

Illud quoque plane] Intell. frigidum est, ex *frigidis iocis.* Ceterum delevi *quoque,* quod a Mss. pluribus bonis abest et hic friget. ERN. Mihi quoque aliquid depravatum videtur. Durum est *plane,* etiamsi *arcessitum* suppleas.

Avete vos] Haerent Viri docti in his verbis, nempe quomodo naumachiarii ea sic potuerint capere, ut se missos putarent, veniamque datam sibi. Ego rem sic concipio. *Ave* et *salve* sunt verba iubentis vivere incolumem, et optantis. Itaque, quum naumachiarii dixissent: Te quidem, Imperator, iubemus salvere, vivere, nos autem iam morituri sumus, responsum Caesaris, *Avete vos,* poterant ita accipere, quasi diceret, immo vero salvete et vivite, et hinc sibi veniam pugnandi datam existimare. ERN.

Classis Sicula et Rhodia] Vide Caes. c. 39. ERN.

Duodenar. triremium] Nu-

te buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerſerat.

Quaedam circa cerimonias, civilemque et 22
militarem morem, item circa omnium ordinum ſtatum, domi foriſque, aut correxit, aut exoleta revocavit, aut etiam nova inſtituit. In cooptandis per collegia ſacerdotibus, neminem niſi iuratus nominavit; obſervavitque ſedulo, ut quoties terra in Urbe moviſſet, ferias advocata concione Praetor indiceret; utque, dira avi in Urbe aut in Capitolio viſa, obſecratio haberetur, eamque ipſe iure Maximi Pontificis commonito pro roſtris populo praeiret, ſummotaque operariorum ſervorumque turba.

Rerum actum, diviſum antea in hibernos 23
aeſtivosque menſes, coniunxit. Iurisdictionem

merum hunc ſuſpectum facit primum Dio, qui quinquaginta habet: tum numerus eorum, qui in illis claſſibus pugnarunt; nam Tacitus Ann. 12, 56. undeviginti millia fuiſſe dicit. Quem numerum ſane viginti et quatuor naves capere non potuerunt: quamquam etiam ſupra fidem eſt, tantum numerum hominum, qui capitalium criminum damnati eſſent, cogi potuiſſe. Sed coniectura hic nihil asſequi licet. Ern.

Cap. 22. *Nominavit*] Proprium in hac re verbum. Vide Cic. Phil. 2, 2. Tac. Ann. 4, 16. Ern.

Obſecratio — praeiret] H. l. dupliciter capienda: primum pro die ſollemni; deinde pro carmine, quod in die illa, deorum placandorum cauſſa, recitaretur. Ern.

Commonito] Intell. per edictum, ut frequentaret obſecrationis ſollemnia. *Pro roſtris* refer ad *praeiret*. Ern.

Operariorum] Hoc pro *operarum* e Mſſ. repoſui; nam hoc alienum eſt. *Operarii* dicuntur ſane *operae*, ſed tum, quum de aliquo opere ſermo eſt. Genus hominum ipſum, quod in operibus faciendis adhibetur, non *operae*, ſed *operarii*. Ex uno codice *operarum* inductum eſt. Ern. Bene. At illud diſcrimen vocabulorum commenticium eſt.

Cap. 23. *Rerum actum — coniunxit*] *Actus rerum* h. l.

de fidei commiſſis quotannis, et tantum in Urbe delegari magiſtratibus ſolitam, in perpetuum, atque etiam per provincias poteſtatibus demandavit. Capiti Papiae Poppaeae legis, a Tiberio Caeſare, quaſi ſexagenarii generare non poſſent, addito, obrogavit. Sanxit, ut pupil-

ſignificat ſolam iudiciorum adminiſtrationem, ut patet e Galba c. 14. Conf. Aug. c. 32., ubi ſimiliter ſic dicitur, ut vidit Caſaubonus. Res autem, ut opinor, ſic ſe habet. Mos erat, ut aliae decuriae iudicum aeſtivis menſibus, h. e. ab Aprile ad Septembrem, aliae hibernis, ab Octobre ad Martium, iudicia exercerent, una annuam vacationem haberet, idque ex inſtituto Auguſti l. c., ubi vide Caſaubonum. Claudius autem illam partitionem anni ſuſtulit, et uno tenore, per totum annum, iudicia exerceri iuſſit; id enim eſt apud Suet. *coniungere.* Sic *conſulatus coniungi* dicuntur Calig. c. 17., qui alias, apud Ciceronem et Livium, *continuari* dicuntur. Ea continuatio iudicibus moleſtiam muneris levabat, ut intelligitur e Galba l. c., quod nullo alio modo factum videtur, quam quia ſic diuturnior vacatio decuriis data. Male Torrentius, non animadverſa verbi *coniunxit*, et *actus rerum*, ſignificatione, de cauſſis diverſis, olim certis menſibus aſſignatis, nunc per totum annum actis, accepit: nec melius alii de iudiciis ipſis, in quibus talis distributio intelligi non poteſt, aut coniunctio. Ern.

Quotannis — in perpetuum — demandavit] Nec hunc locum recte ceperunt Interpretes. Senſus autem hic eſt: Iurisdictio de fidei commiſſis ante erat extraordinaria, quod quotannis peculiari decreto magiſtratibus mandaretur, cui placeret, nullum certum magiſtratum haberet: veluti quaeſtiones rerum capitalium olim erant omnes extraordinariae, quum lege aut SCto mandarentur, cui videretur. Claudius autem fecit, ut eſſet ordinaria, conſtitutis Praetoribus duobus perpetuis et ordinariis, qui de fidei commiſſis cognoſcerent, ut patet e Pomponio de Orig. Iuris. Atque hoc ſignificant verba, *in perpetuum demandavit.* Sic. poſteaquam quaeſtionibus praefecti ſunt certi et ordinarii, annuique magiſtratus, dictae ſunt *quaeſtiones perpetuae*, ſcilicet, magiſtratibus quibusdam in perpetuum demandatae. Ern.

Obrogavit] Senatus conſulto, per quod ſexagenariorum

lis extra ordinem tutores a Consulibus darentur, utque hi, quibus a magistratibus provinciae interdicerentur, Urbe quoque et Italia summoverentur. Ipse quosdam novo exemplo relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab Urbe. De maiore negotio acturus in curia, medius inter Consulum sellas, tribunicio subsellio sedebat. Commeatus, a Senatu peti solitos, beneficii sui fecit.

nuptiae probatae. Lectionem huius loci, quam nos secuti sumus, pro vulgatiori *abrogavit*, late, contra Cuiacium, Gothofredum et alios defendit Perizonius Diss. II. p. 153. seqq. Ern.

Extra ordinem tutores etc.] *Extra ordinem* a Consulibus tutores dati dicuntur, quia, e legibus et more maiorum, dabantur antea tutores a Praetore urbano, ut notum est e Ciceronis Verrina prima. Nunc, quum peculiari SCto id munus iniungitur Consulibus, quum proprie non sit pars muneris consularis, extra ordinem iis datum dicitur. Ern.

Tribunicio subsellio] Verba per se satis clara. Sed caussam istius instituti, si quis desideret, hanc dicam fuisse. Tribuniciae potestatis nomine Caesares summum in Urbe imperium tenebant: et iam libera republica Tribuni, etsi non honore, tamen potestate omnibus maiores erant. Itaque id genus subsellii, quo Tribuni uterentur, honestum in primis visum: quippe etiam Caesari, Dictatori, qui sella curuli uteretur, tamen honoris caussa decretum a Senatu, ut tali subsellio uti posset, auctore Dione lib. 42. p. 194. Idque repetitum in Augusto ceterisque videtur, praesertim quum tribunicia potestate uterentur. Hac ergo de caussa videtur Claudius, relicta propria Caesaribus sede, in curia consedisse in subsellio tribunicio, ut indicaret, se iam pro potestate tribunicia aliquid maius acturum. Aliter Lipsius ad Tac. Ann. 4. 8.: nempe quasi modestiae caussa factum sit, quod non convenit rei. Maius negotium acturus, profecto non sede deprimebat se. Ern.

Commeatus etc.] Hoc pertinet, primum, tantum ad Senatores, quibus non licuisse exire Italia, nisi consentiente ac permittente Senatu, inde ab Augusti temporibus, trala-

24 Ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit. Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit. Latum clavum, quamvis initio affirmasset, non lecturum se Senatorem, nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit; sed sub conditione, si prius ab Equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, et Appium Caecum Censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit; ignarus, temporibus Appii et deinceps aliquamdiu *libertinos* dictos, non ipsos, qui manu emitterentur, sed ingenuos ex his procrea-

titium est. Tota res explicata a Lipsio est ad Tac. Ann. 12, 23. Sed dubitatio contra hunc Suetonii locum exsistere potest e Calig. c. 29., ubi commeatus prorogationem saepius desiderantem interfici iubet Caligula. Ex quo colligas, iam tum commeatum datum et petitum a Caesare. Verum res sic concipienda, ut Caesar quidem dare potuerit, sed interposito SCto: ut ita res tamen semper in Senatu ageretur, per eumque vel daretur, vel negaretur commeatus. Conf. Tib. c. 31., ubi Praetor designatus, etiam improbante Caesare, non modo commeatum, sed etiam legationem liberam accipit. ERN.

Cap. 24. *Ducenariis*] Vide ad Aug. c. 32. ERN.

Recusantibus] Quod aut molestiam laboris fugerent, aut, ut olim Atticus, delectarentur re familiari et quaestu, quem subsistentes in ordine equestri, negotiando aliove modo, facerent. ERN. Aut, quod parum grata dignitas erat sub tali principe.

Lecturum se] Sic etiam Mss. Lyser. et alii ab Oudendorpio inspecti, item edd. pr. ERN. Pronomen habet etiam Longol. eiusque omissio h. l. ambigua fuisset.

Libertinorum filios — — ingenuos etc.] Hoc loco monendi sunt tirones, ut sibi caveant ab errore, nato ex hoc loco, qui etiam nunc multos doctorum hominum libros obsedit, (vide v. c. Harduinum ad Plinii Hist. Nat. 33, 1.) quasi libertorum filii sint libertini; quod est falsissimum et

tos. Collegio Quaestorum pro stratura viarum gladiatorium munus iniunxit; detractaque Osti-

ab hoc loco alienissimum. Suetonius nihil aliud dicit, quam, Appii Caeci temporibus nomen libertinorum mansisse etiam, et vulgo tributum esse eorum posteris, quamvis iam ingenuis, quum proprie libertini dicantur, qui sunt manumissione libertatem nacti, iidemque cum libertis. ERN. Numquam intelligere potui, quid Ernestium et tot alios eruditos Viros in istam opinionem et perversam interpretationem adduxerit, quae iam in libris Antiquitatum plerisque pro certissima venditatur, praeeunte Clav. Cic. v. *Liberti*. Sed fortasse in fraudem inducti sunt eo, quod dixit Suet. *ingenuos ex his procreatos* ex suae aetatis, non ex priscae, qua Appius vixit, consuetudine loquendi. Appii enim temporibus (a. U. 443.) non filii manu missorum, sed demum nepotes eorum, *ingenuitate* fruebantur. Postea labentibus reipubl. moribus invaluit, ut *ingenui* statim essent ex manu missis procreati, ipsique manu missi haberent *libertinitatem*; siquidem *libertinus* vulgo respectu conditionis, *libertus* respectu patroni dicebatur. Quod satis notum est omnibus ex Cicerone et Livio, quorum auctoritate observationem Suetonii elevare non debebat Sigon. de I. C. R. 1, 6. Nam hoc ipsum notandum putavit doctus Grammaticus, aliam seculo quinto, aliam posterioribus obtinuisse *libertini* significationem: scripsit enim *non ipsos qui manu emitt.* Eaque observatio, de cuius veritate ambigi vix licet, necessaria videri potuit propter errorem aliorum historicorum de invidiosa Appii censura referentium, ut Liv. 9, 29. et 46. s. f. Tac. Ann. 11, 24. et aliorum. An vero argentea Latinitatis aetate *libertus* rursum de conditione et statu usurpatum sit, alias videbimus ad Tac. Germ. c. 25.

Pro stratura viarum] Ea imposita ab Augusta videtur, quum Quaestoribus aerarium ademisset. ERN.

Gladiatorum munus] Conf. Tac. Ann. 11, 22., ubi *spectaculum gladiatorum* dicitur: unde *quaestoria munera* dicuntur Domit. c. 4. Ea omissa revocavit Domitianus l. c. Ceterum Oudendorp. e libris quibusdam edidit *gladiatorium*, quod vulgatum significaret operam gladiatoriam; quae ratio inanis est. *Munus* non dicitur de gladiatoribus ipsis, sed opera. *Munus* est spectaculi genus, in quo vel gladiatores vel ferae exhibentur. Illud

ensi et Gallica provincia, curam aerarii Saturni reddidit, quam medio tempore Praetores, aut, uti nunc, praetura functi sustinuerant. Triumphalia ornamenta Silano, filiae suae sponso, nondum puberi dedit. Maioribus vero natu, tam multis, tamque facile, ut epistola communi legionum nomine exstiterit, petentium, *ut legatis consularibus simul cum exercitu et*

commode dicitur *munus gladiatorum*. Tum Mſ. Lyſer. habet *indulsit* pro *iniunxit*, ut et Vindob. sec., ut in eo sit beneficium, sicut in sequente. Ern.

Gallica provincia] Alia provincia Gallica est consularis, alia quaestoria. Haec quoque *Gallia* simpliciter dicitur, unde nec absurda lectio altera, *Gallia provincia*. Est autem cis Ariminum, ultra Picenum, ut docet Varro R. R. 1, 2., circa Padum. Plutarchus in Sertorio p. 569. Vide Clavem Cic. in Indice geograph., ubi docui, sic dici *Galliam*, ubi Piceno iungatur, nominatim apud Caesarem B. G. 1, 29., et de hac regione intelligendum *agrum Gallicum*, qui saepe nominetur apud Veteres, nominatim Ciceronem. Ei ergo Galliae, sive agro Gallico, praefuit Quaestor, cuius Arimini sedes esset, isque, ut docuit Lipsius ad Tac. Ann. 4, 27., apud Plutarchum l. c. dicitur ὁ ταμίας τῆς περὶ Πάδον Γαλατίας. Sic cepit etiam Pighius Annal. T. I. p. 468. Ceterum ipsum *Galliae* verbum ita, ut nos fecimus, illustrandum erat. Ita omnis difficultas sublata. Ern.

Praetores — functi] Ex instituto Augusti, ut clare Suetonius Aug. c. 37. Tacitus Ann. 13, 29. Burmannus ait, Gronovium de Sestert. 4, 3. p. 275. docere, Tiberii id institutum fuisse. Sed hoc non docet Gronovius. Verba Gronovii, *Id contigit sub Tiberio, non Augusto, ut perperam Torrentius ad Suetonium Claud. 24.*, aut referenda tantum ad locum Taciti ex Ann. 1, 75., quem Torrentius ad h. l. laudat, et sic iniuriam Torrentio fecit Gronovius, aut falsus est Gronovius. *Uti nunc* revocavi e Mſſ. pro *utique*, sic et Oudendorpius. Consentit historia. Ern.

Exstiterit] Sollicitor. legere *exierit*; quod est verbum proprium de scriptis, dictis, in vulgus emanantibus: nam *exstare* et *existere* quidem etiam

triumphalia darentur, ne cauſſam belli quoquo modo quaererent. A. Plautio etiam ovationem decrevit: ingreſſoque Urbem obviam progreſſus, et in Capitolium eunti, et inde rurſus reverteuti latus texit. Gabinio Secundo, Chaucis, gente Germanica, ſuperatis, cognomen Chaucius uſurpare conceſſit.

Equeſtres militias ita ordinavit, ut poſt co- 25
hortem, alam; poſt alam, tribunatum legionis daret: ſtipendiaque inſtituit, et imaginariae militiae genus, quod vocatur *Supra numerum*, quo abſentes, et titulo tenus, fungerentur. Milites domos ſenatorias ſalutandi cauſſa ingredi,

dicuntur pro oriri, emergere, naſci, ſed de libello, epiſtola edita dici, nondum reperi, inprimis ſic, ut hic eſt, de ſcripto clam emiſſo aut ſparſo; de quo genere proprium eſt verbum exeundi, ut de fama, ſermone etc. Ern. Temeraria eſt coniectura: conf. Octav. c. 1. 85. etc. Etſi *exire* liber vel epiſtola dicitur, quae venit in manus vulgi.

Chaucius cognomen] Hunc modum loquendi, praeter alios, egregie aſſerit Burmannus ad h. l. Ern.

Cap. 25. *Equeſtres militias*] Eſſe eos militiae gradus, qui Equitibus Romanis dati ſint, hodie liquido conſtat, pluribusque docuit inprimis is, qui ad hunc locum iam a Graevio laudatus eſt, Schelius ad Hyginum p. 69. 70., neinpe praefecturae et tribunatus. *Praefecturae* ſunt cohortium et alarum, *tribunatus* legionum. *Cohortes* autem intelligendae auxiliariae ſociorum, ut iam vidimus Aug. c. 38. Ceterum, quod Schelius id ſub Caeſaribus obtinuiſſe dicit, non omnino eſt verum. Iam extremis liberae reipublicae temporibus ſic mos ferebat, aucta Equitum Romanorum dignitate. Eques Romanus Scaptius, negotiator in provincia Cilicia, ab Appio praefecturam obtinuerat; fruſtra petiit a Cicerone, ad Att. 5, 21. Aliis equitibus a Bruto commendatis dederat Cicero, ad Att. 6, 1. Porro Trebatium Caeſari commendans ad Div. 7, 5. ſcribit: *Huic ego neque tribunatum, neque praefecturam, neque ullius beneficii certum nomen peto.* Ern.

etiam Patrum decreto prohibuit. Libertinos, qui se pro Equitibus Romanis agerent, publicavit. Ingratos, et de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem; advocatisque eorum negavit, se adversus libertos ipsorum ius dicturum. Quum quidam aegra et affecta mancipia in insulam Aesculapii taedio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si convaluissent: quod si quis necare quem mallet, quam

Qui se pro Equitibus Romanis agerent] Eadem forma mox c. 29., ubi tamen Graevius τὸ *se* deleri vult, velut ortum e voce sequente *sed*. Alia loca Suetonii, quae ad haec duo loca laudantur, huic non sunt similia: nam in iis iungitur accusativo rei, ut Coelius dixit apud Ciceronem ad Div. 8, 2. *nobilem agere*. Sed hic ponitur pro *gerere se*. Cuius formae tamen exempla etiam Gesneri Thesaurus habet, quamquam non ex optimae aetatis scriptoribus. Itaque inclino in Graevii rationem l. c., ut hic quoque *se* deleatur, insitum a confusione formae huius cum altera, *gerere se pro* etc. Ern. Refutavit haec Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 86. idoneorum auctorum exemplis, qui sic dixerunt *agere*, ubi alii *gerere*.

Revocavit in servitutem] Disputatur, utrum generalis illa constitutio, an particularis fuerit: item, an omnino constitutio Claudii, et non potius decretum in caussis quibusdam interpositum; de quo adeundi ICti. Mihi posterius cum Lipsio et Raevardo placet: nam multa talia Imperatorum facta narrantur, quae non statim omnia pro publicis constitutionibus habenda. Et solet Suetonius peculiari aliquo verbo, ut *sanciendi, edicendi* etc., indicare, si decretum generale fuit, uti mox. Conf. inprimis c. 14. et ad Tac. Ann. 13, 27. Similiter Claudius libertum ingratum occidi iussit apud Dionem lib. 60., et sic cape locum l. 5. ff. de iure patronatus, ubi est verbum *iussit*, quod est decernentis. Ern.

Adversus libertos ipsorum] H. e. si ipsis accideret, ut de libertis suis querendum esset, non se ius dicturum esse ita, ut condemnaret libertos, sed indicta caussa dimissurum. Ern.

Qui exponerentur — — necare quem mallet] Sentio cum Viris doctis, qui verba,

exponere, caedis crimine teneri. Viatores ne per Italiae oppida, nisi aut pedibus, aut sella, aut lectica transirent, monuit edicto. Puteolis et Ostiae singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocavit. Peregrinae conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina, dumtaxat gentilitia. Civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit. Provincias Achaiam et Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, Senatui reddidit. Lyciis, ob exitiabiles inter se discordias, libertatem ademit: Rhodiis, ob poenitentiam veterum delictorum, reddidit. Iliensibus, quasi Romanae gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit; recitata vetere epistola Graeca Senatus populique Romani, Seleuco regi amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere im-

qui exponerentur, et τὸ *quem* eiici e contextu volunt, quum et absint a libris pluribus. Ceterum ad hunc locum. videndus etiam Noordkerkius de lege Petron. p. 106. Ern.

Dumtaxat gentilitia] Burmanno haec verba suspecta sunt; quod omnia nomina Romana gentilitia sint. Id fallum esse arbitror. *Tullii*, *Cornelii*, v. c. nomen gentilitium est; *Ciceronis* autem, *Sullae*, non. Ergo talia nomina, quibus familiae tantum distinguuntur, hoc est, cognomina, permisit usurpare, non autem gentilitia. Ergo nec suspecta debent esse illa verba. Ern.

Seleuco regi] Syriae regem intelligi in promtu est; quem autem, nemo Interpretum, quod sciam, docuit. Neque ego adhuc pro certo dicere possum, quis intelligatur. Ceterum primum aut secundum Seleucum indicari, certum est: nam tertio brevissimum imperium fuit; sequentes autem Asiam minorem in ditione sua non habuerunt. Quodsi iam primus Ptolemaeus, Aegypti rex, foedus cum Romanis fecit, ut auctor est Eutropius, non abhorret, etiam primum Seleucum id fecisse, aut secundum. Hunc

munes praeſtitiſſet. Iudaeos, impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes, Roma expulit. Germanorum legatis in orcheſtra ſedere permiſit; ſimplicitate eorum et fiducia commotus, quod in popularia deducti, quum animadvertiſſent Parthos et Armenios ſedentes in Senatu, ad eadem loca ſponte transierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem ſuam praedicantes. Druidarum religionem apud Gallos dirae immanitatis, et tantum civibus ſub Auguſto interdictam, penitus abolevit. Contra, ſacra Eleuſinia etiam

intelligit Oudendorpius. Ern. Et probabiliter quidem ob rationem temporum.

Impulſore Chreſto] Homine Graeculo, ſive peregrino, ſive libertino, Iudaica ſacra, ut opinor, profeſſo. In inſcriptionibus antiquis non raro occurrunt libertini eo nomine. De Chriſto accipi, nec nomen patitur, nec additum, *impulſore*, quod de praeſente, ſcribendo certe impellente, dicitur; quod in Chriſtum, in caelos dudum tum ſublatum, non convenit. Quae alias ſuper hoc loco ab aliis dicta et ſcripta ſunt, non refert commemorare. Iudaei ſe faciles in tumultus iam in Caeſaris morte probarant. Caeſ. c. 84. extr. Ern. His asſentiendum putamus potius quam Lipſio ad Tac. Ann. 15, 44. et aliis, qui S. in aetate Chriſti erraſſe ſuſpicantur.

Fiducia motus] MII. plures habent *commotus*. Nihil intereſt. Ern. Sed id praeferendum erat propter MII. auctoritatem.

Sponte transierant] Vide Tac. Ann. 13, 54. et ibi Lipſium. Ern.

Abolevit] H. e. conſtitutione publica omnino exerceri vetuit, abolenda ſanxit; quo ſenſu hoc, et alia ſimilia verba, ſaepe apud Suetonium dicuntur, etſi effectu iuſſa caruerunt; quod et Claudiano edicto accidit: nam poſt Claudii tempora. ſuperſtitem Druidarum ſuperſtitionem fuiſſe, ſatis conſtat. Ceterum Plinius hic diſſentire videtur a Suetonio, quum 30, 1. *Tiberio Caeſari* tribuit, quod Suetonius hic *Claudio*. In quo accedo Rezzonici ſententiae, qui etiam ex indiciis librorum indicat, Plinii locum eſſe corruptum, et pro *Tiberii Caeſaris* aut *Tiberii Claudii*, aut potius *Tib. Clau-*

transferre ex Attica Romam conatus est. Templumque in Sicilia Veneris Erycinae, vetustate collapsum, ut ex aerario populi Romani reficeretur, auctor fuit. Cum regibus foedus in foro icit, porca caesa, ac vetere Fetialium praefatione adhibita. Sed et haec, et cetera, totumque adeo ex parte magna principatum, non tam suo, quam uxorum libertorumque arbitrio, administravit; talis ubique plerumque, qualem esse eum aut expediret illis, aut liberet.

Sponsas admodum adolescens duas habuit: 26
Aemiliam Lepidam, Augusti proneptem; item Liviam Medullinam, cui et cognomen Camillae erat, e genere antiquo Dictatoris Camilli: priorem, quod parentes eius Augustum offenderant, virginem adhuc repudiavit; posteriorem, ipso die, qui erat nuptiis destinatus, ex valetudine amisit. Uxores deinde duxit Plautiam Urgulanillam, triumphali, et mox Aeliam Petinam, consulari patre. Cum utraque divor-

dii Caesaris legendum esse, in Disquisitt. Plinianis T. I. p. 139. Suetonio et alii scriptores consentiunt. Ern.

Templumque] Hanc lectionem codicis Memmiani, quia et melior est altera, *templum quoque*, recepi. Vide ad Ner. c. 38. Imitatus est Oudendorpius. Ern.

Fetialium praefatione] Est carmen, quod fecialibus perscriptum fuit, ut in foedere recitarent, reperiturque apud Livium 1, 32. Idem Livius 39, 15. *sollemne carmen precationis, quod praefari magistratus solent*, ubi vide Drakenborchium. Ern.

Talis ubique plerumque] Edidi *utique* pro *ubique* cum Burmanno: nam *ubique* τῷ *plerumque* non consentit. *Utique* est certe Graecorum δή. Sic hac particula passim utitur Suetonius, omnibus in locis, quae Oudendorpius attulit, in quibus ille accipit pro *inprimis*. Tib. c. 47. Calig. c. 53. etc. Ern. Et codd. fides et linguae usus magis favet vulgato *ubique*.

tium fecit: sed cum Petina, ex levibus offensis; cum Urgulanilla, ob libidinum probra et homicidii suspicionem. Post has Valeriam Messalinam, Barbati Messalae consobrini sui filiam, in matrimonium accepit. Quam quum comperisset, super cetera flagitia atque dedecora, C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio affecit; confirmavitque pro concione apud praetorianos, *Quatenus sibi matrimonia male cederent, permansurum se in coelibatu: ac nisi permansisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum.* Nec durare valuit, quin de conditionibus continuo tractaret, etiam de Petinae, quam olim exegerat, deque Lolliae Paullinae, quae C. Caesari nupta fuerat. Verum illecebris Agrippinae, Germanici fratris sui filiae, per ius osculi et blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit, proximo Senatu, qui censerent, cogendum se ad ducendum eam uxorem; quasi reipublicae maxime interesset; dandamque ceteris veniam talium coniugiorum,

Cap. 26. *Consobrini sui*] Non Messalam consobrinum Claudii fuisse, sed eius uxorem Lepidam consobrinam, docuit Lipsius ad Tac. Ann. 11, 37., unde ille mavult *consobrinae suae*. Eadem de caussa videntur nonnulli haec verba pro spuriis delevisse; nam a quibusdam codd. absunt. Contra Perizonius ep. ad Nic. Heinsium (T. IV. Coll. Burm. p. 801. 802.) errare Lipsium putat. Barbatum docet fuisse Claudii consobrinum per alteram Marcellarum, quae fuere sorores uterinae Antoniae, matris Claudii: et hinc apud Senecam de morte Claudii, Augustum dici avunculum maiorem Messalinae aeque ac Claudii. Ern.

Qui censerent] Sic Mss. plures, etiam Lyser., et ed. Rom., bene, pro *censeret*. Non est credibile, uni hoc mandatum fuisse. Recepit et Oudendorpius. Ern.

quae ad id tempus incesta habebantur. Ac vix uno interposito die confecit nuptias; non repertis, qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, et altero primipilari, cuius officium nuptiarum et ipse cum Agrippina celebravit.

Liberos ex tribus uxoribus tulit: ex Urgu- 27
lanilla, Drusum et Claudiam; ex Petina, Antoniam; ex Messalina, Octaviam, et quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominavit. Drusum Pompeiis impuberem amisit, piro per lusum in sublime iactato, et hiatu oris excepto, strangulatum; cui et ante paucos dies filiam Seiani despondisset. Quo magis miror, fuisse, qui traderent, fraude a Seiano necatum. Claudiam, ex liberto suo Botere conceptam, quamvis ante quintum mensem divortii natam, alique coeptam, exponi tamen ad matris ianuam, et nudam iussit abiici. Antoniam Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto Sullae, nobilissimis iuvenibus, Octaviam Neroni privigno suo collocavit, Silano ante desponsatam. Britannicum, vicesimo imperii die, inque secun-

Quae ad id tempus incesta habebantur] Notabilis locus et utilis in disputatione theologica de matrimoniis illicitis. Ern.

Cap. 27. *Pompeiis*] Ita legitur ex emendatione Lipsii ad Tac. Ann. 3, 29. auctore Casaubono. Vulgo legebatur, *Pompeium puberem*. Ern.

Cui — despondisset] Probo emendationem Lipsii et Gronovii, *quum ei:* unde enim coniunctivus pendet, si legimus *cui?* Sic etiam censebat Graevius. Ern.

Cn. Pompeio Magno etc.] De his vide Ruperti et Reinesii Epist. 48. 49., de Pompeio etiam Spanhemium de usu et praest. Numism. T. II. p. 66. Norisii Epist. ad Pagium T. IV. p. 755. Ern.

Vicesimo imperii die] Sic etiam Dio Cassius tradit. Sed Petavius Doctr. Temp. lib. 11.

do consulatu natum sibi, parvulum etiam tum, et militi pro concione manibus suis gestans, et plebi per spectacula gremio aut ante se retinens, assidue commendabat, faustisque ominibus cum acclamantium turba prosequebatur. E generis Neronem adoptavit: Pompeium atque Silanum non recusavit modo, sed et interemit.

28 Libertorum praecipue suspexit Posiden spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit: nec minus Felicem, quem cohortibus et alis provinciaeque Iudaeae praeposuit, trium reginarum maritum: et Arpocram, cui lectica per Urbem ve-

c. 9. negat, utrumque verum esse posse, et aut emendandum, aut non audiendum esse Suetonium: nam vicesimum imperii Claudiani diem cadere in Februarium A. C. 41., consulatum secundum in A. C. 42. Ab Suetonio etiam dissentit Tacitus Ann. 13, 15. ut in aliis. Pagius occurrebat rei sic, ut diceret, intelligendum designatum consulatum alterum: sed Dodwellus Praelect. Cambden. p. 252. rationibus eius satisfacere instituit sic, ut dicat, *vicesimum diem imperii* esse vicesimum a die suscepti imperii, in Kalendario, a die natali imperii, qui singulis annis redit, non illo ipso anno, quo suscepit imperium, sed altero. Verum haec ratio contorta est et contra Latinitatem. Neque enim *consulatus designatos* dixere veteres, etsi per eos tempora interdum indicarunt, ut Domit. c. 1. Itaque maneamus in Petavii sententia, dum meliora quis doceat. Ern. Error subesse videtur ipsius Scriptoris.

Militi] Vulgo *militibus*. Illud plures Mss. boni habent. Recepi, quia exquisitius est et melius respondet *plebi*. Sic et Oudendorpius fecit. Ern.

Cap. 28. *Felicem*] De quo Lucas Act. 24. Ern.

Trium reginarum maritum] Duas novimus: unam Drusillam, Antonii Triumviri neptem, e Cleopatra Aegyptiaca; filiam Iubae e Cleopatra Selene, Antonii filia, sororem Ptolemaei; alteram itidem Drusillam, Agrippae, Iudaeorum regis, filiam:

hendi, ſpectaculaque publice edendi ius tribuit: ac ſuper hos, Polybium a ſtudiis, qui ſaepe inter duos Conſules ambulabat: ſed ante omnes, Narciſſum ab epiſtolis, et Pallantem a rationibus; quos decreto quoque Senatus, non praemiis modo ingentibus, ſed et quaeſtoriis praetoriisque ornamentis ornari libenter paſſus eſt: tantum praeterea acquirere et rapere, ut, querente eo quondam de fiſci exiguitate, non abſurde ſit dictum, *abundaturum, ſi a duobus libertis in conſortium reciperetur.*

His, ut dixi, uxoribusque addictus, non 29
principem ſe, ſed miniſtrum egit. Compendio cuiusque horum, vel etiam ſtudio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, ſupplicia lar-

tertia ignoratur. Unde emendandum Pontanus Suetonium ſic putabat, *etiam reginarum maritum.* Alii aliter. Ern.

Spectaculaque publice edendi ius] Vide Lipſium ad Tac. Ann. 4, 62. *Publice* redundat, gloſſamque ſapit. Ern. Fallitur Vir Cl.

Ornamentis ornari] Pro *ornari* libri plures *honorari*, quod et recepit Oudendorpius. Offenditur et vulgato Rezzonicus Disquiſſ. Plin. T. I. p. 144., qui et excidiſſe aliquid putat. Ceterum tamen haec forma *ornamentis ornari* paſſim occurrit in inſcriptionibus antiquis apud Muratorium et alios, ut demonſtrat Hagenbuchius de Diptych. Brix. p. 115. Ego reliqui *ornari*, quia id verbum *decreto Senatus* melius convenit, quo dicuntur homines *ornari*, centies. Ern. Poſterius verbum in hoc genere potius reſpicitur; et quum liberam optionem dent codd., merito praefertur *honorari.*

Cap. 29. *Principem ſe, ſed miniſtrum egit*] Hic quidem *ſe* non dubitavi delere, ut voluit Graevius probatque Oudendorpius. Ortum e ſequente verbo *ſed.* Vide et ſupra ad c. 25. Ern.

Exercitus, immunitates] Non dubitavi, ſic edere pro *impunitates:* nam illae in talibus largitionibus frequentes, hae in *ſupplicia largitus eſt* inſunt; quamquam hoc et latius patet, et ad ſupplicia pertinet, quibus affecit innocentes a libi-

gitus est: et quidem insciens plerumque et ignarus. Ac ne singillatim minima quaeque enumerem, revocatas liberalitates eius, iudicia rescissa, suppositos aut etiam palam immutatos datorum officiorum codicillos; Appium Silanum consocerum suum, Iuliasque, alteram Drusi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defensione ulla data, occidit: item Cn. Pompeium, maioris filiae virum, et L. Silanum, minoris sponsum. Ex quibus Pompeius in concubitu dilecti adolescentuli confossus est: Silanus abdicare se praetura ante quartum Kalendas Ianuarias, morique initio anni coactus, die ipso Claudii et Agrippinae nuptiarum. In quinque et triginta Senatores, trecentosque amplius Equites Romanos, tanta facilitate animadvertit, ut, de nece consularis viri renuntiante centurio-

dine aliorum. Ern. Recte hanc Lipsii coniecturam improbavit Burm. Contraria sunt *impunitates* et *supplicia* s. *poenae*. Conf. Galb. c. 15. *Donarit gratia passus est vectigalia, immunitates*, poenas *innocentium*, impunitates *noxiorum*.

Largitus est] Tò *est* elegantius abesset, ut oratio contexeretur sic: *ministrum egit: compendio — — largitus*. Mox alii libri *minora*, quod Oudendorpius retinuit. Male: nam *quaeque* non finit. Si esset *quoque*, secus esset. Ern. Et haec videtur vera lectio, *minora quoque*, quam exhibuit Memm. et alii quidam Mss.

Datorum officiorum codicillos] Graevius haeret non sine caussa in forma loquendi *dare officium*; proprie enim dicere debebat *datos officiorum codicillos*. Sed κακοφωνίαν vitare voluit Suetonius, quod iam praecedit *immutatos*, eamque ob caussam retulit ad *officiorum*. Talia exempla et alibi memini me observare. Vide ad Tib. c. 17. infra c. 29. Sed fortasse *datorum* est a glossatore; nam commode abesse potest. Ern. At dicitur *dare honores, provincias, imperia* etc., ut bene obiecit Oudendorp.

Ut, de nece etc.] Oudendorpius e Mss. edidit, *ut, quum*

ne, *Factum esse, quod imperasset,* negaret quidquam se imperasse, nihilo minus rem comprobaret: affirmantibus libertis, officio milites functos, quod ad ultionem Imperatoris ultro procucurrissent. Nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipse consignaverit; inductus, quasi de industria simularentur, ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quaedam ostenta portenderetur.

Auctoritas dignitasque formae non defuit 30
vel stanti, vel sedenti, ac praecipue quiescenti. Nam et prolixo, nec exili, corpore erat; et specie canitieque pulcra, opimis cervicibus. Ceterum et ingredientem destituebant poplites minus firmi, et remisse quid vel serio agen-

de nece etc., quod alias post *imperasse* deberet addi *et.* Non bene. Si *quum* esset a Suetonio, posi esset et *negasset.* Copula post *imperasse* omissa est. Ern. Et Longol. et plures codd. ex meis habent *quum,* quod minime displicet. *Quum negaret* est pro *quamvis neg.,* nec falsa est temporis ratio.

Transferendum periculum] Fabula sic acta. Interpres portenti conficti subornatus est, qui diceret, periculum imminere marito Messalinae. Id transferri posse in eum, cui Messalina nuberet. Dicis caussa et eius maritus diceretur; nam ad eius maritum pertinere portentum. Ern.

Imminere ipsi etc.] Verbum *imminere* ab optimis Latinitatis auctoribus in hac formula loquendi omittitur: nec ullum tale exemplum animadverti. Vide ad c. 15. extr. Ern. Etsi nullum aliud exemplum esset talis infinitivi, hoc facile ferendum esset, quum omnis hinc abiit suspicio alienae manus. Cavendum est, ne per nos pauperior fiat sermo Latinus.

Cap. 30. *Specie canitieque pulcra*] *Canitieque* sic positum me offendit: nam non bene convenit cum *specie.* Sed species iam est ante in *forma.* An Suetonius scripsit, *et canitie pulcra, opimis cervicibus?* Ern. *Species* ad

tem multa dehoneſtabant: riſus indecens; ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus; praeterea linguae titubantia, caputque, quum ſemper, tum in quantulocumque actu, vel maxime tremulum.

31 Valetudine ſicut olim gravi, ita princeps perproſpera uſus eſt, excepto ſtomachi dolore: quo ſe correptum etiam de conſciſcenda morte cogitaſſe dixit.

32 Convivia agitavit et ampla et aſſidua, ac fere patentiſſimis locis, ut plerumque ſexceteni ſimul diſcumberent. Convivatus eſt et ſuper emiſſarium Fucini lacus, ac paene ſubmerſus, quum emiſſa impetu aqua redundaſſet. Adhibebat omni coenae et liberos ſuos, cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum ſedentes veſcerentur. Convivae, qui pridie ſcyphum aureum ſurripuiſſe exiſtimabatur, revocato in diem poſterum, calicem fictilem apposuit. Dicitur etiam meditatus edictum, *quo veniam daret, flatum crepitumque ventris in convivio emittendi;* quum periclitatum

genus pertinet, ad partem dignitatis *canities*. Nihil reperias, quod offendat.

Humentibus naribus] *Humor narium* reſpondet *ſpumae oris:* itaque nil mutandum. Senibus in ira a calore capitis humect nares. Ern.

Cap. 32. *Convivatus eſt*] Abeſt a libris pluribus ſcriptis et edd. vett. *eſt*. Bene, ſi transponas poſt *ſubmerſus*, et deleas *ac*. Ern. Si de *epulo publico* eſſet ſermo, numerus *ſexcentenorum* mirationem non faceret: in *convivio* facit. Sed incerta divinatio eſt. Vide Intpp. ad Tac. Ann. 6, 19.

Veſcerentur] Elegantius hoc, quam *veſcebantur:* ſed tamen Mſſ. plures habent *veſcenti;* unde Oudendorpius locum ſic corrigit, ut deleat *qui*. Mox *pridie* mihi olet gloſſam. Ern. Sine cauſſa.

quendam prae pudore ex continentia, reperiſſet.

Cibi vinique quocumque et tempore et lo- 33
co appetentiſſimus. Cognoſcens quondam in Auguſti foro, ictusque nidore prandii, quod in proxima Martis aede Saliis apparabatur, deſerto tribunali, adſcendit ad ſacerdotes, unaque decubuit. Nec temere umquam triclinio absceſſit, niſi distentus ac madens, et ut ſtatim ſupino ac per ſomnum hianti, pinna in os inderetur, ad exonerandum ſtomachum. Somni breviſſimi erat: (nam ante mediam noctem plerumque evigilabat:) ut tamen interdiu nonnumquam in iure dicendo obdormiſceret, vixque ab advocatis, de induſtria vocem augentibus, excitaretur. Libidinis in feminas profuſiſſimae, marium omnino expers. Aleam ſtudioſiſſime luſit: de cuius arte librum quoque emiſit: ſolitus etiam in geſtatione ludere, ita eſſedo alveoque adaptatis, ne luſus confunderetur.

Saevum et ſanguinarium natura fuiſſe, ma- 34
gnis minimisque apparuit rebus. Tormenta quaeſtionum poenasque parricidarum repraeſentabat, exigebatque coram. Quum et ſpectare antiqui moris ſupplicium Tiburi concupiſ-

Prae pudore ex continentia] Dura haec ſunt meo ſenſu, *prae pudore*, aut ſpurium arbitror, aut, quod malim, poſt *ex continentia* ponendum, quod probavit Oudendorpius. Ern.

Cap. 33. *Nam — evigilabat*] Haec in parentheſi dicta: nam ſequentia pertinent ad illa, *Somni breviſſimi erat.* Ern.

In geſtatione ludere etc.] Quod eſt, quum eſſedo veheretur, ſive iter eſſedo faceret, geſtandi cauſſa tantum, non, ut peregre abiret. Ern.

Cap. 34. *Antiqui moris ſupplicium*] Ut virgis caederetur, qui ſupplicio afficien-

ſet, et, deligatis ad palum noxiis, carnifex deeſſet, accitum ab Urbe veſperam usque opperiri perſeveravit. Quocumque gladiatorio munere, vel ſuo, vel alieno, etiam forte prolapſos iugulari iubebat, maxime retiarios, ut exſpirantium facies videret. Quum par quoddam mutuis ictibus concidiſſet, cultellos ſibi parvulos ex utroque ferro in uſum fieri ſine mora iuſſit. Beſtiariis meridianisque adeo delectabatur, ut et prima luce ad ſpectaculum deſcenderet; et meridie, dimiſſo ad prandium populo, perſederet; praeterque deſtinatos, etiam levi ſubitaque de cauſſa, quosdam committeret, de fabrorum quoque ac miniſtrorum, atque id genus numero, ſi automatum, vel pegma, vel quid tale aliud parum ceſſiſſet. Induxit et unum ex nomenculatoribus ſuis, ſicut erat togatus.

35 Sed nihil aeque quam timidus ac diffidens fuit. Primis imperii diebus, quamquam, ut diximus, iactator civilitatis, neque convivia inire auſus eſt, niſi ut ſpeculatores cum lanceis circumſtarent, militesque vice miniſtrorum fungerentur; neque aegrum quemquam viſitavit,

dus erat. Conf. Ner. c. 49. et Domit. c. 11.

Beſtiariis meridianisque] *Meridiani* ſunt gladiatores, qui poſt *beſtiarios*, mane pugnantes, committebantur. Conf. Lipſ. Saturn. 2, 15. et ad Senec. Ep. 7.

Sicut erat togatus] Cave Caſaubono credas. Utraque enim conſtructio uſitata eſt Suetonio. Vide ſupra c. 9. Calig. c. 45.

Cap. 35. *Spiculatores* etc.] Quod fuit ita, uti cetera, quae mox ſequuntur, parum civile, ſed regium et tyrannicum. MſS. plures et meliores habent *ſpeculatores;* quod bene recepit Oudendorpius, qui vulgatum nec Latinum putat. Eum nos imitati ſumus. Ern.

nisi explorato prius cubiculo, culcitisque et stragulis praetentatis et excussis: reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus, et acerbissimos. Sero enim ac vix remisit, ne feminae praetextatique pueri et puellae contrectarentur, et ne cuius comiti aut librario calamariae aut graphiariae thecae adimerentur. Motu civili, quum eum Camillus, non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa et minaci et contumaci epistola cedere imperio iuberet, vitamque otiosam in privata re agere: dubitavit, adhibitis principibus viris, an obtemperaret.

Quasdam insidias temere delatas adeo ex- 36
pavit, ut deponere imperium tentaverit. Quodam, ut supra retuli, cum ferro circa sacrificantem se deprehenso, Senatum per praecones propere convocavit; lacrimisque et vociferatione miseratus est conditionem suam, cui nihil tuti usquam esset; ac diu publico abstinuit. Messalinae quoque amorem flagrantissimum, non tam indignitate contumeliarum, quam periculi metu, abiecit, quum adultero Silio acquiri imperium credidisset: quo tempore foedum in modum trepidus ad castra confugit, nihil tota via, quam, essetne sibi salvum imperium, requirens.

Nulla adeo suspicio, nullus auctor tam le- 37
vis exstitit, a quo non, mediocri scrupulo iniecto, ad cavendum ulciscendumque compelleretur. Unus ex litigatoribus seducto in saluta-

Dubitavit — an obtemperaret] Intell. cogitavit, secum perpendit. Ut saepe hoc vocabulum usurpatur a Cicerone.

Cap. 37. *Nullus auctor tam levis*] H. e. rumigerulus, quamvis famam levissime captans.

tione affirmavit, vidisse se per quietem, occidi eum a quodam: dein paullo post, quasi percussorem agnosceret, libellum tradentem adversarium suum demonstravit; confestimque is pro deprehenso ad poenam raptus est. Pari modo oppressum ferunt Appium Silanum: quem quum Messalina et Narcissus conspirassent perdere, divisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se, vim ei ab Appio illatam: altera, in admirationem formata, sibi quoque eandem speciem aliquot iam noctibus obversari retulit. Nec multo post ex composito irrumpere Appius nuntiatus, cui pridie, ad id temporis ut adesset, praeceptum erat, quasi plane repraesentaretur somnii fides, arcessi statim ac mori iussus est. Nec dubitavit postero die Claudius, ordinem rei gestae perferre ad Senatum, ac liberto gratias agere, quod pro salute sua etiam dormiens excubaret.

38 Irae atque iracundiae conscius sibi, utrumque excusavit edicto, distinxitque, pollicitus

Pro deprehenso] I. e. tamquam deprehensus. Ut Octav. c. 24. *pro libero*. Vulgo hodie in tali loco ponunt *qua*, ex usu cadentis Latinitatis.

In admirationem formata] Vultu composito ad admirationem. In verbo *formari* h. l. latet significatio affectationis s. simulationis. Minus recte Burmannus exposuit, *ante instructa*.

Arcessi statim ac mori] Explicant, *arcessi crimine, accusari*. Sed ita non loquitur S. nec res patitur: immo eleganter emendavit Lips. ad Tac. Ann. 11, 29. *arceri*, h. e. excludi a militibus, quum nuntiaretur irrumpere. Transponit ille etiam, *ac statim mori*.

Ordinem rei gestae perferre] Non usitatum in ea re verbum, ut opinor, sed *deferre*. Ern. Certe non proprium, sed quasi de nuntio.

Cap. 38. *Utrumque excusavit*] Tirones notent neutrum

alteram quidem brevem et innoxiam, alteram non iniuſtam fore. Oſtienſibus, quia ſibi ſubeunti Tiberim ſcaphas obviam non miſerint, graviter correptis, eaque cum invidia, *ut in ordinem ſe coactum* conſcriberet, re-

duobus femininis ſubiectum, videantque Drakenb. ad Liv. 44, 36. De Claudiana diſtinctione *irae* et *iracundiae* ſatis fuerit monere, hanc breviorem, illam diuturniorem videri. Id arguunt ſeqq.

In ordinem ſe coactum] II. e. contemptum, deſpicatui habitum. Locutio ducta ex militia, ubi milites extra ordinem ſuum in agmine egreſſi a ductoribus in ordinem cogi dicuntur. Vide ad Liv. 35, 4. et Veſp. c. 15.

Conſcriberet] Burmanno ſuſpectum verbum: primum, quia coram corripuiſſe Oſtienſes videatur Claudius; deinde, quia verbo *conſcribendi* ſic non utantur veteres, ſi vel maxime de epiſtola accipiendus locus eſſet. Ego vero exiſtimem, ſi oſtendi poſſit, τὸ *conſcriberet* hic commodum et a Latina ratione non abhorrentem ſenſum habere, non dubitandum eſſe, quin per litteras, non coram, correpti ſint Oſtienſes. *Conſcriberet* autem dici poſſe, pro, ſimul, una ſcriberet, adiiceret, aut adeo pro *ſcriberet*, ſic demonſtro. Cicero Verr. 5, 4. *nihil, quod iſte Romam publice conſcripſerit;* quod nihil aliud eſt, quam *ſcripſerit*, ubi ſimiliter Graevius e codice regio legi vult *ſcripſerit*. Sic et alia talia verba dicuntur. Apud eundem Ciceronem ad Div. 5, 9. de uno, *ut terra marique conquireretur*, pro quaereretur; eſt enim ſermo de uno ſervo fugitivo. Similiterque Verr. 4, 48. Ceres dicitur Proſerpinam *conquiſiviſſe*. Porro Virgilius Aen. 9, 375. *conclamat ab agmine Volſcens*, pro clamat, exclamat, ubi ſimilem locum e Statio attulit Burmannus. Livius 10, 18. *Tuſci fere omnes conſciverant bellum*, i. e. ſciverant, decreverant. Idem 40, 45. *tempeſtas aliquot ſigna conſtravit*, quod eſt aut *ſtravit* ſimpliciter, aut ſimul, una ſtravit; neque erat, quare in eo haereret Drakenborchius et reſcribi vellet *proſtravit:* nam talia verba ſaepe dicuntur ſic, ut adiunctionem et coniunctionem ſignificent. Sic idem illud *conſcribere* apud Ciceronem ad Att. 12, 19. dicitur pro una, ſimul ſcribere, *Balbus ad me cum Oppio conſcripſit;* ubi nihil impedit,

pente, tantum non ſatisfacientis modo, veniam dedit. Quosdam in publico parum tempeſtive adeuntes manu ſua repulit. Item ſcribam quaeſtorium, itemque praetura functum Senatorem, inauditos et innoxios, relegavit: quod ille adverſus privatum ſe intemperantius affuiſſet; hic, in aedilitate inquilinos praediorum ſuorum contra vetitum cocta vendentes multaſſet, villicumque intervenientem flagellaſſet. Qua de cauſſa etiam coercitionem popinarum Aedilibus ademit. Ac ne ſtultitiam quidem ſuam reticuit, ſimulatamque a ſe ex induſtria ſub Caio, quod

quominus etiam interpretere *ſcripſit*. Livius 4, 4. *Cur enim non confertis?* i. e. cur non in rogatione veſtra additis, ſimul fertis? Habent tamen quidam libri ſcripti et editi *adſcriberet*. Ern.

Satisfacientis modo] Tali oratione vultuque, ut deprecari potius iniuriam, Oſtienſibus factam obiurgatione illa, videretur. Ern. Fieri etiam hoc potuit per litteras, ut bene obſervavit Bremius.

Intemper. affuiſſet] Cauſſam contra ſe ita egiſſet, ut in Claudium quaedam vehementius et contumelioſius diceret. Ern.

Praediorum] Intellige urbanorum. Sed quoniam *praedia urbana* non modo aedificia in Urbe dicuntur, ſed etiam pars villae ea, quae non ruſticae rei ſervit, ſed uſibus dominorum et urbanorum aedificiorum modo exſtructa et ornata, ut ICti docent L. 189. de verb. ſignif., Iuſtinianus Inſtitt. 2, 3., conf. Chriſtium Villatic. p. 89., dubitatio exſiſtere poteſt, utrum domus in Urbe, an villa intelligenda, praeſertim quum villici mentio fiat. Sed de priori capiendum haud dubie, propter inquilinos, et quidem cocta vendentes, et Aedilem. *Villicum* autem de oeconomo, procuratore, generatim dici, ſatis notum eſt. Ern.

Contra vetitum] Atqui in Ner. c. 14. dicit, ante Neronem nullum non obſonii genus in popinis propoſitum fuiſſe, primumque id prohibuiſſe Neronem. Et Claudius ipſe favebat popinis, c. 40., et, ſe iuvene, abundaſſe obſoniis et vino praedicabat. Unde colligo, eo tempore, de quo hic ſermo, non edicto aliquo principis ac lege, ſed Aedilium, qui tum

aliter evafurus perventurusque ad fusceptam ftationem non fuerit, quibusdam oratiunculis teftatus eft. Nec tamen perfuafit: quum intra breve tempus liber editus fit, cui index erat μωρῶν ἀνάστασις; argumentum autem, *ftultitiam neminem fingere.*

59 Inter cetera in eo mirati funt homines et oblivionem et inconfiderantiam; vel, ut Graece dicam, μετεωρίαν et ἀβλεψίαν. Occifa Meffalina, paullo poft quam in triclinio decubuit, *cur domina non veniret*, requifivit. Multos ex iis, quos capite damnaverat, poftero ftatim die et in convivium et ad aleae lufum admoveri iuffit; et, quafi morarentur, ut fomni-

erant, edicto prohibitam rem fuiffe, aliumque alio in ea re feveriorem fuiffe. Ern.

Perventurusque ad fusceptam ftationem] Similiter *ftationem*, pro imperii munere, dixerat Plinius, et *capeffere ftationem*, Paneg. c. 7., ultra quam aetatem ifta ratio non asfurgit, fcil. in narratione hiftorica, et velut proprium verbum, ut hic, et cum verbo, cui proprie *ftatio* non convenit. Ern.

Nec tamen perfuafit] Sic edidimus, fecuti Gronovium et Burmannum, etfi codd. et edd. fere habeant, *nec ante perfuafit, quam*, vel, *nec tamen ante perfuafit:* nam illa lectio Latina eft, et intelligi poteft. Marklandus Epift. crit. p. 22. legendum putat, *nec ante deftitit, quam* etc. Sed hoc eft vim facere; praeterquam quod verba, *intra breve tempus*, et coniunctivus *editus fit*, hanc lectionem non patiuntur. Ern.

Ἀνάστασις] Codd. et edd. ἐπανάστασις, quod et revocavit Oudendorpius. Utrum verius fit, intelligi, ut opinor, non poteft, amiffo libro: nam utrumque explicari poteft. Ern. Conf. Toupii Ep. crit. p. 21. (ed. Lipf. 17.)

Cap. 59. *Oblivionem* — μετεωρίαν] Eft genus ftuporis, quum aliquis non meminit eorum, quae vix videtur oblivifci poffe: cuius exemplum eft, quod in Meffalina occifa Claudio accidit. Dicitur fic μετεωρία ab eo, quod μετέωροι funt fluctuantes, inftabiles, incerti. Ern.

Admoveri] Hanc lectionem edd. vett. et plurimorum codd.

culoſos per nuntium increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam uxorem, non ceſſavit omni oratione *filiam, et alumnam, et in gremio ſuo natam, atque educatam,* praedicare. Adſciturus in nomen familiae ſuae Neronem, quaſi parum reprehenderetur, quod adulto iam filio privignum adoptaret, identidem divulgavit, *neminem umquam per adoptionem familiae Claudiae inſertum.*

40 Sermonis vero rerumque tantam ſaepe negligentiam oſtendit, ut nec quis, nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, ſcire aut cogitare exiſtimaretur. Quum de laniis ac vinariis ageretur, exclamavit in curia: *Rogo vos,*

ſervavi, repudiata altera *admoneri*, quam Pulmannus, Torrentius, Graevius, Burmannus et Oudendorpius recepere: nam quod Burmannus putat, *in convivium admoveri* non dici, id nihil eſt. Primo, nemo hodie ignorat, verba ſaepe poni ea, quae proximo tantum verbo reſpondeant, non etiam accurate ceteris. Cicero de Nat. deor. 1, 64. *Nec vero ſupra terram, ſed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet utilitas.* Cuius generis exempla e Graecis et Latinis permulta afferri poſſent, niſi iam ab aliis Viris doctis paſſim factum ſciremus. Et tamen etiam Curtius 9, 2. dixit, *in propriorem amicitiae locum admoveri.* Deinde, quis, quaeſo, dixit, *in convivium admoneri*? Porro ſtupor non eſt in eo, quod mortuos iuſſit admoneri, circa tempus convivii, aut luſus, ut, invitati antea, venirent, ſed, quod invitari iuſſit: de admonitione mox ſeparatim dicit. Tum *admovere* eſt verbum proprium in tali re, ut *adhibere:* eaque verba de multis communiter dicuntur, ut Lexica docent. Ern. Haec ſatis ſpecioſa ſunt: diſplicent tamen Oudendorpio et Ruhnk. Solebant veteres etiam prius invitatos, inſtante coenae hora, miſſo ſervo admonere ad properandum. Vide H. Grot. ad Matth. 22, 4.

Cap. 40. *Scire aut cogitare*] *Aut* pro *ac* edidi nunc e Mſ. Lyſer. et pluribus aliis, cum Oudendorpio; eſt enim ſine dubio melius. Ern.

quis potest sine offula vivere? descripsitque abundantiam veterum tabernarum, unde solitus esset vinum olim et ipse petere. De Quaestore quodam candidato inter caussas suffragationis suae posuit, *quod pater eius frigidam aegro sibi tempestive dedisset.* Inducta teste in Senatu, *Haec*, inquit, *matris meae liberta et ornatrix fuit: sed me patronum semper existimavit. Hoc ideo dixi, quod quidam sunt adhuc in domo mea, qui me patronum non putant.* Sed et pro tribunali, Ostiensibus quiddam publice orantibus, quum excanduisset,

Veterum tabernarum] Malim, *veterem abundantiam tabernarum*, quae se adolescente fuerit. Sed vide ad c. 29. Ern. Intell. *tabernarum* prioris temporis. Vulgatam vel locus vocabuli defendit.

Quaesturae candidato] Necessariam emendationem Beroaldi, quam Bonon. et Paris. edd. recepere, et ipse recepi necessario, quum vulgata lectio, *Quaestore*, absurda sit, absurdeque explicetur et defendatur. *Quaestores*, aiunt, hac aetate, *candidati* dicti, scil. Caesaris. Nemo nescit. Quid inde pro loco hoc? Nihil. Primo, Quaestores candidati Caesaris dicuntur, ubi iam Quaestores creati sunt: hoc loco autem est de petente quaesturam, quem Caesar commendat. Deinde, si candidatum Caesaris capiamus de eo, quem Caesar commendet, debet esse, *candidato suo*, nec ille appellaretur iam *Quaestor*. Sermonem autem esse de petente quaesturam, docet verbum *suffragationis*. Ceterum hanc emendationem probat etiam Graevius. Ern. Et nostri codd. exhibent *Quaestore*, qui *candidatus* intelligi potest vel praeturae vel alius muneris: *quum Quaestor quidam nomen inter candidatos professus esset.* Ita si peccamus, servanda hac scriptura, in partem tutiorem peccare decet.

Sunt — qui me patronum non putant] E Latinitate meliori scribendum, *non putent*, ut Tib. c. 73., ubi pariter libri plures *putant*, male. Ern. Ibi est, *Sunt, qui putent*, ut Caes. c. 86., ubi inde a Ciceronis temporibus in usu fuit coniunctivus. Sed additum *quidam* mutat rationem, ni fallor.

Nihil habere se, vociferatus est, *quare eos demereatur; si quem alium, et se liberum esse.* Nam illa eius quotidiana, et plane omnium horarum et momentorum erant, *Quid, ego tibi Theogonius videor?* et, λάλει, καὶ μὴ θίγγανε. Multaque talia, etiam privatis deformia, nedum principi, neque infacundo, neque indocto, immo etiam pertinaciter liberalibus studiis dedito.

41 Historiam in adolescentia, hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavo etiam adiuvante, scribere aggressus est. Et quum primum frequenti auditorio commisisset, aegre perlegit, refrigeratus saepe a semet ipso. Nam, quum initio recitationis defractis compluribus subselliis obesitate cuiusdam, risus exortus esset, ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo subinde facti reminisceretur, cachinnosque revocaret. In principatu quoque et scripsit plurimum, et assidue recitavit per lectorem. Initium autem sumpsit historiae post caedem Caesaris Dictatoris. Sed et transiit ad inferiora tempora, coepitque a pace civili; quum sentiret, neque libere, neque vere, sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, cor-

Et se liberum esse] Stultitia est in eo, quod loquitur tamquam privatus pro tribunali. Infensus erat Ostiensibus. *Se liberum esse*, dicit, in negando ulciscendoque. Cicero Act. I. in Verr. c. 9. *Siculos in eo liberos fuisse, et non venisse.* Ad Div. 12, 28. *liber in ulciscendo.* Ern.

Theogonius] Alii aliter. Non est tanti. Est nomen infamis et vilis hominis. Mox λάλει etc. est, *loquere, et verberibus abstine.* Ern.

Cap. 41. *Refrigeratus*] Favore privatus, quem tulisset, omisso illo risu, et frigide adeo, sua culpa, auditus. Vide Lipsium ad Vellei. 2, 83. Ern. Ibidemque Ruhnk. et infra Vit. Lucani.

reptus ſaepe et a matre et ab avia. Prioris materiae duo volumina, poſterioris unum et quadraginta reliquit. Compoſuit et *De vita ſua* octo volumina, magis inepte, quam ineleganter: item *Ciceronis defenſionem adverſus Aſinii Galli libros*, ſatis eruditam. Novas etiam commentus eſt litteras tres, ac numero veterum, quaſi maxime neceſſarias, addidit: de quarum ratione quum privatus adhuc volumen edidiſſet, mox princeps non difficulter obtinuit, ut in uſu quoque promiſcuo eſſent. Exſtat talis ſcriptura in plerisque libris, ac diurnis titulisque operum.

Nec minore cura Graeca ſtudia ſecutus 42
eſt, amorem praeſtantiamque linguae occaſione omni profeſſus. Cuidam barbaro, Graece et Latine disſerenti, *quum utroque*, inquit, *ſer-*

Litteras tres] Lipſius ad Tac. Ann. 11, 14. duas reperit, digamma F, quod ſcil. pro V ſcriberetur, ut AMPLIAFIT, et antiſigma ƆC, quamquam in eo discrepat Burmannus, quod, quum Lipſius antiſigma poſitum pro Graeco ψ putet, ipſe potius pro ξ ſcriptum exiſtimat, ut *SAƆCA* pro *SAXA*; quod probo. Reſtat igitur, ut quaeratur, quid pro *ps* ſeu *bs* ſcribi Claudius voluerit, ſ. quae tertia illa littera fuerit. Ern. Nihili eſt Burmanni opinio de antiſigmate. Nam *cs* vel *ks* multo ante Claudium per ſingularem litteram ſcribebatur: ſimilem ergo optavit pro *bs* vel *ps*; antiſigma dictum a forma duplicis C, ita ſcripta olim pro Σ. De tertia littera, quae fuerit et qualis, probabiliter disputavit Taylor ad Marmor Sandvic. p. 47.

Diurnis titulisque operum] *Diurna*, intellige, acta. Torrentius coniicit, *libris actorum diurnorum*, mutationemque ortam e compendiaria ſcriptura *act. diur.* Sed τὸ *plerisque* non convenit. Malim, *diurnis actis*, aut, *actis diurnis* cum Burmanno. *Titulos*, in quibus digamma Aeolicum occurrit, attulerunt Viri docti ad h. l. Conf. tamen etiam Fabretti Inſcriptt. p. 473. Ern. Offendit ipſum *ac*: igitur nihil melius quam *Actis diurnis*.

mone nostro sis paratus. Et in commendanda Patribus conscriptis Achaia, *gratam sibi provinciam*, ait, *communium studiorum commercio.* Ac saepe in Senatu legatis perpetua oratione respondit. Multum vero pro tribunali etiam Homericis locutus est versibus. Quoties quidem hostem vel insidiatorem ultus esset, excubitori tribuno, signum de more poscenti, non temere aliud dedit, quam

῎Ανδρ᾽ ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ.

Denique et Graecas scripsit historias, Τυῤῥηνικῶν XX, Καρχηδονιακῶν VIII. Quarum caussa veteri Alexandriae Museo alterum additum ex ipsius nomine; institutumque, ut quotannis in altero Τυῤῥηνικῶν libri, in altero Καρχηδονιακῶν, diebus statutis, velut in auditorio, recitarentur toti a singulis per vices.

43 Sub exitu vitae, signa quaedam, nec obscura, poenitentis et de matrimonio Agrippinae, deque Neronis adoptione, dederat. Siquidem, commemorantibus libertis, ac laudantibus cognitionem, qua pridie quandam adulterii ream condemnaverat, *sibi quoque in fatis esse*, iactavit, *omnia impudica, sed non impunita matrimonia.* Et subinde obvium sibi Britannicum artius complexus, hortatus est, *ut cresceret, rationemque a se omnium factorum acciperet*, Graeca insuper voce prosecutus: ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. Cumque impubi, tene-

Cap. 42. *Alterum additum*] Museum s. Musium *Claudium.* Vox *alterum* ex uno et incerto cod. addita est; a plerisque omnibus abest. Nec necessarium videtur, si constructio referatur ad id genus, quod explicui ad Caes. c. 80. p. 101.

Cap. 43. *Ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται*] Recepi, quod e vesti-

roque adhuc, quando ſtatura permitteret, togam dare destinaſſet, adiecit: *ut tandem populus Romanus verum Caeſarem habeat.*

Non multoque poſt teſtamentum etiam conſcripſit, ac ſignis omnium magiſtratuum obſignavit. Prius igitur, quam ultra progrederetur, praeventus eſt ab Agrippina, quam praeter haec, conſcientia quoque, nec minus delatores multorum criminum arguebant. Et veneno quidem occiſum convenit: ubi autem, et per quem dato, discrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum ſacerdotibus, per Halotum ſpadonem praeguſtatorem: alii, domeſtico convivio, per ipſam Agrippinam, quae boletum medicatum avidiſſimo ciborum talium obtulerat. Etiam de ſubſequentibus diverſa fama eſt. Multi ſtatim, hauſto veneno, obmutuiſſe aiunt, excruciatumque doloribus nocte tota, defeciſſe prope lucem. Nonnulli inter initia conſopitum, deinde cibo affluente evomuiſſe omnia, repetitumque toxico, incertum, pultine addito, quum velut exhauſtum refici cibo oporteret, an immiſſo per clyſterem; ut quaſi abundantia laboranti etiam hoc genere egeſtionis ſubveniretur. 44

giis codd., probantibus doctiſſimis hominibus, reperit Petrus Victorius Variar. Lect. 24, 14. Eſt oraculum Telepho olim datum, quod in proverbium abiit. Vulgatum, ὁ ἔρως δ᾽ ἐπείγεται, ſenſum quidem non abſurdum habet, ſed languentem tamen, et nihil ad eum, qui e recepto oritur; de quo vide copioſe diſſerentem Hemſterhuſium ad Luciani Nigrinum T. I. p. 82. Ern.

Cap. 44. *Convenit — discrepat*] Scil. inter auctores rerum. Ita enim abſolute dicitur utrumque pro *conveniunt, discrepant ſcriptores.* Conf. Drakenb. ad Liv. 3, 31.

Boletum medicatum] I. e. veneno infectum, ut ap. Plin. 23. 7. *medicatae ficus.*

45 Mors eius celata eſt, donec circa ſucceſſorem omnia ordinarentur. Itaque et quaſi pro aegro adhuc vota ſuscepta ſunt, et inducti per ſimulationem comoedi, qui velut deſiderantem oblectarent. Exceſſit tertio Idus Octobris, Aſinio Marcello, Acilio Aviola, Conſulibus, quarto et ſexageſimo aetatis, imperii quartodecimo anno; funeratus eſt ſollemni principum pompa, et in numerum deorum relatus. Quem honorem, a Nerone deſtitutum abolitumque, recepit mox per Veſpaſianum.

46 Praeſagia mortis eius praecipua fuerunt, exortus crinitae ſtellae, quam cometen vocant: tactumque caelo monumentum Druſi patris: et quod eodem anno ex omnium magiſtratuum genere plerique mortem obierant. Sed nec ipſe ignoraſſe, aut disſimulaſſe ultima vitae ſuae tempora videtur, aliquot quidem argumentis. Nam et quum Conſules deſignaret, neminem ultra menſem, quo obiit, deſignavit: et in Senatu, cui noviſſime interſuit, multum ad concordiam liberos ſuos cohortatus, utriusque aetatem ſuppliciter Patribus commendavit. Et in ultima cognitione pro tribunali, *acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis*, quamquam abominantibus, qui audiebant, ſemel atque iterum pronuntiavit.

Cap. 45. *Circa ſucceſſorem*] Genus loquendi nuper demum receptum in Latinitatem. Aurea aetas hoc *circa* variis modis circumloquitur.

Cap. 46. *Sed nec ipſe*] Sic Longol. et multi alii Mſſ. Vulgo *ipſe nec*, invito uſu loquendi.

Ad finem mortalitatis] I. e. ſortis humanae. Vide Schulting. ad Quintil. Declamm. 1, 6.

SUETONII

LIBER SEXTUS.

NERO CLAUDIUS CAESAR.

Ex gente Domitia duae familiae claruerunt, 1 Calvinorum et Aënobarborum. Aënobarbi auctorem originis, itemque cognominis habent L. Domitium: cui rure quondam revertenti iuvenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nuntiaret Senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atque in fidem maiestatis, adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum aerique assimilem capillum redderent. Quod insigne mansit et in posteris

Cap. 1. *Maiestatis*] Divinitatem indicari contextus docet. Gloss. Philox. *Maiestas*, θειότης. Vide Graevium ad Cic. Or. pro Milon. c. 30. et Salmasium ad Trebell. Gallienos c. 14. Ern.

Capillum] Burmannus legendum censet *pilum;* quod *capillus* de barba apud prosaicos scriptores non dicatur. Atqui etiam Cicero Offic. 2, 7. de Dionysio: *Cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adurebat capillum*, quae est omnium librorum lectio: quamquam idem Cicero Tusc. 5, 20. habet *barbam et capillum*, atque inde Valer. Maxim. 9, 13. extr., ut in priori loco *barba* possit videri omissa. Sed tamen in posteriori loco Ciceronis per *capillum* intelligam pilos barbae: nam capillus capitis neque cultris tondetur, neque putaminibus ardentibus iuglandium adustus est, ut opinor. Ern. Proprie *capillus* est capitis simul et barbae, eodem ille plerum-

eius, ac magna pars rutila barba fuerunt. Functi autem confulatibus feptem, triumpho cenfuraque duplici, et inter patricios allecti, perfeverarunt omnes in eodem cognomine. Ac ne praenomina quidem ulla, praeterquam Cnaei et Lucii, ufurparunt; eaque ipfa notabili varietate, modo continuantes unumquodque per trinas perfonas, modo alternantes per fingulas. Nam primum fecundumque ac tertium Aënobarborum Lucios: fequentes rurfus tres ex ordine Cnaeos accepimus: reliquos nonnifi viciffim, tum Lucios, tum Cnaeos. Plures e familia cognofci referre arbitror: quo facilius appareat ita degeneraffe a fuorum virtutibus Nero, ut tamen vitia cuiusque, quafi tradita et ingenita, retulerit.

2 Ut igitur paullo altius repetam, atavus eius Cn. Domitius in tribunatu Pontificibus offenfior, quod alium quam fe in patris fui locum co-

que colore: deinde, ut res eft, *modo* capitis, *modo* barbae, ut h. l.

Triumpho — duplici] Cn. Aënobarbi de Allobrogibus, et Calvini de Hifpanis. Recte hinc adulationis erga Tiberium coarguerunt Viri docti Velleium 2, 10., qui, omnes Domitios ad triumphi infignia veniffe, ait. Ern.

Cenfura duplici] Cn. Aënobarborum, patris et filii, quorum ille cum L. Metello a. U. DCXXXVIII., hic cum Craffo fuit a. U. DCLXI. Ern.

Cnaei et Lucii] Torrentius male opponit Tib. c. 1., ubi praenomen Lucii repudiatum dicatur: nam locus ille ad Claudios, non ad Domitios pertinet. Ern.

Per trinas perfonas] Sic plures Mff., etiam Lyfer., et edd. vett. Recte. Alii *ternas*. *Perfonas* accipe fenfu morali, de capitibus familiarum et gentis. Ern.

Viciffim] Pro alternis, et quafi per vices. Ern.

Appareat ita — Nero] Sic, non *appareat, ita — Neronem,* Mff., etiam Lyfer., et edd. vett. Ern.

optaſſent, ius ſacerdotum ſubrogandorum a collegiis ad populum transtulit: at in conſulatu, Allobrogibus Arvernisque ſuperatis, elephanto per provinciam vectus eſt; turba militum, quaſi inter ſollemnia triumphi, proſequente. In hunc dixit Licinius Craſſus orator, *Non eſſe mirandum, quod aeneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum eſſet.* Huius filius Praetor C. Caeſarem abeuntem conſulatu, quem adverſus auſpicia legesque geſſiſſe exiſtimabatur, ad disquiſitionem Senatus vocavit: mox Conſul Imperatorem ab exercitibus Gallicis retrahere tentavit: ſucceſſorque ei per factionem nominatus, principio civilis belli ad Corſinium captus eſt. Unde dimiſſus, Maſſilienſes obſidione laborantes quum adventu ſuo confirmaſſet, repente deſtituit, acieque demum Pharſalica occubuit: vir, neque ſatis conſtans, et ingenio truci: in deſperatione rerum, mortem timore appetitam ita expavit, ut hauſtum venenum poenitentia evomuerit, medicumque manumiſerit, quod ſibi prudens ac ſciens minus no-

Cap. 2. *Transtulit*] Vide Cic. Agr. 2, 7. et nos in Clave Cic. in lege Domitia. Ern.

Superatis] Filio tribuit, quod eſt patris, ut dudum monuere Viri docti. Ern.

Vectus eſt] Alii libri *invectus eſt;* quod et ipſum Latinum eſſe docuit ad h. l. Burmannus, ut dubium ſit, utrum a Suetonio profectum ſit. Burmanno *invectus* probabilius videtur, quod triumphi mentio ſequitur: ſed *per provinciam* eſt pro altero, *vectus*. Ern.

In hunc] Nempe auctorem legis Domitiae, non Allobrogicum: nam cum illo Cenſor fuit, et in perpetua ſimultate vixit, cenſuramque egit L. Craſſus orator. Ern.

Huius] De eodem cape. Filius eſt L. Domitius. Vide Suetonium ipſum Caeſ. c. 23. Ern.

Quod ſibi etc.] Sic Mſſ. plures, et Lyſer., pro *qui id.* Recte. Ern.

xium temperaſſet. Conſultante autem Cn. Pompeio de mediis ac neutram partem ſequentibus, ſolus cenſuit hoſtium numero habendos.

3 Reliquit filium, omnibus gentis ſuae procul dubio praeferendum. Is inter conſcios Caeſarianae necis, quamquam inſons, damnatus lege Pedia, quum ad Caſſium Brutumque ſe, propinqua ſibi cognatione iunctos, contuliſſet, poſt utriusque interitum claſſem olim commiſſam retinuit: auxit etiam: nec, niſi partibus ubique profligatis, M. Antonio ſponte, et ingentis meriti loco, tradidit; ſolusque omnium ex iis, qui pari lege damnati erant, reſtitutus in patriam, ampliſſimos honores percucurrit: ac ſubinde redintegrata disſenſione civili, eidem Antonio legatus, delatam ſibi ſummam imperii ab iis, quos Cleopatrae pudebat, neque ſuscipere, neque recuſare ſidenter, propter ſubitam valetudinem, auſus, transiit ad Auguſtum: et in diebus paucis obiit, nonnulla et ipſe infamia adſperſus. Nam Antonius eum deſiderio amicae Serviliae Naidis transfugiſſe iactavit.

4 Ex hoc Domitius naſcitur, quem emptorem familiae pecuniaeque in teſtamento Augu-

Cap. 3. *Quamquam inſons*] Atqui Cicero Phil. 2, 11. inter conſcios diſerte nominat. Ad eum eſt epiſtola Ciceronis 6, 22. Ern.

In diebus paucis] Intra paucos dies, ut infra c. 30. Tib. c. 60. Ern.

Cap. 4. *Emptorem familiae*] Quia vulgo ſimpliciter dicitur *emptor familiae*, v. c. apud Ulpianum tit. 20. de teſtam. in Schultingii Iurispr. Ante-Iuſtin., ubi crebra eius mentio; propterea Viri quidam docti malint deleri *pecuniaeque*. Sed defenditur haec vox a Burmanno. Recte. In XII Tabulis etiam fuit: *ut quisque ſuper familia pecuniaque legaſſit*. Et *familiam pecuniamque* coniungi in vetere iure, dudum docuit Salmaſius ad Solin. p. 892. Conf. Burmannum

ſii fuiſſe, mox vulgo notatum eſt; non minus aurigandi arte in adoleſcentia clarus, quam deinde ornamentis triumphalibus ex Germanico bello. Verum arrogans, profuſus, immitis, Cenſorem L. Plancum via ſibi decedere Aedilis coegit: praeturae conſulatusque honore Equites Romanos matronasque ad agendum mimum produxit in ſcenam. Venationes et in Circo et in omnibus Urbis regionibus dedit: munus etiam gladiatorium; ſed tanta ſaevitia, ut neceſſe fuerit Auguſto clam fruſtra monitum edicto coercere.

Ex Antonia maiore patrem Neronis pro- 5
creavit, omni parte vitae deteſtabilem. Siquidem comes ad Orientem C. Caeſaris iuvenis, occiſo liberto ſuo, quod potare, quantum iubebatur, recuſarat, dimiſſus e cohorte amicorum,

ad Petron. 141. *Emptorem* autem *familiae* diverſum eſſe ab herede, et tantum dicis cauſſa adhiberi in teſtamento per aes et libram, dudum docuere Iurisconſulti et Schultingius l. c.: alii tamen eundem cum herede putant. Vide Relatt. Goettingg. Vol. I. p. 319. Ceterum ex h. l. videtur honori ductum fuiſſe, ſi quis a principe familiae emtor adhiberetur. Ern.

Cenſorem L. Plancum via ſibi decedere Aedilis etc.] Quaerunt, quomodo Aedilis ſummovere Cenſorem potuerit, leguntque *Cenſorium.* Male. Aedilis habet lictores et ſummotionem, Cenſor non item. Auctor Zonaras T. II. p. m. 29. Hinc, ſi ſummum ius quaeras, cedere Aedili debebat. Verum, quum Cenſores paullatim ad ſummam dignitatem perveniſſent, arrogans erat, ab Aedile ſummoveri Cenſorem. Cenſorium, h. e. privatum, ſummoveri ab Aedile, nihil arrogantiae habet. Ern.

Saevitia] Vide Claud. c. 34. Ern. Satis *ſaevitiae* ineſt in eo, ſi quis gladiatores edit ſine miſſione. Lipſ. Saturn. 2, 21.

Cap. 5. *Iuvenis*] Suſpectum eſt Viris doctis merito, et abeſt a libris nonnullis. Burmannus putat addi, ut diſtinguatur a C. Caeſare Imperatore; quod mihi non placet. Etenim et alibi ſimpliciter Caius dicitur, et addita verba, co-

nihilo modeſtius vixit. Sed et in viae Appiae vico repente puerum, citatis iumentis, haud ignarus obtrivit: et Romae, medio foro cuidam Equiti Romano liberius iurganti oculum eruit: perfidiae vero tantae, ut non modo argentarios pretiis rerum coemptarum, ſed et in praetura mercede palmarum aurigarios fraudaverit. Notatus ob haec et ſororis ioco, querentibus dominis factionum, *repraeſentanda praemia in poſterum*, ſanxit. Maieſtatis quoque, et adulteriorum, inceſtique cum ſorore Lepida, ſub exceſſu Tiberii reus, mutatione temporum evaſit: deceſſitque Pyrgis morbo

mes ad Orientem, non ignaro hiſtoriae ſufficiunt, ut poſſit a Caligula discernere: nam etſi et hic in Oriente fuit, tamen puer patris comes fuit. Non tales comites habuit Imperator Caeſar. ERN. Burmanno acceſſit Oudendorpius, me plane probante. Nam tempora poſt Caligulam tradita legentibus in *Caii Caeſaris* nomine cuique ſuccurrit hic ipſe princeps, ita ut ab eo prior *Caius*, frater *Lucii*, (Aug. c. 64.) addito epitheto *iuvenis* diſtingui debuerit. Conf. verbi cauſſa c. 6. *nam C. Caeſar*, de Caligula.

Repente — obtrivit] Elegans coniectura Caſauboni eſt *repentem*, quae et Guieto et Periz. placuit. Turbatum ordinem verborum nullae virgulae reſtituere poſſunt.

Coemptarum] In auctionibus privatis, quarum magiſtri eſſe ſolebant argentarii. Quintil. 11, 2, 24. ERN.

Sanxit] Valde hic locus torſit Interpretes. Alii legendum cenſuerunt, *ſororis ioco, quae querentibus* etc.; alii, *Caeſaris ioco, qui querentibus* etc.: ſed neutra coniectura probari poteſt. Primo *ſanxit* non poteſt neque ad *Caeſaris*, neque ad *ſororis* verbum referri, neque aptum eſt τῷ *ioco*, ſi vel maxime *qui* addatur, ut Caeſar ſanxiſſe dicatur: nam quis iocus eſt, ſancire tale quid? Sed et legendum foret, de Graevii Burmannique ſententia, *dixit*, vel *ait*; quod eſt vim facere. Et nec ſic placet oratio: neque enim iocus in verbis eſt, *repraeſentanda eſſe praemia*. Ego ſic interpretor: notatus per iocum a ſorore, querimonias dominorum audiente, irridendi cauſſa etiam edixit, ut in poſterum reprae-

aquae intercutis, ſublato filio Nerone ex Agrippina, Germanico genita.

Nero natus eſt Antii, poſt novem menſes, 6
quam Tiberius exceſſit, duodeviceſimo Kalendas Ianuarias: tantum quod exoriente ſole, paene ut radiis prius quam terra contingeretur. De genitura eius ſtatim multa et formidoloſa multis coniectantibus, praeſagio fuit etiam Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum negantis, quidquam ex ſe et Agrippina, niſi deteſtabile et malo publico, naſci potuiſſe. Eiusdem futurae infelicitatis ſignum evidens die luſtrico exſtitit: nam C. Caeſar, rogante ſorore, ut infanti quod vellet, nomen daret, intuens Claudium patruum ſuum, a quo, mox principe, Nero adoptatus eſt, eius ſe dixit dare: neque ipſe ſerio, ſed per iocum, et aſpernante

ſentarentur praemia, quaſi alii potius, quam ipſe, perfide in eo genere egiſſent. Quod ſi displicet, lege, *quae querentibus* etc., et *ſanxit* intellige, ſanciendum dixit; quamquam, ut dixi, ſic iocus non ſatis apparet. Ern. Ex veſtigiis codicum Oudendorp. correxit *Neronis Caeſaris ioco*, ut intelligatur Nero, Germanici filius, petulantis linguae iuvenis. Quam coniecturam probat Ruhnken.

Cap. 6. *Menſes*] Non vacat, nec inſtituti noſtri eſt, referre omnes de hoc loco ſententias. Satis habebimus, apponere lectionem codd. nonnullorum et edd. vett., praeter pauciſſimas, omnium, *natus eſt ante novem menſes, quam* etc.; quae lectio plane convenit ſenſu cum coniectura Lipſii, *natus eſt Antii nono menſe.* Oudendorpius dedit, *poſt nonum menſem.* Tiberius mortuus eſt menſe Martio. Ern.

Infelicitatis] Neceſſariam arbitror emendationem Lipſii, *felicitatis,* quam lectionem etiam in codice Mſ. ſe reperiſſe ait Urſinus. Nam quae ſequuntur, non infelicitatis omina ſunt, ſed adoptionis in nomen Claudii et imperii. Quia praecedit de formidoloſis e genitura praedictis, putarunt librarii, hic de infelicitate Neronis

Agrippina, quod tum Claudius inter ludibria aulae erat. Trimulus patrem amiſit: cuius ex parte tertia heres, ne hanc quidem integram cepit, correptis per coheredem Caium univerſis bonis; et ſubinde matre etiam relegata, paene inops atque egens, apud amitam Lepidam nutritus eſt, ſub duobus paedagogis, ſaltatore atque tonſore. Verum Claudio imperium adepto, non ſolum paternas opes recuperavit, ſed et Criſpi Paſſieni vitrici ſui hereditate ditatus eſt. Gratia quidem et potentia revocatae reſtitutaeque matris usque eo floruit, ut emanaret in vulgus, miſſos a Meſſalina, uxore Claudii, qui eum meridiantem, quaſi Britannici aemulum, ſtrangularent. Additum fabulae eſt, eosdem dracone e pulvino ſe proferente conterritos refugiſſe. Quae fabula exorta eſt, deprehenſis in lecto eius circum cervicalia ſerpentis exuviis: quas tamen aureae armillae ex voluntate matris incluſas, dextro brachio geſtavit aliquamdiu; ac taedio tandem maternae memoriae abiecit; rurſusque extremis ſuis rebus fruſtra requiſiit.

7 Tener adhuc, necdum matura pueritia, Circenſibus ludis Troiam conſtantiſſime favora-

ſermonem eſſe debere. *Eiusdem* autem ſervandum eſt; reſpicit τὸ *eius* in antecedentibus. Paullo poſt *ipſe* non placet. Nulla cauſſa eſt, quare hoc addiderit Suetonius: potius *ille* dixerit. Ern. *Ipſe* ponitur propter oppoſitionem *Agrippinae;* et tali loco potius diſpliceret *ille*. Ceterum revocavi *infelicitatis*, ſcil. populi Romani, orbis terrarum. Vix *felicitas* ita uſurpari Latine potuit de adoptione.

Armillae] In ſerpentis figuram, ut opinor, formatae; tali enim genere armillarum uſos eſſe, conſtat: Graeci καρπίους ὄφεις vocant. Vide Salmaſium ad Lamprid. Alex. Sev.

biliterque lusit. Undecimo aetatis anno a Claudio adoptatus est, Annaeoque Senecae, iam tunc Senatori, in disciplinam traditus. Ferunt, Senecam proxima nocte visum sibi per quietem, C. Caesari praecipere: et fidem somnio Nero brevi fecit, prodita immanitate naturae, quibus primum potuit experimentis. Namque Britannicum fratrem, quod se post adoptionem Aënobarbum ex consuetudine salutasset, ut subditivum apud patrem arguere conatus est. Amitam autem Lepidam ream testimonio coram afflixit, gratificans matri, a qua rea premebatur. Deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donativum proposuit: indictaque decursione praetorianis, scutum sua manu praetulit: exin patri gratias in Senatu egit. Apud eundem Consulem pro Bononiensibus Latine, pro Rhodiis atque Iliensibus Graece verba fecit. Auspicatus est et iurisdictionem Praefectus Urbi sacro Latinarum, celeberrimis patronis non translatitias, ut assolet, et breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus; quamvis interdictum a Claudio esset.

c. 41. Iosephus Antt. Iudd. 3, 7, 14. etiam cingulum sacerdotis intus cavum et in serpentis figuram conformatum fuisse, tradit. Ern.

Cap. 7. *Undecimo*] *Duodecimo* Lipsius ad Tac. Ann. 12, 25. Bene. Ern.

C. Caesari praecipere] Seneca de Br. vitae c. 7. Pueri ita *percepisse* visi sunt, ut etiam *praecipere* possent. I. e. praeceptorem agere.

Auspicatus est etc.] Praefectus Urbis creatus est per ferias Latinas: vide Claud. c. 4.: et tum iurisdictionem, velut auspicandi caussa, exercuit. Et quum mos esset, apud illos Praefectos tantum postulare ea, in quibus brevis et expedita ratio respondendi esset, ut hereditatis legitimae, et non controversae possessionem, et similia, idque facerent vulgares patroni: in Nerone, honoris caussa

Nec multo post duxit uxorem Octaviam: editque, pro Claudii salute Circenses et venationem.

8 Septemdecim natus annos, ut de Claudio palam factum est, inter horam sextam septimamque processit ad excubitores; quum ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur: proque Palatii gradibus IMPERATOR consalutatus, lectica in castra, et inde raptim appellatis militibus in curiam delatus est; discessitque iam vesperi, ex immensis, quibus cumulabatur, honoribus, tantum PATRIS PATRIAE nomine recusato, propter aetatem.

9 Orsus hinc a pietatis ostentatione, Claudium apparatissimo funere elatum, laudavit consecravitque. Memoriae Domitii patris honores maximos habuit. Matri summam omnium rerum publicarum privatarumque permisit. Primo etiam imperii die signum excubanti tribuno dedit *optimam matrem:* ac deinceps eiusdem saepe lectica per publicum simul vectus est. Antium coloniam deduxit, adscriptis veteranis e praetorio, additisque per domicilii translationem ditissimis primipilarium: ubi et portum operis sumptuosissimi fecit.

et ambitionis, magni patroni res maximas postularunt, in quibus cognitione et scientia opus. ERN.

Cap. 9. *Per domicilii etc.*] Burmannus quaerit, quid sibi velit haec *translatio domicilii* in primipilaribus. Etenim omnes, qui eo commigrarint, domicilium transtulisse. Arbitror, sic intelligendam esse, ut iis datum sit Antii domicilium, servato etiam pristino, ut duo domicilia haberent, quod fieri potuisse docent veteres ICti ad L. municipalem in Pandecte, patetque etiam ex ipso Cicerone, qui Arpini et Romae civis erat, et utrobique honores capiebat, ut duplicem patriam

Atque, ut certiorem adhuc indolem oſtenderet, *ex Auguſti praeſcripto imperaturum ſe*, 10 profeſſus, neque liberalitatis, neque clementiae, nec comitatis quidem exhibendae ullam occaſionem omiſit. Graviora vectigalia aut obolevit, aut minuit. Praemia delatorum Papiae legis ad quartas redegit, diviſis populo viritim quadringenis nummis. Senatorum nobiliſſimo cuique, ſed a re familiari deſtituto, annua ſalaria, et quibusdam quingena, conſtituit: item praetorianis cohortibus frumentum menſtruum gratuitum. Et quum de ſupplicio cuiusdam capite damnati, ut ex more ſubſcriberet, admoneretur: *Quam vellem*, inquit, *neſcire litteras!* Omnes ordines ſubinde ac memoriter ſalutavit. Agenti Senatui gratias, reſpondit: *Quum meruero*. Ad campeſtres exercitationes ſuas admiſit et ple-

duplexque domicilium haberet. Vide etiam Spanhemium Orb. Rom. Exerc. I. c. 6. Nam aegre amiſiſſent primipilares ditiſſimi domicilium Romanum, aut aliis locis, ubi aedes, agros etc. haberent. ERN.

Cap. 10. *Quibusdam quingena*] Scil. ſeſtertia. Magna ſumma, praeſertim annua. Unum de illis *quibusdam* ex Tacito novimus Ann. 13, 34., ubi vide Lipſium.

Omnes ordines] I. e. homines ex omnibus ordinibus; non omnes omnium ordinum homines. Hoc ſuperat fidem, ut monuit Lipſius. Ita non indigebimus Lipſii emendatione, *omnes Senatores ordine*, quam probat Oudendorpius. Suetonius ipſe Aug. c. 41 *Liberalitatem omnibus ordinibus, per occaſiones, frequenter exhibuit.* Sic mox, *Ad campeſtres exercitationes ſuas admiſit et plebem*, i. e. homines e plebe. ERN. Lipſii coniecturam, quamvis ab ipſo reiectam, probavit Perizonius, nec displicebat ea Ruhnkenio. Equidem plane veram puto. Nam *homines nonnullos ex quovis ordine* ſine nomenculatore ſalutare, non admodum notabile erat, nec id pati videtur Latinitas; multo minus, *praecipuos quosdam omnium ordinum*. Conf. Aug. c. 53., quem laudat Burm.

bem; declamavitque ſaepius publice: recitavit et carmina, non modo domi, ſed et in Theatro, tanta universorum laetitia, ut ob recitationem ſupplicatio decreta ſit, eaque pars carminum aureis litteris Iovi Capitolino dicata.

11 Spectaculorum plurima et varia genera edidit, Iuvenales, Circenſes, ſcenicos ludos, gladiatorium munus. Iuvenalibus ſenes quoque conſulares, anusque matronas recepit ad luſum. Circenſibus loca Equiti ſecreta a ceteris tribuit: commiſitque etiam camelorum quadrigas. Ludis, quos pro aeternitate imperii ſusceptos appellari *Maximos* voluit, ex utroque ordine et ſexu plerique ludicras partes ſustinuerunt. Notiſſimus Eques Romanus elephanto ſuperſedens per catadromum decucurrit. Inducta eſt et Afranii togata, quae *Incendium* inſcribitur: conceſſumque, ut ſcenici ardentis domus ſupellectilem diriperent, ac ſibi haberent. Sparſa et populo miſſilia omnium rerum per omnes dies; ſingula quotidie millia avium cuiusque generis, multiplex penus, teſſerae frumentariae, veſtis, aurum, argentum, gemmae, margaritae, tabu-

Declamavitque] Sic Mſſ. plures, etiam Lyſer., et edd. vett., pro *declamavit et saepius* etc. Bene: ne nimis frequens ſit *et*. Ern. Recte. Simul mox ex optimis Mſſ. corrigitur *ſed in Theatro*.

Ob recitationem] Hoc mihi de gloſſa ſuſpectum eſt: ſaltem addendum *eam*. Mox libri quidam ſcripti et edd. pr. *dedicata*. Ern. Neutro opus eſſe puto. Ac prope neceſſaria ſunt verba, *ob recit.*, ridiculi cauſſa, ut alias mentioni decretae ſupplicationis adiici ſolet *ob partam victoriam*, e. g. apud Caeſarem.

Cap. 11. *Loca Equiti*] Nam Claudius Senatoribus tantum dederat ſecreta loca. Vide in Claud. c. 21. et, quem ibi laudavimus, Lipſium. Ern. Ad Tac. Ann. 15, 32.

Per catadromum decucurrit] Unde ſunt *elephanti ſu-*

lae pictae, mancipia, iumenta, atque etiam manſuetae ferae; noviſſime naves, inſulae, agri.

12 Hos ludos ſpectavit e proſcenii faſtigio. Munere, quod in Amphitheatro ligneo, regione Martii campi intra anni ſpatium fabricato, dedit, neminem occidit, ne noxiorum quidem. Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos Senatores, ſexcentosque Equites Romanos, et quosdam fortunae atque exiſtimationis integrae; ex iisdem ordinibus confectores quoque ferarum, et varia arenae miniſteria. Exhibuit et naumachiam, marina aqua innantibus beluis, item pyrrhichas quasdam e numero epheborum, quibus poſt editam operam diplomata civitatis Romanae ſingulis obtulit. Inter pyrrhicharum argumenta, taurus Paſiphaën ligneo iuvencae ſimulacro abditam iniit, ut multi ſpe-

nambuli Galb. c. 6. Digg. l. 54. de A. E. De re mirifica vide Lipſ. Miſcell. epp. 1, 50.

Cap. 12. *E proſcenii faſtigio*] Infra c. 26. *partem proſcenii ſuperiorem* vocat. Mox *in* delevi ante *regione*, quod aliis locis non additur et abeſt a Mſſ. pluribus. ERN.

Quadringentos Senatores] Viris doctis valde arridet emendatio Lipſii ad Tac. Ann. 6, 19. *quadragenos Senatores, Equites ſexagenos.* Unde enim tot Senatores? inquit Graevius. Sed codd. omnes conſentiunt in vulgata; et Lipſius fatetur, eum dimidium Senatum eſſe. Ceterum numerus ipſe eſt nimis magnus. Quo enim tam multos? ERN. Conf. Tac. Ann. 14, 14. et 15, 32., qui ſatis habet dicere, *plures per arenam foedatos.* Mox poſt *integrae* cum Perizon. et Oudendorp. diſtinxi, ſcripſique *confectores quoque* pro vulg. *confectoresque*, de quibus vide ad Octav. c. 43.

Item pyrrhichas quasdam] *Pyrrhichas exhiberi* recte dici, ſcio. Sed *pyrrhichas e numero epheborum exhiberi*, non placet. Neque tam praedicat pyrrhicharum exhibitionem, quam epheborum in pyrrhichis. Itaque legendum videtur, *item ad pyrrhichas quosdam e numero epheborum*; ut ante dixit, *ad ferrum exhibuit Se-*

ctantium crediderunt. Icarus primo ſtatim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipſumque cruore reſperſit. Nam perraro praeſidere, ceterum accubans, primum parvis foraminibus, deinde toto podio adaperto, ſpectare conſuerat. Inſtituit et quinquennale certamen primus omnium Romae, more Graeco triplex, muſicum, gymnicum, equeſtre, quod appellavit NERONIA. Dedicatisque thermis atque gymnaſio, Senatui quoque et Equiti oleum praebuit. Magiſtros toti certamini praepoſuit Conſulares ſorte, ſede Praetorum: deinde in orcheſtram Senatumque deſcendit; et orationis quidem carminisque La-

natores etc.: alioqui nec ſequens relativum *quibus* haberet, quo referretur. Imperiti librarii, quia ante ſpectaculi genus refertur ad verbum *exhibuit*, hic quoque eodem referendum putarunt, et huic opinioni verba conformarunt. Oudendorpius coniecit *pyrrhichas C.* (centum) *numero epheborum*: pyrrhichas epheborum, centum numero, quae a centum ephebis fierent. Ingenioſe. ERN.

Cubiculum] Vide ad Caeſ. c. 76. Ceterum cubiculum dictus eſt locus, quia cubans, non ſedens in ſella curuli, ſpectabat, ut ſequentia docent. ERN.

Praeſidere] Vide ad Tib. c. 6. ERN.

Dedicatisque] Cave Lipſium et Ios. Scaligerum audias, delendum cenſentes τὸ *que*, veluti copulae vim neceſſario haberet, quae huic loco repugnat. Vide ad c. 38. ERN.

Sede Praetorum] I. e. qui praeſiderent ludis eo loco, quo Praetores ſedere ſolerent, quum ludis praeeſſent. *Praetoris tribunal* in ludis eſt in Aug. c. 44., hinc committebantur ludi. Claud. c. 21. *ludos e tribunali poſito in orcheſtra commiſit*. *Sorte* a quibusdam libris abeſt. Non diſplicet: non, quo ſenſum commodum non habeat, ſed quia durius concurrunt *ſorte, ſede*. ERN.

In orcheſtram Senatumque] Utrumque idem eſt, Claud. c. 25., nec h. l. ratio eſt, quare *Senatum* adiiciatur. Aliter eſſet, ſi ſermo eſſet de aliquo, qui locum in orcheſtra cepiſſet: tum commode, velut explicandi cauſſa, addi potuiſſet. Neque porro cecinit Nero in orcheſtra, ſed in *ſcena*, quae

tini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit; citharae autem, a iudicibus ad se delatam, adoravit, ferrique ad Augusti statuam iussit. Gymnico, quod in Septis edebat, inter buthysiae apparatum, barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem, et pretiosis-

diversa est ab orchestra. Caes. c. 39. *in quatuordecim e scena per orchestram transiit.* Necessaria igitur est emendatio Groslotii, quam et ante Sabellicus et Bongarsius protulere: *scenamque* i. e. *per orchestram in scenam descendit.* Quae Oudendorpius contra disputat, non satisfaciunt. Ante *mihi* videtur excidisse ipse post *deinde*, vel ante *descendit.* Ern. Alii rectius defendunt vulgata, in quibus ipse Groslotius, in Epp. a Burm. editis T. I. p. 358. sic explicans: *E proscenii fastigio et sede principali descendit in o. et senatorias sedes:* quale ἓν διὰ δυοῖν non ita rarum est. Addidit S. vocem *Senatus*, ut arguat, Neronem privatam Senatoris personam induisse: nec potest quis descendere in *orchestram*, nisi *ex scena.* Et anno demum DCCCXVIII Nero carmina peregit in *scena*, quod patet e Tac. 14, 20. seqq. 16, 2. seq., ubi conf. Lipsium. Haec omnia admodum probabiliter disputavit Oudendorp.

Ipsorum] Contextus docet, referendum esse ad socios certaminis. Ern.

Citharae] Sic recte cum pluribus codd. et edd. antiquis Casaubonus, quem Graevius secutus est. Male Burmannus invexit denuo *citharam*, quasi *citharae corona* non diceretur; quum non aliter dictum sit, quam *orationis et carminis corona.* Docet etiam contextus. Coronam, orationis et carminis nomine datam, recepit, sed citharae nomine decretam etc. Quis autem umquam audivit, aut legit, iudices certaminum musicorum instrumentum musicum mittere decrevisse, vel invitandi, vel praemii caussa? Ern.

Iudicibus] Consularibus illis, qui sede Praetorum praesidebant. Ern.

Buthysiae] Pro magno et sollemni sacrificio accipit Torrentius. Recte. Sic βουθυτεῖν apud Aristophanem Plut. v. 820. et βουθυσίαν apud Diodorum Siculum lib. 1. p. m. 43. accipi suspicatur Wesseling. Ern.

ſimis margaritis adornatam, Capitolio conſecravit. Ad athletarum ſpectaculum invitavit et virgines Veſtales, quia Olympiae quoque Cereris ſacerdotibus ſpectare conceditur.

13 Non immerito inter ſpectacula ab eo edita, et Tiridatis in Urbem introitum retulerim. Quem Armeniae regem, magnis pollicitationibus ſollicitatum, quum, deſtinato per edictum die oſtenſurus populo, propter nubilum distuliſſet, produxit, quo opportuniſſime potuit; dispoſitis circa fori templa armatis cohortibus, curuli reſidens apud roſtra, triumphantis habitu, inter ſigna militaria atque vexilla: et primo per devexum pulpitum ſubeuntem admiſit ad genua, allevatumque dextra exoſculatus eſt; dein precanti, tiara deducta, diadema impoſuit, ver-

Capitolio] Pro *Iovi Capitolino* cum Burmanno hanc lectionem, quae eſt omnium vett. edd. ante Caſaubonum et plurimorum codd., etiam Lyſer., reduxi; quia Latina eſt et commode explicari poteſt. Burmannus laudat locum ſimilem Petronii c. 88. et notas ibi ſuas. Ern.

Veſtales] Nam Auguſtus omnem ſexum muliebrem ab athletarum ſpectaculo ſummoverat. Aug. c. 44. Ern.

Cap. 13. *Templa*] Caveant tirones, ne aedes deorum in foro poſitas ſolas intelligant: etiam curia, baſilicae, comitium etc. templa ſunt. Vide Manutium ad Cic. pro Sextio c. 29. Sic Cicero pro Milon. c. 1. *Nam illa praeſidia, quae pro templis omnibus cernitis.* Ern.

Per devexum pulpitum] Debebat eſſe *ſupinum* vel *acclive;* quia refertur ad *ſubeuntem* Tiridatem, non ad Neronem admittentem. Sed non modo poetae, verum etiam proſaici ſcriptores verba talia, quae ad ſe referuntur, nominatim de ſitu, permutant. Sic *ſupinum* pro declivi, vel devexo, dixit Livius 7, 24. *egiſtis praecipites ſupina valle.* Ern.

Precanti] Non ad deos, ſed ad Neronem referendum, cui ſupplex ſe ſubmittebat; idem mox dixit *ſupplicare.* Ern.

Tiara deducta] Demta de capite, quod iam loco Ovidii

ba ſupplicis interpretata praetorio viro multitudini pronuntiante. Perductum inde in Theatrum, ac rurſus ſupplicantem, iuxta ſe latere dextro collocavit. Ob quae Imperator conſalutatus, laurea in Capitolium lata. Ianum geminum clauſit, tam nullo, quam reſiduo bello.

Conſulatus quatuor geſſit: primum bimeſtrem, ſecundum et noviſſimum ſemeſtres, ter- 14

Her. 21, 165. illuſtravit Burmannus. Adde Metam. 5, 480. Sed deduxit ipſe Tiridates honoris cauſſa. Ern.

Perductum deinde] Alii libri *inde*, quod recepit Oudendorpius. Non male. Ern.

Imperator conſalutatus] A populo, opinor, ut olim duces belli victores hoſtium ab exercitu, non decreto Senatus. Ern.

Laurea] Non arbitror, reſpici lauream, quam triumphantes miſere in Capitolium, ſed quam victores, Imperatores ab exercitu appellati, miſere Iovi Capitolino. Plinius Paneg. c. 8. *Allata erat ex Pannonia laurea — hanc Imperator Nerva in gremio Iovis collocarat.* Conf. infra Domit. c. 6. Ern. Et res et oratio patrocinatur coniecturae Lipſii in Antt. Lectt. 2, 8., qui liber eximius tironibus critices non ſatis commendari poteſt.

Ianum geminum clauſit] Hic locus conſtitui non poteſt, niſi cognitum ſit, ſemel, an aliquoties, Ianum Nero clauſerit. Si illud eſt, neceſſaria eſt emendatio Lipſii, aliis Viris doctis probata, *tamquam nullo reſiduo bello*, et ſententia coniungenda cum antecedentibus, ut vulgatae editiones fere faciunt. Sin alterum, quod Caſaubono placet, demonſtrari poteſt, certa eſt vulgata, et ſeparatam propoſitionem conſtituit, interpunctione maiori ab antecedentibus ſeiungendam. Illud certo demonſtrari non poſſet, etiam ſi numis aut inſcriptionibus tantum unum exemplum proderetur: nam potuerunt monumenta alia intercidiſſe. Poſterius probabile facit vanitas Neronis, cuius etiam alii Imperatores exempla dedere. Certum facient inventa forte monumenta antiqua, memoriam rei ſervantia. Itaque vulgatum ſervamus. Burmanni nota diverſis temporibus ſcripta ſibi repugnat: nam primo Lipſii ſententiam probat; mox Caſauboni. Sed haec poſterior pars addita invento nu-

tium quadrimeſtrem; medios duos continuavit; reliquos inter annua ſpatia variavit.

15 In iurisdictione poſtulatoribus, niſi ſequenti die, ac per libellos, non temere reſpondit. Cognoſcendi morem eum tenuit, ut, continuis actionibus omiſſis, ſingillatim quaeque per vices ageret. Quoties autem ad conſultandum

mo, apud Occonem, in quo Ianus Neronis Conſ. deſign. V. clauſus ſignatur. Ern.

Cap. 15. *Poſtulatoribus*] Sunt ii, qui c. 7. poſtulationes ingeſſiſſe dicuntur Neroni, ius per ferias Latinas dicenti, patroni cauſſarum. Ern.

Continuis actionibus etc.] *Continuae actiones* ſunt patronorum; *perpetuas orationes* vocat Cicero Act. 1. in Verr. 2, 18.; qualis eſt actio altera in Verrem, libris quinque comprehenſa. Ei opponitur actio altera, quae teſtibus producendis interrogandisque, litteris et tabulis proferendis, conſtat. Olim utraque actio coniungebatur, et cauſſa agebatur, primum actione perpetua, deinde teſtibus, in ſingula capita cauſſae, et litteris proferendis; quod Cicero, acturus cauſſam Verris, hactenus mutavit, ut primam actionem faceret eam, quae teſtimoniis et litteris conſtaret, deinde perpetuam additurus. Nero autem perpetuas actiones plane omitti voluit; ea haud dubie de cauſſa, qua Cicero in illo ſuo conſilio defendendo utitur l. c. c. 11.; quod cauſſa maxime conficitur teſtibus et litteris, perpetua oratione magis ingenium oratoris cernitur, cui ne quidem ſatis attendebant iudices. Quod autem ad alteram actionem attinet, in hac quoque aliquid notavit Nero: nam quum mos eſſet, dicta cauſſa, teſtes in omnia deinceps dare, ut auctor Cicero l. c. c. 18.: Nero iuſſit capita cauſſae ſeiungere, et in quodque, ſeparatim et breviter explicatum, teſtes producere, et quidem ab utraque parte. Hoc eſt, *ſigillatim quaeque per vices*. *Sigillatim* refertur ad capita cauſſae; *per vices*, ad partes litigantes. Prius illud, ut cauſſa per partes explicaretur, teſtibusque confirmaretur, eſt inventum Ciceronis, quem vide l. c. alterum a Nerone additum. Superiores Interpretes haec aut non intellexerunt, aut interpretationem lectoribus inviderunt. Ern.

Ageret] Noordkerkius, qui *continuas actiones*, et *ſigillatim, per vices*, ita, ut nos, capit, Obſervatt. p. 59. ſuſpi-

ſecederet, neque in commune quidquam, neque propalam deliberabat: ſed et conſcriptas ab unoquoque ſententias tacitus ac ſecreto legens, quod ipſi libuiſſet, perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat. In curiam libertinorum filios diu non admiſit: admiſſis a prioribus principibus honores denegavit. Candidatos, qui ſupra numerum eſſent, in ſolatium dilationis ac morae, legionibus praepoſuit. Conſulatum in ſenos plerumque menſes dedit. Defunctoque circa Kalendas Ianuarias altero e Conſulibus, neminem ſubſtituit; improbans exemplum vetus Caninii Rebili, uno die Conſulis. Triumphalia ornamenta etiam quaeſtoriae dignitatis

catur legendum, *agerent*; quod id verbum eſt patronorum, non cognoſcentis. Sed vulgata bene habet. *Res agi* dicitur etiam a principe cognoſcente: unde *rerum actus*; qui et ipſe nonnumquam de cognitione dicitur, ut alibi notavimus. Ern.

Secederet] Cum conſiliariis, quos adſumere ſolitos in cognoſcendo principes, dixi ad Claud. c. 12. 15.: nam de his capiendum contextus docet. E tribunali ſolum abiſſe, ait Burmannus; quod non capio. Tu intellige, eum ſeceſſiſſe paullulum cum conſiliariis: non ut eos palam conſuleret, aut dicere ſententiam in commune iuberet, ut alii fecerant principes; ſed ut ſcriptam cuiusque ſententiam acciperet, et deinde, non, quod pluribus, ſed quod ſibi placeret, pronuntiaſſe. Non opus fuiſſe arbiter, propterea e tribunali abire: nam ſedebant conſiliarii in tribunali circa principem. Ern. Conf. Dukerum ad Liv. 45, 37.

Quod ſibi] Secutus ſum potius, quod Burmannus recepit, quam aliorum, *quid ipſi*; quod ne Latinitas quidem patitur. Ern. Miror, quam dicat Latinitatem. *Ipſi* eſt *ſibi ipſi*, h. e. *uni*, oppoſ. *pluribus*.

Legionibus praepoſuit] Ut *legati legionum* eſſent. Vide ad Tib. c. 19. Ern.

Uno die] Et quidem in paucas horas. Vide Caeſ. c. 76. Conf. Cic. Epp. ad Div. 7, 30. Ern.

et nonnullis ex equeſtri ordine tribuit; nec utique de cauſſa militari, ſed et quibusdam rebus. Orationes ad Senatum miſſas, praeterito Quaeſtoris officio, per Conſulem plerumque recitabat.

16 Formam aedificiorum Urbis novam excogitavit; et, ut ante inſulas ac domos porticus eſſent, de quarum ſolariis incendia arcerentur: easque ſumptu ſuo exſtruxit. Deſtinarat etiam Oſtia tenus moenia promovere, atque inde foſſa mare veteri Urbi inducere. Multa ſub eo et animadverſa ſevere, et coercita, nec minus inſtituta. Adhibitus ſumptibus modus: publicae coenae ad ſportulas redactae: interdictum, ne quid in popinis cocti praeter legumina aut olera veniret, quum antea nullum non opſonii genus proponeretur: afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novae ac maleficae: vetiti quadrigariorum luſus,

Sed et quibusdam rebus] Haec eſt lectio omnium ante Caſaubonum edd. et plerorumque codd. ſcriptorum. Alteram, quam etiam Graevius et Oudendorpius recepere, *de quibusdam rebus orationes* etc., probare non poſſum, propter τὸ *plerumque*, et frigeret ſic *de quibusdam rebus.* Coniecturae Burmanni, *ſed et de quibusdam aliis*, vel, *civilibus rebus*, facile in mentem alicui veniant, ſenſumque exprimunt. *Alius* poſt *aliquis* et *quidam* ſaepe etiam apud Ciceronem omittitur. Malim *civilibus*, pro *rebus*, intellecta voce *cauſſis.* Ern. Corrupto loco nullam certam medicinam reperire poſſumus.

Cap. 16. *Et, ut ante* etc.] *Et* puto delendum: nam ipſa *forma nova* eſt in illis porticibus. Ern. Eadem opinio Perizonii, non neceſſaria. Barbare dicunt, *in ſpecie ut.*

Interdictum] Vide ad Claud. c. 38. Ern.

Afflicti ſuppliciis] Mſ. Urſ. et ed. R. Steph. *adſecti*, quod mihi non diſplicet. Et alibi haec verba confuſa. Ern.

Quadrigarior. luſus] Hunc locum, quem falſi ſunt Interpretes ſe non intelligere, ple-

quibus inveterata licentia paſſim vagantibus, fallere ac furari per iocum ius erat: pantomimorum factiones cum ipſis ſimul relegatae.

Adverſus falſarios tunc primum repertum, 17
ne tabulae, niſi pertuſae, ac ter lino per foramina traiecto, obſignarentur. Cautum, ut

rique etiam corruptum putarunt, ſic dudum arbitratus ſum capiendum eſſe. Mos invaluit paullatim, ut quadrigariis, poſt praeſtitam in Circo operam, liceret vagari per Urbem, praemiola paſſim petere, atque, veluti per iocum, auferre, ſi quid poſſent: veluti in urbe quadam Thuringiae vidi, adoleſcentes ſcholaſticos in Gregorianis ſollemnibus perſonatos paſſim per urbem vagari, munuſcula poſcere, et ſi res ferat, placentas, poma, panes, veluti per iocum, impune rapere. Ea licentia videntur quadrigarii abuſi eſſe, ut abolenda videretur. Ceterum hinc explicare tentavi non minus obſcurum illum *in victoria quadrigarium*, apud Ciceronem Fragm. Orat. in Toga candida in Clave Cic. in h. v., non improbante Menkenio, Oudendorpio aliisque. Ern.

Cap. 17. *Ne tabulae* etc.] Viri docti ad h. l. illuſtrandum iam laudarunt Paullum Sent. 5, 25, 6. ad Leg. Corn. Teſtam., qui a Senatu decretum tradit, ut in tabulis publici vel privati contractus hoc ſervaretur; ubi vide Schultingium in Iuriſpr. Ante-Iuſtin. Goeſius ait, Suetonium hic de teſtamentis loqui, Paullum de contractibus, quo nomine teſtamenta non comprehendi docet Schultingius, verum eodem SCto etiam de teſtamentis ſimiliter cautum haud dubie fuiſſe. Ego autem nullam neceſſitatem video, quare Suetonius de teſtamentis dicere putetur: nam *tabulas* ſimpliciter appellat, quae ſunt etiam contractuum aliarumque publicarum litterarum, ut diplomatum: tum mox de teſtamentis ſeparatim tradit. Ern.

Pertuſae, ac ter lino per foramina traiecto] Salmaſius ſemel, non ſaepius perforatas putat, de ſubſcr. et ſign. teſt. c. 21., quem ſequitur Schultingius l. c., et linum unum, ter per foramina traiectum. Videndus inprimis Maffeus in Iſtor. Diplom. p. 53., ubi profert tabulas diplomatis, a Galba Imperatore dati, quae hunc locum Suetonii et alterum Paulli planiſſime illuſtrant. Inde etiam diſcere ICti poterunt, quid ſit, quod Paullus dicat,

in teſtamentis primae duae cerae, teſtatorum modo nomine inſcripto, vacuae ſignaturis oſtenderentur; ac ne quis alieni teſtamenti ſcriptor legatum ſibi adſcriberet: item, ut litigatores pro patrociniis certam iuſtamque mercedem, pro ſubſelliis nullam omnino darent, praebente ae-

exteriores ſcripturas fidem interioris ſervare; quae ſtare poſſe, male negant Salmaſius et Schultingius, reponuntque *ceras,* pro *ſcripturas:* nam in illo diplomate, praeter foramina, apparet eadem extrinſecus et intrinſecus ſcriptura. Ern.

Vacuae] Intell. *heredum nominibus,* ut poſt teſtator addere nomina heredum poſſet, quos non neceſſe, nec utile adeo, ſcire ſignaturos teſtes: ſufficit ſcire, eſſe teſtatoris tabulas; id quod ipſorum eſt teſtari. Ern.

Legatum ſibi adſcriberet] Quia D. Claudius hoc caviſſe dicitur, in Digeſtis ad Leg. Corneliam de falſis, et de SCto Libon., item in Cod., erraſſe memoriae lapſu putant Cuiacius aliique Viri docti Suetonium. Atque etiam Brummerus ſuperiora illa duo, de tabulis et teſtamentis, Claudio deberi putat, ad Leg. Cinciam. Non vacat, haec in his notis excutere. Ceterum vix credibile videtur, tam diligentem ſcriptorem, qui litteras publicas in manibus haberet, in rebus, vulgo etiam tum notis, tam graviter peccare potuiſſe. Ern.

Mercedem] Hic quoque memoria lapſum Suetonium putant: nam Tacitus Ann. 11, 7. a Claudio iam dena ſeſtertia conſtituta, dicit, ultra quae ſi quis cepiſſet, repetundarum teneretur. Iterum dico, non credibile mihi videri. In his talibus tradendis non e memoria ſcribunt hiſtorici diligentes, qualis inprimis Suetonius, ſed e litteris publicis. Rem autem ſic concipio. Claudius permiſit aliquid capere, ſed nihil certi conſtituit, niſi quaſi terminum, vltra quem progredi non liceret. Sed hoc non eſt certam iuſtamque mercedem conſtituere. Nero autem etiam conſtituit, quantum ius eſſet pro unoquoque genere cauſſae poſtulare, et dare, ut neque patroni plus iuſto petere, ac capere, neque litigatores minus, quam iuſtum eſſet, dare poſſent. Haec duo longe inter ſe differre, omnes vident. Vide omnino Excurſum. Ern.

Pro ſubſelliis] Aerarium videtur ante curaſſe ſubſellia,

rario gratuita; utque rerum actu ab aerario caussae ad forum ac recuperatores transferrentur; et ut omnes appellationes a iudicibus ad Senatum fierent.

Augendi propagandique imperii neque voluntate ulla, neque spe motus umquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitavit: nec nisi verecundia, ne obtrectare parentis gloriae videretur, destitit. Ponti modo regnum, concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio, in provinciae formam redegit. 18

Peregrinationes duas omnino suscepit, Alexandrinam et Achaicam: sed Alexandrina ipso profectionis die destitit, turbatus religione simul ac periculo. Nam circuitis templis quum in aede Vestae resedisset, consurgenti ei primum lacinia obhaesit: deinde tanta oborta 19

quoties novis opus esset, et a litigatoribus deinde aliquid mercedis exegisse, ut impensae reficerentur: fortasse etiam ab iis, qui vellent animi caussa audire Oratores. Cicero Brut. c. 84. *Occupentur subsellia, sint scribae gratiosi in dando cedendoque loco:* unde suspicere, scribas exegisse, quod pro subselliis daretur, non mancipes, ut coniicit Burmannus. Sed nihil certi est. Nec magni interest. Ern.

Rerum actu] Haec verba indicant, quae sequantur, constitutiones pertinere ad rationem iudiciorum et caussarum forensium. De iudiciis exercendis constituit, ut caussae eae, quae adhuc apud aerarium actae essent, in foro et a recuperatoribus, h. e. ab iisdem disceptarentur, a quibus caussae pecuniariae privatorum etc. Veteres talem constitutionem legem iudiciariam vocant. Ern.

Cap. 19. *Oborta*] Sic Excerpta Cuiac et Voss., Lyser., edd. Steph., Cas., Graevii etc., quod melius est τῷ *coorta,* quod habent alii codd., vett. edd., servavitque Burmannus: est enim proprium de caligine ac tenebris verbum, ut omnes sciunt. *Cooriri* fere indicat vim subitam, et impetum, saltem subitum exortum rei, in qua vis et impetus inest, ut bellum, ventus, ignis et simi-

caligo eſt, ut diſpicere non poſſet. In Achaia Iſthmum perfodere aggreſſus, praetorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus eſt: tubaque ſigno dato, primus raſtello humum effodit, et corbulae congeſtam humeris extulit. Parabat et ad Caſpias portas expeditionem, conſcripta ex Italicis ſenûm pedum tironibus nova legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat. Haec partim nulla reprehenſione, partim etiam non mediocri laude digna in unum contuli, ut ſecernerem a probris ac ſceleribus eius, de quibus dehinc dicam.

20 Inter ceteras diſciplinas pueritiae tempore imbutus et muſica, ſtatim ut imperium adeptus eſt, Terpnum citharoedum, vigentem tunc praeter alios, arceſſiit; diebusque continuis poſt coenam canenti in multam noctem asſidens, paullatim et ipſe meditari exerceri-

lia, quod ab h. l. eſt alienum. Ern.

Diſpicere] Secutus ſum Burmannum potius, quam Graevium, qui recepit *deſpicere*, quod Latinitas non patitur, quidquid dicat. *Diſpicere* eſt verbum proprium, ubi caliginis et tenebrarum mentio praeceſſit. Cicero Tuſcul. 1, 19. *Qui tamen etiam, quum circumfuſi erant caligine, tamen acie mentis diſpicere cupiebant.* Idem Orat. in Sen. poſt Red. c. 3. *Poſtquam ex ſuperioris anni caligine et tenebris lucem in republica Kal. Ian. diſpicere coepiſtis:* ubi ſimiliter codd. Mſſ. habent *deſpicere;* quod tamen reiecit ibi Graevius, et retinuit vulgatum *reſpicere.* Ern.

Cap. 20. *Vigentem tunc*] Coelius ad Cic. 8, 1. *tui politici libri omnibus vigent,* i. e. maxime probantur. Cicero ipſe Orat. 3, 28. *Philonem in Academia maxime vigere audio,* et ſic pluribus ille locis. Sed maxime convenit citharoedo, quod eſt attributum vocis et motus in oratoribus, cantoribus et ſaltatoribus ſcenicis. Livius 7, 2.

que coepit; neque eorum quidquam omittere, quae generis eius artifices, vel conſervandae vocis cauſſa vel augendae factitarent. Sed et plumbeam chartam ſupinus pectore ſustinere, et clyſtere vomituque purgari, et abstinere pomis cibisque officientibus, donec blandiente profectu, (quamquam exiguae vocis et fuſcae) prodire in ſcenam concupiit: ſubinde inter familiares Graecum proverbium iactans, *occultae muſicae nullum eſſe reſpectum.* Et prodiit Neapoli primum; ac, ne concuſſo quidem repente motu terrae Theatro, ante cantare deſtitit, quam inchoatum abſolveret νόμον. Ibidem ſaepius, et per complures cantavit dies: ſumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens ſecreti a balineis in Theatrum transiit, mediaque in orcheſtra frequente populo epulatus, *ſi paullum ſubbibiſſet, aliquid ſe ſufferti tinniturum,* Graeco ſermone promiſit. Captus autem modulatis Alexandrinorum

Canticum egiſſe aliquanto magis vigente motu. Conf. Tac. Ann. 4, 61. Ern.

Plumbeam chartam] Quae Caſaubonus ad h. v. attulit, omnia propemodum ſunt etiam apud Allatium ad Fragm. Antiqu. Etruſc. p. 128. ſeq., niſi quod etiam charta plumbea laudatur ex Anaſtaſii Sergio et Gregor. III. e Cerdae Adverſ. ſacr. c. 113. Ern.

Clyſtere] Quo reſpirationem adiuvari docet etiam Celſus 2, 12. Ern.

Nullum reſpectum] Sic λόγον vel ὄφελος interpretatur, nove, pro *pretium,* ut docet Burmannus ad h. l. De proverbio praeter Lucian. in Harmonide c. 1., quem laudat Caſaubonus, vide Gellium 13., 30. et quos laudant Viri docti ad Lucianum l. c. Ern.

Νόμον] Aliis locis vocat *canticum.* Calig. c. 54. Ner. c. 39. Galb. c. 13. etc. Ern.

Sufferti aliquid] Graece ὑπόπυκνόν τι. Πυκνὸν quid ſit in muſicis, etiam Lexica docent. Ern.

laudationibus, qui de novo commeatu Neapolin confluxerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo ſegnius adoleſcentulos equeſtris ordinis, et quinque amplius millia e plebe robuſtiſſimae iuventutis undique elegit, qui diviſi in factiones, plauſuum genera condiſcerent, (*bombos* et *imbrices* et *teſtas* vocabant) operamque navarent cantanti ſibi, inſignes pinguiſſima coma, et excellentiſſimo cultu pueri, nec ſine anulo laevis: quorum duces quadragena millia HS. merebant.

21 Quum magni aeſtimaret cantare, etiam Romae Neroneum agona ante praeſtitutam diem revocavit. Flagitantibusque cunctis caeleſtem vocem, reſpondit quidem, *in hortis ſe copiam volentibus facturum*: ſed adiuvante vulgi preces etiam ſtatione militum, quae tunc excuba-

Vocabant] A diverſitate ſoni, quem varie conformatae et colliſae plaudentium manus edebant. Manus planae et expanſae *teſtas*, leviter ſinuatae, *imbrices*, cavae *bombos* videntur effeciſſe. Parum refert, talia tenere. Ern.

Pinguiſſima coma] Cape, ut *pinguem togam*, Aug. c. 82. Ern.

Cultu pueri etc.] Tò *pueri* delerem, ut placet Graevio et Burmanno, niſi aliqua ſuſpicio mihi ſupereſſet, in ea voce latere aliquem nominativum, qui ſic referatur ad *cultu*, ut *inſignes* ad *coma*. *Pubere*s nec apti ſunt huic loco, nec commode iunguntur τῷ *excellentiſſimo cultu*. Quid? ſi legamus, *excellentiſſimo culti veſtitu*? inprimis quum etiam *anuli* ſint in cultu. Sed malo, *excellentiſſima culti purpura*, ut c. 33. *vetita purpura cultam*: nam *excellentiſſimus* aptius eſt *purpurae*, quam *veſti* aut *cultui*. Excellentiſſima autem purpura eſt Tyria, infra c. 32. Sic Salomonis equites ap. Ioſeph. Antt. Iudd. 8, 7, 3. Μηκίστας καθειμένοι χαίτας, καὶ ἐνδεδυμένοι χιτῶνας τῆς Τυρίας πορφύρας. Ern. Antiquo huic ulceri nulla efficax medicina parari poteſt. Satis elegans tamen, quamvis audacula, eſt coniectura, *excellentiſſimo cul-*

bat, repraeſentaturum ſe pollicitus eſt libens; ac ſine mora nomen ſuum in albo profitentium citharoedorum iuſſit adſcribi; ſorticulaque in urnam cum ceteris demiſſa, intravit ordine ſuo, ſimul Praefecti praetorii citharam ſustinentes, poſt tribuni militum, iuxtaque amicorum intimi. Utque conſtitit, peracto principio, Nioben ſe cantaturum per Cluvium Rufum Conſularem pronuntiavit, et in horam fere decimam perſeveravit: coronamque eam, et reliquam certaminis partem, in annum ſequentem distulit, ut ſaepius canendi occaſio eſſet. Quod quum tardum videretur, non ceſſavit identidem ſe publicare. Non dubitavit etiam privatis ſpectaculis operam inter ſcenicos dare, quodam Praetorum ſestertiûm decies offerente. Tragoedias quoque cantavit perſonatus: heroum deorumque, item heroidum ac dearum perſonis effectis ad ſimilitudinem oris ſui et feminae, prout quamque diligeret. Inter cetera cantavit *Canacen parturientem*, *Oreſten matricidam*, *Oedipodem excaecatum*, *Herculem inſanum*. In qua ſabula fama eſt, tirunculum militem, poſitum ad cuſtodiam aditus, quum eum ornari ac vinciri catenis, ſicut argumentum poſtulabat, videret, accurriſſe ferendae opis gratia.

tu, puris baxeis et anulo in laevis. In omnibus Mſſ. legitur *ac*, non *nec*.

Cap. 21. *Peracto principio*] Verbis conciliandi favoris cauſſa praemiſſis. Conf. Lipſ. ad Tac. Ann. 16, 4. *Flexus genu* etc.

Non dubit. etiam privatis] Memm. habuit *daret*, plerique alii *in privatis*, et ſine particula negativa. Inde bene I. F. Gronov. ad Senec. Thyeſt. v. 715. et Perizon. correxerunt, *Dubitavit an privatis — daret*: ut Claud. c. 35. Ex hac

22 Equorum ſtudio vel praecipue ab ineunte aetate flagravit, plurimusque illi ſermo, quamquam vetaretur, de Circenſibus erat: et quondam tractum praſinum agitatorem inter condiſcipulos querens, obiurgante magiſtro, de Hectore ſe loqui ementitus eſt. Sed quum inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos Circenſes commeabat, e ſeceſſu, primo clam, deinde propalam: ut nemini dubium eſſet, eo die utique affuturum. Neque disſimulabat, velle ſe palmarum numerum ampliare: quare ſpectaculum multiplicatis miſſibus in ſerum protrahebatur, ne dominis quidem iam factionum dignantibus, niſi ad totius diei curſum, greges ducere. Mox et ipſe aurigare, atque etiam ſpectari ſaepius voluit: poſitoque in hortis inter ſervitia et ſordidam plebem rudimento, univerſorum ſe ocu-

lectione ratio reddi poteſt variarum corruptionum in Mſſ.

Cap. 22. *Equorum*] Qui in Circo certarent: *nobiles equos* vocat Ovidius Amor. lib. 3. el. 2. *Non ego nobilium ſedeo ſtudioſus equorum.* Ern.

Obiurgante magiſtro] Mſſ. quidam, in his Lyſer., et edd. *paedagogo*, quae eſt gloſſa *magiſtri*. Ern.

Minimos] V. c. Quaeſtorum, vel qui minimo apparatu ederentur. Ern.

Quare etc.] Nempe ſi palmae plures propoſitae, etiam plures fiunt miſſus: nam ſingulis miſſibus ſingulae palmae deſtinatae ſunt. Ern.

Dignantibus — — greges] Quia tanto plus lucrabantur, quanto plures miſſus, propter mercedes palmarum, de quibus dixit c. 5. *Greges* accipiunt de *aurigis;* quod grex etiam de pantomimis, aliisque generibus hominum dicatur. Id nemo dubitat. Sed ego tamen de equis potius capio, quorum potior hic ratio. *Greges nobiliſſimarum equarum* ſunt apud Ciceronem Verr. 1, 10. Verbum *ducere* aptius arbitror gregibus equorum, quam factionibus aurigarum. Ern. Accedit Oudendorp. Mihi vero cum Periz. intelligendi videntur ſervi aurigae.

lis in Circo maximo praebuit, aliquo liberto mittente mappam, unde magiſtratus ſolent. Nec contentus harum artium experimenta Romae dediſſe, Achaiam, ut diximus, petit, hinc maxime motus. Inſtituerant civitates, apud quas muſici agones edi ſolent, omnes citharoedorum coronas ad ipſum mittere. Eas adeo grate recipiebat, ut legatos, qui pertuliſſent, non modo primos admitteret, ſed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his rogatus, ut cantaret ſuper coenam, exceptusque effuſius, *ſolos ſcire audire Graecos, ſolosque ſe et ſtudiis ſuis dignos* ait. Nec profectione dilata, ut primum Caſſiopen traiecit, ſtatim ad aram Iovis Caſſii cantare auſpicatus eſt.

Certamina deinceps obiit omnia. Nam et 23
quae diverſiſſimorum temporum ſunt, cogi in unum annum, quibusdam etiam iteratis, iuſſit; et Olympiae quoque praeter conſuetudinem muſicum agona commiſit. Ac, ne quid circa haec occupatum avocaret detineretve, quum praeſentia eius urbicas res egere a liberto Helio admoneretur, reſcripſit his verbis: *Quamvis nunc tuum conſilium ſit et votum, celeriter reverti me: tamen ſuadere et optare potius debes, ut Nerone dignus revertar.* Cantante eo,

Unde magiſtratus ſolent] Vide Liv. 45, 1. *Conſuli ad quadrigas mittendas eſcendente.* Is locus fuit ſuper carceres; ut patet e loco Ennii apud Ciceronem de Divin: 1, 48. Conf. Salmaſium ad Solin. p. 647. ERN.

Caſſiopen] In dubio relinquit Burmannus, utrum Epiri an Corcyrae urbs intelligenda, cuius illa fuit colonia; pronior tamen eſt ad Epiroticam. Pro Corcyraea dici poſſet, Neronem ad hanc potius traieciſſe, et ibi ad aram Iovis Caſſii. Epirotica antiquiorem; cantaſſe, propter antiquam glo-

ne necessaria quidem caussa excedere Theatro licitum erat. Itaque et enixae quaedam in spectaculis dicuntur, et multi taedio audiendi laudandique, clausis oppidorum portis, aut furtim desiluisse de muro, aut morte simulata funere elati. Quam autem trepide anxieque certaverit, quanta adversariorum aemulatione, quo metu iudicum, vix credi potest. Adversarios, quasi plane conditionis eiusdem, observare, captare, infamare secreto, nonnumquam ex occursu maledictis incessere, ac si qui arte praecellerent, corrumpere etiam solebat. Iudices autem, prius quam inciperet, reverentissime alloquebatur, *Omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse Fortunae: illos, ut sapientes et doctos viros, fortuita debere excludere:* atque, ut auderet, hortantibus, aequiore animo recedebat; ac ne sic quidem sine sollicitudine, taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia et malignitate arguens, suspectosque sibi dicens.

24 In certando vero ita legi obediebat, ut numquam exscreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret: atque etiam in tragico quodam actu, quum elapsum baculum ci-

riam musicae artis, quam Homerus Phaeacibus tribuit. Sic placet et Oudendorpio. Ern.

Cap. 23. *Observare, captare*] H. e. diligenter et suspenso animo attendere, ut aliquid vitii in iis animadverteret, eosque in fraudem illiceret. Sic Livius iungit *insidiari* et *captare,* h. e. conari fallere: unde *captiosus.*

Tristitia] Est acerbitas et iniquitas in iudicando. Cic. Fin. 4, 28. Idem Act. 1. in Verr. 10. *tristis iudex.* Suetonius infra c. 37. *tristis et paedagogicus vultus.* Ern.

Cap. 24. *Baculum*] Quem prodeuntes in scenam gestabant; unde Comoedia et Tra-

to reſumpſiſſet, pavidus et metuens, ne ob delictum certamine ſummoveretur, non aliter confirmatus eſt, quam adiurante hypocrita, non animadverſum id inter exſultationes ſucclamationesque populi. Victorem autem ſe ipſe pronuntiabat: qua de cauſſa et praeconio ubique contendit. Ac ne cuius alterius hieronicarum memoria aut veſtigium exſtaret usquam, ſubverti et unco trahi abiicique in latrinas omnium ſtatuas et imagines imperavit. Aurigavit quoque plurifariam, Olympiis vero etiam decemiugem: quamvis id ipſum in rege Mithridate carmine quodam ſuo reprehendiſſet. Sed excuſſus curru, ac rurſus repoſitus, quum perdurare non poſſet, deſtitit ante decurſum; nec eo ſecius coronatus eſt. Decedens deinde, provinciam univerſam libertate donavit; ſimulque iudices civitate Romana et pecunia grandi. Quae beneficia e medio ſtadio Iſthmiorum die ſua ipſe voce pronuntiavit.

Reverſus e Graecia Neapolin, quod in ea 25
primum artem protulerat, albis equis introiit, disiecta parte muri, ut mos hieronicarum eſt.

goedia ſingitur altera manu perſonam, altera baculum tenens. De ſceptro cum Caſaubono capit Oudendorpius. Ern.

Hypocrita] Eſt ſaltator, cui accinebat Nero; ut docuit Gronovius ad Liv. 7, 2. Ern.

Contendit] Nempe praecones ante ludorum miſſionem et ipſi coronabantur, qui optime praeconium feciſſent. Cicero ad Div. 5, 12. *Quum praecones ipſi ante ludorum miſſionem corona donentur.* Ern.

Pronuntiavit] Imitatus Q. Flaminium bello Macedonico primo exacto. Sed quod ille per praeconem, Liv. 33, 32., hoc Nero ipſe pronuntiavit. Ern.

Cap. 25. *Primum artem protulerat*] Imitatus eſt Ciceronem Academ. 4, 1. *ars, quae tum primum proferebatur.* Vide de hoc uſu verbi Broukhuſium ad Tibullum 1, 11, 1 Ern.

Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed et Romam eo curru, quo Augustus olim triumphaverat, et in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympiacam, dextra manu Pythiam, praeeunte pompa ceterarum cum titulis, *ubi*, et *quos*, *quo cantionum*, *quove fabularum argumento vicisset*: sequentibus currum ovantium ritu plausoribus, *Augustianos*, *militesque se triumphi eius*, clamitantibus. Dehinc, diruto Circi maximi arcu, per Velabrum forumque, Palatium et Apollinem petiit. Incedenti passim victimae caesae, sparso per vias identidem croco, ingestaeque aves, ac lemnisci, et bellaria. Sacras coronas in cubiculis circum lectos posuit: item statuas suas citha-

Veste] Delendum censent Lipsius et Torrentius. Si a Suetonio est, intelligenda tunica: nam chlamys ab hac veste diversa est, ut recte Dorvilius ad Charit. p. 585. Ern.

Diruto — arcu] Recte monuit Graevius, cum arcum loco muri dirutum esse, quem, quia sacer erat, violare nollet. Mox *Apollo* intell. Capitolinus. Ern.

Aves] Suspectae Graevio: malit *flores*. Sed quum *carnes*, *bellaria*, iactari solita sint: quidni etiam aves inter carnes? Dissentit Oudendorpius de carnibus, nec tamen *flores* probat. Ipsius coniectura alienissima est. Ern. Locus non uno vocabulo corruptus videtur. Nam *aves* haud dubie falsum est, ut etiam Ruhnk. videbat. Perizonius tamen tenendam censet lectionem, intelligendasque aves cantillantes, ut in triumpho ex cantu; vel aves garrulas, qui principem salutarent, *Salve, Auguste.*

Lemnisci] Iis, quae Casaubonus congessit, adde nos in Clave Cic. in h. v. et Wesseling. de Archont. Iud. p. 18. Ern.

Sacras coronas — posuit] Non omnes ergo, sed quas, ut hieronica, in Olympicis, Isthmicis etc. ludis accepisset; quas etiam solas ipse ingrediens Urbem gestabat. Ern.

In cubiculis] Hoc recepi, quod praeter Memm., Voss., Co-

roedico habitu; qua nota etiam nummum percussit. Ac post haec tantum afuit a remittendo laxandoque studio, ut conservandae vocis gratia, neque milites umquam, nisi absens, aut alio verba pronuntiante, appellaret; neque quidquam serio iocove egerit, nisi adstante phonasco, qui moneret, parceret arteriis, ac sudarium ad os applicaret; multisque vel amicitiam suam obtulerit, vel simultatem indixerit, prout quisque se magis parciusve laudasset.

Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem, sensim quidem primo et occulte, et velut iuvenili errore, exercuit: sed 26

pes. plurimasque edd. etiam Lyser. habet, probatque Graevius. Vulgo, *in cubili. Cubiculis*, non *cubiculo*, ut malit Burmannus, quia et mox *lectos*, non *lecto*. Sed, quod Burmannus de cubiculo in spectaculis publicis capit, non placet. Non ibi satis tutas putasset, nisi tantum ludis suspensas dicamus. Tum ibi lectos fuisse, probandum erat. Immo imitatus est veterum heroum morem, qui spolia donaque carissimorum hominum in cubiculis suspendere solebant. Sic apud Virgilium Dido in thalamo suspenderat ensem, ab Aenea dono acceptum, Iliacasque vestes. Aen, 4, 495. coll. 647. seqq. Similiter imagines carissimorum hominum in cubiculis positae. Sic Suetonius tradit Calig. c. 7., Augustum effigiem filii, Germanico ex Agrippina nati, quem propter insignem festivitatem valde amasset, in cubiculo suo habuisse. Ern.

Cap. 26. *Et velut*] Τὸ *et*, quod praeter alios codd. etiam Lyser. habet, recepi necessario: non enim τὸ *velut iuvenili errore* est interpretatio τοῦ *occulte*, sed separatum verbi attributum, significatque iuvenilem lasciviam. Clara res e capite sequenti, *iocularia et latebras omisit*. Recepit et Oudendorpius. Ern.

Iuvenili errore, exseruit] Ita ausus sum reponere, etsi omnes libri habent *exercuit*. Vox *sensim* non patitur verbum *exercuit*. Similiter Tib. c. 33. *principem paullatim exseruit*, ubi plures codd. et omnes antiquae edd. *exercuit*. Verba haec duo saepe confusa, sed ita, ut *exercuisse* pro *exseruisse* reposi-

ut tunc quoque dubium nemini foret, naturae illa vitia, non aetatis esse. Post crepusculum statim, arrepto pileo vel galero, popinas inibat: circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen: siquidem redeuntes a coena verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assuerat: tabernulas etiam effringere et expilare; quintana domi constituta, ubi partae et ad licitationem dividendae praedae pretium absumeretur. Ac saepe in

tum sit, quod hoc verbum non caperent librarii. Ern. *Sensim exercuit* est pro *exercere coepit.* Coniecturae, non necessariae, nullus codex addicit.

Tabernulas] Mss. quidam *tabernas*, quod recepit Oudendorpius. Non placet. *Petulantia* magis convenit *tabernulis*, quam *tabernis.* Ern. At est petulantia *principalis.*

Quintana] Sic dicebatur forum in castris, ubi praeda aliaeque res venales expositae: nomen accepit inde, quod interiectum est inter portas quintanas, ut placet Schelio ad Hygin. p. 76., ubi reprehendit Lipsium, qui in Festo *portae* vocem delendam, aut *partem* reponendam censuerat; quod probavit etiam Dacierius ad Festum, et Drakenborchius ad Liv. 27, 27., qui nullam portam quintanam fuisse contendunt. *Quintanas portas* diserte vocat Hyginus de Castramet. p. 7. eaeque necessariae ad forum castrense fuere. Ceterum mihi in nomine *quintanae*, quum pro foro ponitur, magis placet intelligi *viam:* nam viam illam, quae ab una porta ad alteram ducta est, portis nomen dedisse, ut *principia* portis principalibus, *praetorium* praetoriae, certum esse arbitror. Atque etiam Polybius sic tradit: Δίοδος, ἣν καλοῦσι πεμπτὴν, διὰ τὸ παρὰ πεμπτὰ τάγματα παρήκειν: ut recte legit Casaubonus: *Via transversa, quam vocant quintanam, quia per quintos ordines ducitur.* Ern.

Absumeretur] Ita rescripsi ex optimo Memmiano, cui et Vossianus adstipulatur, a qua lectione se non alienum ait Burmannus. Ego nihil certius puto. Suetonius dixit, eum petulantiam, luxuriam, avaritiam etc. sensim et occulte exseruisse. An huic consentaneum esset, si narraret, auctionem praedae publicam domi

eiusmodi rixis, oculorum et vitae periculum adiit, a quodam laticlavio, cuius uxorem attrectaverat, prope ad necem caesus. Quare numquam postea publico se illud horae sine tribunis commisit, procul et occulte subsequentibus. Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in Theatrum, seditionibus pantomimorum ex parte proscenii superiori, signifer simul ac spectator aderat. Et quum ad manus ventum esset, lapidibusque et subselliorum fragminibus decerneretur, multa et ipse iecit in populum, atque etiam Praetoris caput consauciavit.

Paullatim vero invalescentibus vitiis, iocularia et latebras omisit, nullaque dissimulandi cura ad maiora palam erupit. Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus 27

habitam, ad quam omnibus liceret accedere? Immo socii grassaturae tantum accedebant, et per licitationem inter se dividebant: pecuniam autem, quam quisque pro emtis licitando dare debebat, ibidem convivando absumebant. *Adsumere pretium* pro *exigere* ne Latinum quidem esse arbitror. Verba *adsumere* et *absumere* apud Tac. Ann. 15, 44. extr. et alibi a librariis confusa sunt. Vide Drakenborchium ad Liv. T. I. p. 428. II, 905. *Absumere*, pro *consumere*, est usitatum Suetonio. Vide infra c. 37. Galb. c. 15. Recepit et Oudendorpius. Ern.

Laticlavio] Equite illustri, qui lati clavi usurpandi ius acceperat, quum nondum Senator esset. Tacitus Senatorem, Dio βουλευτὴν, appellat: sed, ut Tacitus addit, ornamentum tantum et insigne senatorium habebat, non in Senatum veniebat: alioqui Senatorem et noster appellasset. Omnium igitur diligentissimus Suetonius in verbis deligendis. Ern.

Cap. 27. *A medio die*] Burmannus servat vett. edd. lectionem, *e medio die*. Sed vellem, exemplum huius locutionis attulisset aliunde. Immo inde facere debebat *de medio die*. Suetonius semper in hac forma *de* dicit, Aug. c. 97.

ſaepius calidis piſcinis, ac tempore aeſtivo nivatis. Coenitabatque nonnumquam et in publico, naumachia praecluſa, vel Martio campo, vel Circo maximo, inter ſcortorum totius Urbis ambubaiarumque miniſteria. Quoties Oſtiam Tiberi deflueret, aut Baianum ſinum praeternavigaret, diſpoſitae per litora et ripas deverſoriae tabernae parabantur, inſignes ganeae et matronarum, inſtitorio copas imitantium, atque

Veſp. c. 21. Domit. c. 21. *A* tempori adiectum, *poſt* fere apud eum ſignificat. Unum illud me retinuit, quo minus reciperem, quod additum eſt *medio*, et mox *ad:* nam *de die*, aut *nocte*, quantum memini, ſemper ſimpliciter ponitur. ERN.

Piſcinis] Tironum cauſſa moneo, *balnea* intelligenda: ea hoc tempore *piſcinas* quoque dixerunt. ERN.

Coenitabatque] Vide ad c. 38. extr. ERN.

Inſignes — imitantium] Hic locus varie in codd. et edd. legitur, varieque a Viris doctis tentatur. Lectio hodie recepta eſt Turnebi Advv. 24, 6. Pro *inſtitorio copas* plerique habent *inſtitorias operas.* Sed apponemus notam Graevii: „Procul dubio recte vidit Salmaſius de uſuris p. 351. legendum eſſe, *inſignes ganea* „*et matronarum inſtitoria*, „h. e. in illis tabernis vendebantur omnis generis opſonia, „et matronae, copas imitantes, erant pro inſtitoribus, „qui illas merces ſolebant vendere. Si *ganeae* legatur, quod „in omnibus vulgatis habetur, „nihil eſt, unde pendeat *in-* „*ſtitorio. Inſtitorium* autem, „ſubaudi munus, ut bene Torrentius, eſt inſtitoris functio „et partes. Dicitur ut *inſti-* „*toria actio* in Pandectis. „*Paullus Bauldri* veteriorum „editionum lectionem non putat improbandam, in quibus „ſcribitur, *inſtitorias operas.* „Sic autem locum conſtituit: „*inſignes ganeae matronarum, inſtitorias operas imitantium, atque hinc inde* „*orantium, ut appelleret. Inſtitoriae operae*, ut Aug. c. „43. *ſcenicae et gladiatoriae* „*operae.* Cui ſane ſubſcriberem, niſi veterrimi et fideliſſimi codices aliud ſuaderent: nam in Salmaſiano clare: *Inſtitorio copas imitantium* etc.„ Hae duae coniecturae probabiles ſane, et ad

hinc inde hortantium, ut appelleret. Indicebat et familiaribus coenas, quorum uni mitellita

intelligendum sufficiunt: Burmanniana contorta est. Sed non dissimulabo, in Salmasiana mihi hos scrupulos restare: primo, quod vix videtur *matronarum institorium* pro munere institorio, quo funguntur matronae, satis Latine dici; deinde, quod reliqua post *institoria* omnia supervacua sint, et quod Suetonius potius dicturus fuisse videtur, *institorio matronarum, copas imitantium.* Bauldriana lectio magis placet, praesertim quum etiam codex, quem Ursinus laudat, habeat, *insignes ganeae matronarum, institoria opera imitantium*, nisi quod *insignes ganeae* non placent, quemadmodum nec placent *insignes tabernae*, nec *insignis ganea taberna. Ganeae et institorium* non faciunt insignem tabernam, ut opinor. Quid? si sic legamus, *tabernae parabantur, ganeae, et insignes matronarum, institorias operas imitantium. Insignes matronarum* sunt Taciti *illustres feminae*, notae matronae, ut alibi Suetonius. Ex *institorias operas* potuit fieri *institorio copas*, si *operas* per compendium *opas* scriptum erat; ut factum vulgo scimus. Restat difficultas in *parabantur*, quod non satis convenire videtur matronis. Sed in nulla lectione commodum est. Quid enim est, *dispositae tabernae parabantur*? Quanto melius Tacitus Ann. 15, 37. *visebantur*; quod fortasse aut ipsum, aut simile reponendum. Oudendorpio placet lectio Aldina, *institorum loco passim invitantium.* ERN. Et Ruhnkenio. In Ernestii coniectura et Latinitas displicet et audacia.

Mitellita] Haec est lectio codd. fere omnium. *Mellita* ex ingenio doctorum: cui tamen non convenit *constitit*; deberetque esse *constiterunt*, ut est in quibusdam editis. Ceterum ea lectio explicari potest. *Mitellita* quid sit, explicare tentavit Salmasius ad Solinum, unde etiam in Lexica venit. Sed aut corruptum est verbum, aut nondum intelligitur. Genus ferculi et cibi intelligi, contextus, ut opinor, declarat. Ei rei non convenit sensus, quem Salmasius verbo subiicit. Monstrosae luxuriae ganeones novis cibis et ferculis nova nomina tribuebant, undecunque ducta, quae ex se non possunt intelligi. Ex horum numero est *mitellita*, si est a Suetonio. Sic Vitellius patinam grandiorem, in qua rarissimus et pretiosissimus

quadragies HS. conſtitit, alteri pluris aliquanto abſortio roſaria.

28 Super ingenuorum paedagogia, et nuptarum concubinatus, Veſtali virgini Rubriae vim intulit. Acten libertam, paullum afuit, quin iuſto matrimonio ſibi coniungeret; ſummiſſis conſularibus viris, qui regio genere ortam peierarent. Puerum Sporum, exſectis teſtibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare co-

cibus apponebatur, *clypeum Minervae* vocabat, Vitell. c. 13.; quod nomen nemo intelligeret, niſi ratio eius explicata eſſet a Suetonio. Ibidem dicitur Vitellius aliud alii, eadem die, indixiſſe, nec cuiquam minus ſingulos apparatus quadringenis millibus conſtitiſſe. In his apparatibus eſſe potuerunt, qui ſimilia nomina haberent. Etiam in coena Trimalcionis ſunt talia fercula ſollerter excogitata, magnaeque impenſae, in quibus ille ſibi placebat. ERN.

Abſortio roſaria] *Abſortionis* verbum ſuſpectum eſſe poteſt, quia a nonnullis codd., etiam Lyſer., et edd. plane abeſt, nec in ullo alio auctore reperitur. In aliis etiam pro eo eſt *abſirtio*, *abſyrtio* et *ab Syrtio*. Pro *roſaria* Burmannus mallt *roſacea*. Quidquid ſit, *roſaria abſortio* eſt vel cibus, vel ſorbitio pretii inſani, propter roſas primo, e locis remotis petitas, dein, admiſta alia pretioſa genera liquorum etc. *Patina de roſis* eſt apud Apicium 4, 2., ad quem locum Hummelbergius affert *ollam roſaceam* ex Athenaeo. In illa *patina de roſis* commemoratur etiam garum, cuius caritas nota eſt. *Eſcae roſales* etiam occurrunt in inſcriptione antiqua apud Muratorium T. II. p. 867. n. 8., quam commentariolo illuſtravit Lazzarus in Collectione Opusculorum eruditorum, quae inſcribitur, Raccolta d' Opuscoli ſcientifici e filologici T. XV. p. 351. Sed eas Lazzarus dictas putat pro *rurales*. Iis autem *eſcis roſalibus* parvum pretium adſignatur. ERN.

Cap. 28. *Peierarent*] Broukhuſius et Burmannus volebant *deierarent*. Sane aliis locis, etiam ubi falſo iurari conſtat, in ſimilique contextu Suetonius etiam *iurare* dixit. Eſt etiam *deierare* Suetonio uſitatum verbum, Calig. c. 27. et alibi. ERN.

natus, cum dote et flammeo, per sollemnia nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se, pro uxore habuit. Exstatque cuiusdam non inscitus iocus: *Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset uxorem.* Hunc Sporum, Augustarum ornamentis excultum, lecticaque vectum, et circa conventus mercatusque Graeciae, ac mox Romae circa Sigillaria, comitatus est, identidem exosculans. Nam matris concubitum appetisse, et ab obtrectatoribus eius, ne ferox et impotens mulier et hoc genere gratiae praevaleret, deterritum, nemo dubitavit: utique postquam meretricem, quam fama erat Agrippinae simillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam, quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum inceste, ac maculis vestis proditum affirmant.

Suam quidem pudicitiam usque adeo pro- 29
stituit, ut contaminatis paene omnibus membris, novissime quasi genus lusus excogitaret;

Per sollemni — celeberrimo] Burmannus suspicatur, alterutram vocem esse a glossatore. Ego autem certum habeo, *per sollemni* pro glossa repudiandum; unde etiam uncis inclusi. *Nuptiarum officium celeberrimum*, est Suetonianum: id, ex interiori Latinitate dictum, aliquis interpretatus est, *per sollemne*, quod in textum irrepsit. Alibi noster, *celeberrimis ludis*. Fortasse tamen aliquis malit sequi rationem Dukeri ad Liv. 1, 31., qui legi vult, *per sollemne nuptiarum;* qua ratione tamen tautologia non tollitur. Ceterae interpretationes et emendationes omnes contortae sunt. Sic in ed. prima scripsi; nunc, quum in Mss. Lyser. repererim, *per sollemnia nuptiarum*, cui consentit Vindob., hoc cum Oudendorpio recepi. Ern.

Augustarum ornamentis] Vide infra c. 34. Pitiscus capit de vestibus, quas Augustae gestassent vel gestare solerent; nimis anguste. Ern.

quo ferae pelle contectus emitteretur e cavea, virorumque ac feminarum ad ſtipitem deligatorum inguina invaderet: et quum affatim deſaeviſſet, conficeretur a Doryphoro liberto: cui etiam, ſicut ipſi Sporus, ita ipſe denupſit; voces quoque et eiulatus vim patientium virginum imitatus. Ex nonnullis comperi, perſuaſiſſimum habuiſſe eum, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis parte purum eſſe: verum pleroſque disſimulare vitium, et callide obtegere; ideoque profeſſis apud ſe obſcoenitatem cetera quoque conceſſiſſe delicta.

30 Divitiarum et pecuniae fructum non alium putabat, quam profuſionem: ſordidos ac deparcos eſſe, quibus ratio impenſarum conſtaret; praelautos vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent. Laudabat mirabaturque avunculum Caium, nullo magis nomine, quam quod ingentes a Tiberio relictas opes in brevi ſpatio prodegiſſet. Quare nec largiendi nec abſumendi modum tenuit. In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingena nummûm millia diurna erogavit, abeuntique ſuper ſeſtertiûm millies contulit. Menecraten citharoedum et Spiculum mirmillonem triumphalium virorum patrimoniis aedibusque donavit. Cer-

Cap. 29. *Conficeretur*] Nempe percuſſus venabulo; quod non laederet. Ceterum hoc verbo recte etiam aliquid obſcoeni indicari, credo Gronovio Obſſ. 1; 8. De re vide Lipſium ad Tac. Ann. 15. 37. Ern.

Conceſſiſſe] Exquiſite h. l. dicitur, pro condonaſſe; impunitatem ceterorum delictorum dediſſe; quo ſenſu etiam Cicero dixit, Verr. 1, 49. et aliis locis. Ante pro *calliditate* e Mſſ. plurimis edidi *callide*; quod et Oudendorpio placebat. Ern.

copithecum Panerotem, feneratorem, et urbanis rusticisque praediis locupletatum, prope regio extulit funere. Nullam vestem bis induit. Quadringenis in punctum sestertiis aleam lusit. Piscatus est rete aurato, purpura coccoque funibus nexis. Numquam minus mille carrucis fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata et phalerata cum Mazacum turba atque cursorum.

Non in alia re tamen damnosior, quam in 51

Cap. 30. *Panerotem, feneratorem*] Gronovio suspecta vox *feneratoris* in hoc contextu, nempe post citharoedum et mirmillonem. Recte. Vult enim commemorare vilia hominum genera, quibus ille, ut alii Imperatores, nimis favens, magnas divitias contulit. Atqui *fenerator* non est ex illis generibus, sed honestum nomen Romae; malis autem principibus invisum, Domit. c. 14.; neque in feneratione quidquam est, quod gratiam principis conciliare possit. Adde, feneratorem arte non satis convenire libertino homini. Quorsum porro locupletetur fenerator, sua sponte locuples? Quare placet omnino, *venatorem* cum Gronovio legi: etsi vocis, hoc sensu dictae, exemplum nondum alibi reperi apud scriptorem veterem; quod opponit Gronovio Burmannus. Apud nostrum quidem *confectores* dicuntur. Sed tamen in inscriptionibus antiquis *venatores* occurrunt, quos ex hoc genere puto, apud Gruterum etiam *venatoria familia*. A MSS. Lyser. et Vindob. sec. abest *feneratoris* verbum. Sed substantivum hic necessarium est. Ceterum me offendit etiam copula *et*: nam *feneratorem* et *locupletatum* per copulam *et* iungi non possunt. Possis dicere, *et urbanis rusticisque praediis* esse capiendum pro *et urbanis et rusticis*. Sed sic non loquitur Suetonius. Itaque arbitror inducendum τὸ *et*. Ern.

Mazacum] Mauritaniae populi Mazaces; quorum equi nobiles fuere. Utrum *Mazaces*, an *Mazuces*, scribendum, qui velit quaerere, adeat Salmasium ad Solin. p. 226. et Intpp. ad Nemesian. Cyneg. v. 261. Ern.

Cap. 31. *Damnosior*] I. e. profusior, sumtuosior. *Damni*, de magnis impensis, exempla

aedificando. Domum a Palatio Esquilias usque fecit. Quam primo *Transitoriam*, mox, incendio absumptam, restitutamque, *Auream* nominavit. De cuius spatio atque cultu suffecerit haec retulisse. Vestibulum eius fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet: item stagnum maris instar, circumseptum aedificiis ad urbium speciem. Rura insuper arvis atque vinetis et pascuis silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Coenationes laqueatae tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Praecipua coenationum rotunda, quae perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineae marinis et

congestissimus e Cicerone in Clave. Exempla adiectivi sic dicti dedere Graevius et Burmannus. Codex Memmianus. Copes. addunt *tamen*; quod valde placet. Huc ducunt etiam vestigia Lyseriani, qui habet *tam*, et Vossiani, qui habebat *tunc*. Non dubitavi recipere, ut et fecit Oudendorpius. Ern.

Haec] Recepi pro vulgato *hoc*. Non unum, sed plura narrat. *Haec*, praeter codd. Burmanno laudatos, habet etiam Lyser. Ern.

Vestibulum eius fuit] Oudendorpio placet, legi *vestibulo* vel *vestibuli*, ut cum *laxitas* iungatur: placeret et mihi, si *fuit* post *laxitas* esset. In vulgato intelligenda est dignitas et magnificentia vestibuli, propter quam ei colossus talis conveniret. Ern.

Porticus triplices milliarias] H. e. quae tres columnarum, distinctos intervallis ordines haberent, et mille, pedes, an passus? (sed hoc laxitati vestibuli convenientius) in longitudinem. *Milliarensem* vocat similem Aureliani Vopiscus in Aureliano c. 49. Ern.

Varia cum multitudine] Sic vulgo male interpungunt. *Varia* est variata, πεποικιλμένα, ut viderunt Burm. et Oudend.

Vice] Modo. Cic. ad Att.

Albulis fluentes aquis. Eiusmodi domum quum abſolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut, *ſe* diceret *quaſi hominem tandem habitare coepiſſe.* Praeterea inchoabat piſcinam a Miſeno ad Avernum lacum, contectam, porticibusque concluſam, quo, quidquid totis Baiis calidarum eſſet, converteretur: foſſam ab Averno Oſtiam usque, ut navibus, nec tamen mari, iretur, longitudinis, per centum ſexaginta millia; latitudinis, qua contrariae quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubique eſſet cuſtodiae, in Italiam deportari, etiam ſcelere convictos, non niſi ad opus damnari, praeceperat. Ad hunc impendiorum furorem, ſuper fiduciam imperii, etiam ſpe quadam repentina immenſarum et reconditarum opum impulſus eſt; ex indicio Equitis Romani, pro comperto pollicentis, theſauros antiquiſſimae gazae, quos Dido regina fugiens Tyro ſecum extuliſſet, eſſe in Africa vaſtiſſimis ſpecubus abditos, ac poſſe erui parvula molientium opera.

10. 8. *niſi forte me Sardanapali vicem in lectulo mori malle cenſueris;* ubi Graevius volebat legi *vice.* Sed vide, quae notavimus in Clave Cic. in h. v. ERN.

Dedicaret] I. e. quum in eam commigraſſet, eam habitare coepiſſet. Conf. Vitell. c. 13. Dedicari dicuntur, quae incipimus modo ſuo uſurpare. ERN.

Porticibusque] Copulam e Memm., Lyſer. aliisque libris ſcriptis et editis addidi: ſecutus eſt Oudendorpius. ERN.

Converteretur] Recte hoc tenuerunt Viri docti: eſt enim, ut contrarium *avertere* apud Ciceronem Nat. deor. 2, 60., proprium in iſta re verbum. Frontin. Aquaeduct. c. 117. *Ut ex quam plurimis regionibus, in quam neceſſitas incubuerit, converti poſſit praeſidium aquarum abundantius.* Hinc ductam φράσιν illam Ciceronis arbitror de Offic. 3, 19. *hereditates omnium ad ſe convertere.* ERN.

32 Verum ut ſpes ſefellit, deſtitutus, atque ita iam exhauſtus et egens, ut ſtipendia quoque militum, et commoda veteranorum protrahi ac differri neceſſe eſſet, calumniis rapiniſque intendit animum. Ante omnia inſtituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dextans ei cogeretur, qui ſine probabili cauſſa eo nomine fuiſſent, quo eſſent ullae familiae, quas ipſe contingeret: deinde, ut ingratorum in principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent: ac, ne impune eſſet ſtudioſis iuris, qui ſcripſiſſent vel dictaſſent ea: tunc, ut lege maieſtatis

Cap. 32. *Deſtitutus*] De h. v. tirones videant Clavem Cic. in h. v. Ceterum huius capitis principium mihi incorruptum non videtur: nam *ſpes ſefellit* et *deſtitutus* non differunt; nec conſtructio facilitatem Suetonii ſapit. Ern. *Deſtitutus* eſt inops auxilii, ſcil. ex eo ipſo, quod *ſpes ſefellit*. In talibus non eſt vitioſa tautologia.

In principem] Sunt, qui hoc deleri velint; quibus aſſentior. *Poenae ingratorum libertorum* notae ſunt e iure civili: inde olim nil commodi in principem: hac Neronis ſanctione plurimum. Quinam ſint *liberti ingrati in principem*, explicari mihi velim. *Libertus ingratus* ſemper refertur ad patronum, ad nullum alium. De libertis autem eſſe ſermonem, non dubitem cum Torrentio: nam univerſe *ingrati in aliquem actio* nulla fuit. Locus in Calig. c. 38. *teſtamenta primipilarium, ut ingrata, reſcidit*, huc non pertinet: nam iſte fuit praetextus, ſub quo, pro imperio, non e iure ac legibus, reſcinderet teſtamenta. Ern. *Libertorum* repetitum eſſet, niſi de *quibusvis* ingratis civibus ſermo eſſet, i. e. iis, qui principi obſtricti ullo beneficio erant. Idque et rei magis conſentaneum eſſe, recte animadvertit Bremius.

Studioſis iuris] Inanis eſt omnis Virorum doctorum disputatio, utrum profeſſores an aſſeſſores intelligantur. *Iuris ſtudioſi* h. l. ſunt Iureconſulti, qui ſcribendo cavent, ut Cicero loquitur, a quibus formulas ſyngrapharum, contractuum, teſtamentorum petebant homines. *Studioſos ſcientiae* alicuius haec aetas vocabat peritos, et conſultos eius. Sic ſaepe Pli-

ſacta dictaque omnia, quibus modo delator non deeſſet, tenerentur. Revocavit et praemia coronarum, quae umquam ſibi in certaminibus civitates detuliſſent. Et quum interdixiſſet uſum amethyſtini ac Tyrii coloris, ſummiſiſſetque, qui nundinarum die pauculas uncias venderet: praecluſit cunctos negotiatores. Quin etiam inter

nius Iunior Epp. 8, 12. *Colit ſtudia, ſtudioſos amat* etc.; nos diceremus, *doctos homines.* Et ſic ille pluribus locis. Vide inprimis Gronovium de centeſimis et unciis uſuris p. 643. Ern.

Tenerentur] Burmannus, ut ſaepe alias, ſic hic quoque nodum in ſcirpo quaerit. Negat, Latine *delatorem* iungi *rei.* Dubitat porro, an *facta lege teneri* dicantur: utrumque de hominibus tantum dici, putat. Primum refellemus vel uno Ciceronis loco Verr. 2, 28: *inimici Sopatri ad Verrem eiusdem rei nomen deferunt;* unde patet, non modo homines, ſed etiam criminis nomen deferri. Idem Agraria 3, 1: *quae apud vos de me deferunt.* Verba autem, *quibus delator non deeſſet,* nihil aliud ſunt, quam, quae modo delata eſſent. Ern.

Revocavit et praemia] Torrentius et Graevius interpretantur, iuſſit exigi coronas, ſive, pretia coronarum non receptarum. Sed Burmannus recte vidit, Neronem coronas accepiſſe c. 22. Ipſe certi quid non habet. Arbitror autem, reſpici certamina ſacra, velut ludos Olympicos, Iſthmicos etc., in quibus non ſolum coronam datam, ſed etiam reditus annuos et perpetuos aſſignatos victoribus, conſtat. Haec ſunt *praemia coronarum,* ut opinor, quae olim remiſerat, nunc revocat Nero, egeſtate coactus. Nil melius reperi. Ern. Hoc nemini placere potuit, ut *revocari* dicatur pecunia, quae numquam antea pendi ſolita ſit, ſed ſtatim ab initio condonata. Corrigunt igitur ex cod. quodam Urſini: *praemia civitatum, quae — coronas detuliſſent.* Quod ſi quis ſpernat, Urſinianis codd. fidem abrogans, mecum potius Burmanni ſimpliciorem rationem praeferat, *praemia coronarum quas.* Conf. ſupra c. 24. extr.

Praecluſit cunctos negotiatores] „*Praecludere cunctos* „*negotiatores* eſt claudere ne„gotiatorum tabernas; nec pa„ti prius abire, merceſve inde „deportare, quam pecuniam ab „eis extorſiſſet, qua redimerent

canendum animadverſum matronam e ſpectaculis, vetita purpura cultam, demonſtraſſe procuratoribus ſuis dicitur, detractamque illico, non veſte modo, ſed et bonis exuit. Nulli delegavit officium, ut non adiiceret, *Scis, quid mihi opus ſit*, et, *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Ultimo, templis compluribus

„poenam, qua tenebantur, „quod vetitos colores vendi„diſſent.„ Sic Graevius, quem ſequitur Burmannus. Sententia haec bona eſt, modo ea ineſſet in verbis, *negotiatores praecludere. Horrea praecluſa* ſcio e Calig. c. 26., ſed *negotiatores praecluſos*, iſto ſenſu, neſcio. Si, ut *vox praecluſa* apud Claudianum, *negotiatores praecluſi* dicantur, quod largimur, nil aliud inde conficitur, quam non dimiſſos; quod non ſufficit ad exprimendum id, quod Suetonius volebat, nempe immanem rapinam, ut mox in matrona, quam bonis exuit. Elegantiſſima eſt coniectura Budaei, *perculit*, quod eſt etiam Suetonio familiare verbum. Sed quia omnes ſcripti et editi habent *praeclufit;* et neſcimus, quae poena vetitae purpurae venditori conſtituta fuerit, non audeo pronuntiare. Ern. Mirabatur merito Ruhnkenius, quid in h. l. aeſtuarent Eruditi. *Praecludi mercatores* dicuntur, ut *publicari, confiſcari homines.* Ita et Perizonius. Vide Paulum in Digg. 20, 2, 9., ubi legendum *praecludamur* pro vulg. *percludamur.*

E ſpectaculis] Memmianus habet *in*, quod Burmannus recepit. Sic eſt etiam in Mſ. Lyſer. Sane, ſi loco ſuo ſtant *ſpectacula*, neceſſarium eſt, legere *in*, quod recepit Oudendorpius, idque recepiſſem et ipſe, niſi putarem, loco motum eſſe hoc verbum, et ad *detractam* pertinere, ut vidit iam Beroaldus. Suetonius ſic ſcribere ſolet: Calig. c. 35. *hunc e ſpectaculis detractum.* Domit. c. 10. *detractum ſpectaculis in arenam.* Ergo ſic legendus videtur locus: *inter canendum animadverſam matronam, vetita purpura cultam — dicitur: detractamque illico e ſpectaculis* etc. Tum frigide additur verbo *animadverſam, in ſpectaculis;* ubi enim videre poterat eam, niſi in ſpectaculis? Ern. Mihi quidem haec duo verba videntur gloſſema, adſcripta verbis *inter canendum.*

dona detraxit, ſimulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit: in his Penatium deorum, quae mox Galba reſtituit.

Parricidia et caedes a Claudio exorſus eſt: cuius necis etſi non auctor, at conſcius fuit: neque disſimulanter, ut qui boletos, in quo cibi genere venenum is acceperat, quaſi deorum cibum, poſthac proverbio Graeco collaudare ſit ſolitus. Certe omnibus rerum verborumque contumeliis mortuum inſectatus eſt, modo ſtultitiae, modo ſaevitiae arguens. Nam et *morari* eum inter homines deſiſſe, producta prima ſyllaba, iocabatur: multaque decreta et conſtituta, ut inſipientis atque deliri, pro irritis habuit. Denique buſtum eius conſepiri, niſi humili levique maceria, neglexit. Britannicum, non minus aemulatione vocis, quae illi iucundior ſuppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria praevaleret, 33

Cap. 33. *Morari — producta*] Ex hoc loco diſcent tirones, Latinos veteres et quantitatem ſyllabarum et accentum in eadem voce expreſſiſſe pronuntiando; quod nos hodie neſcimus: nam et morari, et morari, eodem modo pronuntiamus. Ern.

Humili levique materia] Hanc lectionem, quia eſt omnium ſcriptorum et editorum, retinuimus, etſi verum putamus *maceria*. Burmannus ait, *materiam* eſſe lignum, ut centies. Sed oſtendere debebat, primo, *materiam* dici de ligno, e quo ſepes fiat, aut vallum, quod non negem; de eo, ex quo aedes, turres, pontes etc., centies dici, ſcio: deinde *materiam humilem* dici; *ſilvam humilem* dicunt, non *materiam*, pro opere humili e levi materia. *Maceria* autem *humilis* recte dicitur, et *levis*, h. e. minus lata, quae facile diruatur. Vide et Burmannum Sec. T. II. Anthol. p. 112. Ern. Ita mihi et Ruhnkenio vera videtur correctio, ut ei locum in textu dederim. Itidem indicavit Perizon. ad Aelian. V. H. 8, 16.

veneno aggressus est: quod acceptum a quadam Locusta, venenariorum inclita, quum opinione tardius cederet, ventre modo Britannici moto; arcessitam mulierem sua manu verberavit, arguens, pro veneno remedium dedisse. Excusantique, minus datum ad occultandam facinoris invidiam: *Sane*, inquit, *legem Iuliam timeo:* coegitque se coram in cubiculo quam posset velocissimum ac praesentaneum coquere. Deinde in haedo expertus, postquam is quinque horas protraxit, iterum ac saepius recoctum, porcello obiecit. Quo statim exanimato, inferri in triclinium, darique coenanti secum Britan-

Venenariorum inclita] Haec est lectio Ms. Lyser. et marginis Vindob., quam aptissimam huic loco et convenientem Tacito recepimus. Vulgo est *indice*, quod nihili esse, dudum videre Viri docti. Non index fuerat venenariorum, sed damnata veneficii, auctore Tacito. *Inclita venenariorum* (quo nomine etiam *venenariae* intelliguntur) dicitur, ut *insignes matronarum*. Ern. *Venenariorum* si legas, longe minus dure scripsit Hor. Sat. 1, 1. *fortissima Tyndaridarum*, ubi frustra litigarunt Intpp. Sed hic legendum potius cum Oudendorp. *venenariarum*.

Legem Iuliam timeo] Intellige de veneficiis Corneliam, a Iulio Caesare, cum aliis legibus Corneliis, repetitam, ut vidit Torrentius et alii. Satis enim constat, Caesarem legem tulisse de sicariis, cuius pars fuit de veneficiis, ut in Cornelia. Eam legem posteriores ICti *Corneliam* potius, quam *Iuliam* vocant, ut in aliis faciunt, veluti ea, quae de vi lata est. Conf. Brummer. ad L. Cinciam c. 7. Burmannus, secutus Valesium ad Ammian. Marcell. 19, 12., putat, frustra de lege Iulia de veneficiis quaeri, quum hoc loco intelligenda sit Iulia de maiestate. Contra eam putat Neronem potuisse videri peccare, tollendo Britannico, legitimo imperii herede. Quibus nihil falsius vidi. Nero erat Imperator, in eoque erat maiestas, non in Britannico. Locusta videri vult occultare veneficium. Id ridet Nero, quod ipse non timeat, ne, si omnes sciant, veneno sub-

nico imperavit. Et quum ille ad primum gustum concidisset, comitiali morbo ex consuetudine correptum apud convivas ementitus, postero die raptim inter maximos imbres translatitio extulit funere. Locustae pro navata opera, impunitatem praediaque ampla, sed et discipulos dedit.

Matrem, dicta factaque sua exquirentem 34 acerbius, et corrigentem, hactenus primo gravabatur, ut invidia identidem oneraret, quasi cessurus imperio, Rhodumque abiturus: mox et honore omni et potestate privavit; abductaque militum et Germanorum statione, contubernio quoque ac Palatio expulit. Neque in divexanda quidquam pensi habuit; summissis, qui et Romae morantem litibus, et in secessu quiescentem, per convicia et iocos, terra marique praetervehentes inquietarent. Verum minis eius ac violentia territus perdere statuit. Et quum ter veneno tentasset, sentiretque antidotis praemunitam: lacunaria, quae noctu super dormientem laxata machina deciderent, para-

latum Britannicum, reus fiat de veneficio, e lege Iulia. Nihil clarius. Ern.

Impunitatem] Refertur ad id, quod Tacitus 12, 66. tradit, damnatam fuisse veneficii. Ern.

Cap. 34. *Honore omni*] Honore et ornamentis Augustarum, de quibus supra c. 28. Ern.

Militum et Germanorum] Nempe duplex principibus fuit custodia, Praetoriani et Germani, i. e. Batavi. Conf. Lips. ad Tac. Ann. 13, 18.

Praetervehentes] Vide Caes. c. 78. Aug. c. 93. 98. etc. Ern.

Lacunaria] Conf. supra c. 31. His locis egregie illustrari potest observatio Valesii ad Euseb. Vit. Constant. M. 3, 32. contra Salmasium, negantem, cameris suppositas lacunaria fuisse; quam Valesii notam exscripsit totam, non laudato Valesio, Harduinus ad Plinium 35, 11. Ern.

vit. Hoc conſilio per conſcios parum celato, ſolutilem navem, cuius vel naufragio vel camerae ruina periret, commentus eſt. Atque ita reconciliatione ſimulata, iucundiſſimis litteris Baias evocavit ad ſollemnia Quinquatruum ſimul celebranda: datoque negotio trierarchis, qui Liburnicam, qua advecta erat, velut fortuito concurſu confringerent, protraxit convivium. Repetentique Baulos, in locum corrupti navigii, machinoſum illud obtulit, hilare proſecutus; atque in digreſſu papillas quoque exosculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilavit, coeptorum opperiens exitum. Sed ut diverſa omnia, nandoque evaſiſſe eam comperit, inops conſilii, L. Agerinum libertum eius, ſalvam et incolumem cum gaudio nuntiantem, abiecto clam iuxta pugione, ut percuſſorem ſibi ſubornatum, arripi conſtringique iuſſit, matremque occidi; quaſi deprehenſum crimen voluntaria morte vitaſſet. Adduntur his atrociora, nec incertis auctoribus: ad viſendum interfectae cadaver accurriſſe, contrectaſſe membra, alia vituperaſſe, alia laudaſſe, ſitique interim oborta, bibiſſe. Neque tamen conſcientiam ſceleris, quamquam et militum et Senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim aut umquam poſtea ferre potuit, ſaepe

Nec] Servavi cum Burmanno, etſi Graevius repoſuit *ſed*, quod Lipſio placuerat. Provocat ad vetuſtiores cdd. Graevius, ſed non nominat. Tacitus quidem tradit, ſcriptores disſentire, ſed potuit Suetonius auctores, qui traderent, certos putaſſe. Ern. Mihi quoque placet *ſed*. Quod Tac. 14, 9. dicit, *fuiſſe, qui abnuerint*, et alios, *qui tradiderint*, non credo Oudendorpio, hos, *qui tradiderunt*, auctores *non incertos* a S. vocari. Nimis hoc quaeſitum eſſet.

confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, verberibusque Furiarum, ac taedis ardentibus. Quin et, facto per magos ſacro, evocare manes, et exorare tentavit. Peregrinatione quidem Graeciae, Eleuſiniis ſacris, quorum initiatione impii et ſcelerati voce praeconis ſummoventur, intereſſe non auſus eſt. Iunxit parricidio matris amitae necem. Quam quum ex duritia alvi cubantem viſitaret, et illa tractans lanuginem eius, ut aſſolet, iam grandis natu, per blanditias forte dixiſſet: *Simul hanc excepero, mori volo:* converſus ad proximos, confeſtim ſe poſiturum velut irridens ait: praecepitque medicis, ut largius purgarent aegram. Necdum defunctae bona invaſit, ſuppreſſo teſtamento, ne quid abſcederet.

Uxores praeter Octaviam duas poſtea du- 35
xit, Poppaeam Sabinam, quaeſtorio patre natam et Equiti Romano antea nuptam; deinde Statiliam Meſſalinam, Tauri bis Conſulis ac triumphalis abneptem. Qua ut potiretur, virum eius, Atticum Veſtinum Conſulem, in honore ipſo trucidavit. Octaviae conſuetudinem cito aſpernatus, corripientibus amicis, *ſufficere illi debere*, reſpondit, *uxoria ornamenta.*

Materna ſpecie] Apparente matre in ſomnis, tamquam ſpectro, ut ſaepe *ſpecies* dicitur. Claud. c. 1. *Species barbarae mulieris*, ubi tamen non erat de certa quadam perſona cogitandum.

Summoventur] Sic Mſſ. plures et ed. Rom. pro *ſummoverentur*, quod recte recepit Oudendorpius. Dictum eſt e perſona Suetonii. Ern.

Iunxitque parricidio] Reduxi lectionem plerorumque codd. et edd., pro qua Graevius et Burmannus *iunxit*. Vide ad c. 38. Ern. Immo delenda erat copula, qua carent optimi Mſſ.

Ut aſſolet] Intellige *fieri*,

Eandem mox ſaepe fruſtra ſtrangulare meditatus, dimiſit ut ſterilem: ſed improbante divortium populo, nec parcente conviciis, etiam relegavit. Denique occidit ſub crimine adulteriorum, adeo impudenti falſoque, ut in quaeſtione pernegantibus cunctis, Anicetum paedagogum ſuum indicem ſubiecerit, qui dolo ſtupratam a ſe fateretur. Poppaeam duodecimo die poſt divortium Octaviae in matrimonium acceptam, dilexit unice. Et tamen ipſam quoque ictu calcis occidit, quod ſe, ex aurigatione ſero reverſum, gravida et aegra conviciis inceſſerat. Ex hac filiam tulit Claudiam Auguſtam, amiſitque admodum infantem. Nullum adeo neceſſitudinis genus eſt, quod non ſcelere perculerit. Antoniam Claudii filiam recuſantem poſt Poppaeae mortem nuptias ſuas, quaſi molitricem novarum rerum, interemit: ſimiliter interemit ceteros, aut affinitate aliqua ſibi, aut propinquitate coniunctos. In quibus Aulum Plautium iuvenem: quem quum ante mortem per vim conſpurcaſſet, *Eat nunc*, inquit, *ma-*

ut recte monuit Burmannus. Conf. Aug. c. 38. Drakenb. ad Liv. 36, 25. Ern.

Cap. 35. *Sub crimine adulteriorum*] Sicut Latine dicunt *ſub ſpecie, praetextu*. Conf. Petron. c. 69., ubi vide Burm.

Indicem ſubiecerit] Quare *indicem* deleri voluerint Viri docti, quum optimi et plerique libri habeant, non video. Forte *fatendi* verbum non ſatis aptum indici viſum. At noſter in Caeſ. c. 20. Vettium, quem induxerat Caeſar, *ut, ſe de inferenda Pompeio nece ſollicitatum a quibusdam, profiteretur*, ſimiliter mox *indicem* vocat. Ern.

Conſpurcaſſet] Recepi pro vulgato *conſtupraſſet*: nam illud plerique et optimi codd. habent, non hoc: tum verbum *oſculetur* clare indicat, conſpurcatum eſſe per foedam obſcoenitatem os eius a Nerone, non ſtupratum ipſum. Ern.

ter mea, et ſucceſſorem meum oſculetur: iactans, dilectum ab ea, et ad ſpem imperii impulſum. Privignum Rufium Criſpinum Poppaea natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari, dum piſcaretur, ſervis ipſius demandavit. Tuſcum nutricis filium relegavit, quod in procuratione Aegypti, balineis in adventum ſuum exſtructis laviſſet. Senecam praeceptorem ad necem compulit: quamvis ſaepe commeatum petenti, bonisque cedenti, perſancte iuraſſet, *ſuſpectum ſe fruſtra, periturumque potius, quam nociturum ei.* Burro Praefecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum miſit. Libertos divites et ſenes, olim adoptionis, mox dominationis ſuae fautores atque rectores, veneno, partim cibis, partim potionibus indito, intercepit.

Nec minore ſaevitia foris et in exteros graſ- 36
ſatus eſt. Stella crinita, quae ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri coeperat. Anxius ea re, ut ex Babilo aſtrologo didicit, ſolere reges talia oſtenta caede aliqua illuſtri expiare, atque a ſemet in capita procerum depellere; nobiliſſimo cuique exitium deſtinavit. Enimvero multo magis, et quaſi per iuſtam cauſſam, duabus coniurationibus provulgatis: quarum prior maiorque Piſoniana, Romae; poſterior, Viniciana, Beneventi conflata atque detecta eſt. Coniurati e vinculis triplicium catenarum dixere

Burro Praefecto] Intellige, *praetorii.* Ubique ſcripſi *Burrum,* ut *Raetiam,* in quibus et paucis aliis nominibus temere ſpiritus addi ſolet. Conf. Erneſt. ad Tac. Ann. 12, 42.

caussam: quum quidam crimen ultro faterentur, nonnulli etiam imputarent, tamquam aliter illi non possent nisi morte succurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi Urbe pulsi, enectique veneno aut fame. Constat, quosdam cum paedagogis et capsariis uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quaerere.

37 Nullus posthac adhibitus delectus aut modus interimendi, quoscumque libuisset, quacumque de caussa. Sed ne de pluribus referam, Salvidieno Orfito obiectum est, quod tabernas tres de domo sua circa forum civitatibus ad stationem locasset: Cassio Longino iurisconsulto, ac luminibus orbato, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris

Cap. 37. *Civitatibus ad stationem*] Ubi starent et versarentur, pleni fori tempore, legati civitatum, ut inveniri a convenire volentibus possent. Sed istae stationes privatae singularum civitatum fuere: communis autem publica, quae *Graecostasis* vocabatur; de qua Varro lib. 4. de lingua Latina et alii. Utrum de privata statione, an de Graecostasi, cum Cortio, sit capiendus locus Sallustii Catil. c. 40., haud definiam. ERN.

Vetere gentis stemmate] Ita, pro vulgato *gentili*, rescripsi e Ms. Lyler., cui Excerpta Cuiac. et Voss. et alii Mss. adstipulantur. Non solet Suetonius duo adiectiva sine copula iungere. Poetis hoc conceditur; quamquam saepe inde corrigendi occasionem sumunt, etiam in poetis, Viri docti, ut nuper in Virgilio Burmannus. Sed in historico tam terso si ferendum est propter librorum consensum, tamen, extra hanc necessitatem, non inducendum. Huc ducit etiam codex Copesianus, qui habet, *in vetere gentilis stemmate Cassii;* nisi quis hinc velit suspicari, traiectionem verborum factam, et legendum esse, *in vetere stemmate gentilis Cassii* etc. ERN. Haec falsa esse, et ex errore nata, nemini dubium erit post tot doctorum admonitiones. *Stemma gentile* quasi unum substantivum est, ut *nomen gen-*

Caesaris retinuisset imagines: Paeto Thraseae,

ilitium, *negotium familiare*, euiusmodi nominibus iungi poest atque adeo poscit adiectivum sine copula, ut *nomen gentilitium vetus*, *nomen adoptivum novum*, *negotia familiaria perampla* etc.; quo in genere fere adiectivum potest resolvi in genitivum nominis, neque ad praedicatum pertinet.

Retinuisset] Secutus sum recentiores editores, quod plurium codd. auctoritate nititur haec lectio, quam altera *restituisset*. Ceterum pace Virorum doctorum dictum sit: sensum huius loci non perspexerunt, nec illud *retinuerunt* recte explicarunt. Tenendum igitur est, illis fere temporibus invaluisse, ut stemmata gentium conficerentur et in atrio proponerentur; de quo more insignis locus est apud nostrum in Galba c. 2.: nam omnia loca, in quibus stemmatis mentio, hanc aetatem non superant, nec ullum antiquius vestigium. Ciceronis quidem tempore et ante talia stemmata proposita non fuisse, certum mihi est. Quum igitur Cassius Longinus, homo doctus, suae gentis stemma conficeret, *retinuit*, h. e. non praeteriit, sive omisit, Cassium, percussorem Caesaris. Ea res animadversa, (etenim in atrio de more positum stemma adverterat curiosos oculos) tum calamitatem attulit. Verbum *retinendi* sic usurpari veteribus, nemo, ut opinor, dubitabit; inprimisque *retinere* Censores dicuntur, quos non movent Senatu. Liv. 39, 42. Qui volent *restituisset* defendere, dicent, sublatas fuisse Cassii imagines ex atriis Cassiorum, uti Bruti utriusque et aliorum, qui coniurassent adversus Caesarem, ex quo hostes illi essent iudicati et perduelles: nam etiam alio insigni scelere convictorum imagines fractas et sublatas fuisse, docet Lipsius Elect. 1, 29. extr. Hinc ceteros, qui stemma conficerent Cassiorum, etiam ibi omisisse illum Cassium, nimio metu et adulandi studio; sed hunc Longinum restituisse: si cereas imagines, quae in funere portarentur, restituisset, iure illum puniri potuisse; sed hoc non facturum fuisse hominem iuris intelligentem: in stemmate autem poni imagunculam, non magis potuisse ei contra leges, et poena dignum videri, quam, si eius in historia mentio facta esset. Ern.

Imagines] Burmannus per enallagen numeri dictum, aut *imaginem* legendum putat. Illud in tali scriptore durum, etsi non est sine exemplo. Si coniecturis licet indulgere. ma-

tristior et paedagogi vultus. Mori iussis non amplius quam horarum spatium dabat. Ac ne quid morae interveniret, medicos admovebat, *qui cunctantes continuo curarent*. Ita enim vocabat venas mortis gratia incidere. Creditur etiam polyphago cuidam Aegyptii generis, crudam carnem, et quidquid daretur, mandere assueto, concupisse vivos homines laniandos absumendosque obiicere. Elatus inflatusque tan-

tem legere, *C. et L. Cassii percussorum Caesaris imagines*: nam duo isti fratres in coniuratis fuere, ut nemo ignorat. Si *Caium* retinuit aut restituit, haud dubie etiam *Lucium*: si illum retinuisse crimini fuit, profecto etiam hunc. Quia vulgo C. Cassius tantum cum Brutis nominatur in percussoribus Caesaris, ut apud nostrum in Caes. c. 80., quia principes fuere, imperiti librarii potuerunt facile induci, ut mutarent. Potuit etiam C. Cassii nomen omnino addi a librariis, et *percussorum*, quod scriptum erat *percussorū*, in *percussoris*, eadem de caussa, mutari. In codice Copesiano quidem simpliciter est, *in vetere gentis stemmate percussoris Caesaris imagines*; neque profecto opus erat, nomen addi a Suetonio, quod per se intelligi potest. Ern. Unam C. Cassii *effigiem* scribit Tac. Ann. 16, 7.; sed eius imaginis, sicut mos erat, plura variis in locis visebantur exemplaria; unde saepe dicuntur *imagines hominis*. Recte igitur vulgatum defendit Oudendorp.

Tristior et paedagogi vultus] Quo videretur tempora sua reprehendere et improbare, ut recte Graevius. Ern.

Horarum] Sic codd. et edd. antiquae, quod recte restituit, pro *horarium*, Burmannus, et vindicavit; diciturque elliptice pro *horarum aliquot*. Ern. Tamen hoc durissimum videtur, etsi plerisque omnibus placet. Quis alius scriptor ita dixit, aut *d i e r u m*, *a n n o - r u m spatium*? Neque per se adiectivum *horarius* pro *unius horae* potest displicere; aut propter rarissimum usum in iis, quos nunc reliquos habemus, libris Latinitati abiudicari. Equidem ita servandum putem *horarum*. si ex uno Guelff. legatur *III horarum*, numeri nota per *H* extrita; nisi quis Nerone dignius putet spatium horae unius.

tis velut ſucceſſibus, negavit, *quemquam principum ſciſſe, quid ſibi liceret.* Multasque nec dubias ſignificationes ſaepe iecit; ne reliquis quidem ſe parſurum Senatoribus; eumque ordinem ſublaturum quandoque e republica; ac provincias et exercitus Equiti Romano ac libertis permiſſurum. Certe neque adveniens, neque proficiſcens, quemquam osculo impertiit, ac ne reſalutatione quidem. Et in auſpicando opere Iſthmi, magna frequentia clare, *Ut ſibi ac populo Romano bene res verteret,* optavit, disſimulata Senatus mentione.

Sed nec populo, aut moenibus patriae pepercit. Dicente quodam in ſermone communi: 38

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί·

Significationes ſaepe iecit] Praeter rem hoc ſuſpectum Burmanno; aut nove dictum videtur. Cicero verbum *iacere* dicit etiam de rebus, quae ſubobſcure. et factis potius, quam verbis claris, indicantur. Ad Att. 2, 7. *illud quid ſit, ſcire cupio, quod iacis obſcure.* Ibid. 15; 26. *nonnullos interdum iacit igniculos viriles,* i. e. edit, oſtendit. Ern.

Cap. 38. *Sermone convivii*] *Convivii* recepi e Mſ. Lyſer., cui adſentitur Vindob. sec.; nimis enim elegans eſt, quam ut a librario proficiſci potuerit, et pro *communi* reponi. *Sermonem convivii* quum non intelligerent librarii, repoſuere *communi. Sermo* autem *communis* quid ſibi hoc loco velit, neſcio. *Sermonem* ſimpliciter ſolent ponere Latini in tali re, (quum alias bene dicatur *ſermo communis,*) ut notum eſt e Cicerone de Offic. 1; 37. *Sermo in circulis, disputationibus, congreſſionibusque familiarium verſetur: perſequatur etiam convivia.* Atque etiam *dicta convivii* ſunt apud Ciceronem l. c. c. 40. *Turpe eſt enim, valdeque vitioſum, in re ſevera, convivii dictu, aut delicatum aliquem inferre ſermonem.* Noſter in Caeſ. c. 87. *in ſermone nato ſuper coenam.* Similiter apud Tacitum Ann. 13, 17. pro *convivii* ed. pr. habet *communi.* Ern. Hic quoque redii ad vulgatam lectionem, quam plurimi et optimi codd. tenent, nihil motus

immo, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. Planeque ita fecit: nam, quasi offensus deformitate veterum aedificiorum et angustiis flexurisque vicorum, incendit Urbem tam palam, ut plerique Consulares cubicularios eius, cum stuppa taedaque in praediis suis deprehensos, non attigerint; et quaedam horrea circa domum Auream, quorum spatium maxime desiderabat, ut bellicis machinis labefactata atque inflammata sint, quod saxeo muro constructa erant. Per sex dies septemque noctes ea clade saevitum est, ad monumentorum bustorumque deversoria plebe compulsa. Tunc, praeter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatae, deorumque aedes ab regibus, ac deinde Punicis et Gallicis bellis votae dedicataeque: et quidquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat. Hoc incendium e turri Maecenatiana prospectans, laetusque *flammae*, ut aie-

rationibus ad Tacitum prolatis. *Communis sermo* opponitur *secreto*, sicque loquitur ab Oudendorp. laudatus Petron. c. 113. *Convivali* si in ullo cod. esset, omnem glossae vel potius mendae suspicionem abesse, credibile esset.

Praediis] Intellige urbanis, i. e. aedibus. Simpliciter sic verbum hoc ponit Suetonius etiam in Claud. c. 38. *Hic in aedilitate inquilinos praediorum suorum — — multasset.* Non igitur praestat *aedibus*, ut putat Burmannus. Ern.

Ut bellicis machinis] Importunum *ut* fortasse haesit ex male repetita syllaba priore. I. Gronov. coni. *desiderabatur, ut*; alii, minus bene, *vi bell.*

Turri Maecenatiana] In hortis, ut opinor, Maecenatianis. *Turrim* intellige, ut *Annibalis turrim* apud Livium 33, 48., ubi vide Dukerum; quod erat Palatium, situ et opere editum, unde prospectus in mare. Nostri vocant, *ein Schloss.* Talis turris intelligenda etiam apud D. Lucam 14,

bat, *pulcritudine,* ἅλωσιν Ilii in illo ſuo ſcenico habitu decantavit. Ac, ne non hinc quoque quantum poſſet praedae et manubiarum invaderet, pollicitus cadaverum et ruderum gratuitam egeſtionem, nemini ad reliquias rerum ſuarum adire permiſit: collationibusque non receptis modo, verum et efflagitatis, provincias privatorumque cenſus prope exhauſit.

Acceſſerunt tantis ex principe malis probrisque quaedam et fortuita: peſtilentia unius autumni, quo triginta funerum millia in rationem Libitinae venerunt; clades Britannica, qua duo praecipua oppida, magna civium ſocio- 39

28. Hinc apud Lucianum in Pſeudologiſta c. 19. inter κτήματα, *poſſeſſiones*, eſt etiam πυργίον. Turres tales in hortis vineisque exſtructae. Ex illo genere eſt haec Maecenatiana, ex hoc illa apud D. Matthaeum 21, 33. Conf. Tac. Hiſt. 3, 38. Ern.

Collationibusque] In vulgari interpunctione, per colon, ante *collationibusque,* haec referuntur ad antecedentia, capiendaque de collationibus ad inſtaurandam Urbem; quae nullae factae ſunt. Obfuit hic iterum ignoratus uſus copulae *que* apud hiſtoricos, in primisque Suetonium. Nempe *que* hic eſt, ut ſaepe, *praeterea,* et ſervit transitioni ad novum exemplum, partem etc., unde ſaepe initium periodi fit per *que:* vide ad Tib. c. 34. 37. Ner. c. 27. 34. 40. 44. etc.; quod quum non animadverterent librarii, atque adeo Viri docti, ſaepe in hac voce haeſitarunt, tollentes modo eam, modo *quoque* ſubſtituentes. Itaque nos pluribus locis, ductu codd. et edd. vett., Suetonio reſtituimus. Ipſe etiam Cicero ſic uſus eſt interdum, v. c. Epiſt. ad Div. 4, 1. *Trebatioque mandavi.* Livius porro 44, 16. incipit rei novae narrationem per *et,* ut ſaepe etiam Suetonius, v. c. ſupra c. 32. *Revocavit et praemia* etc.; mox, *Et quum interdixiſſet uſum* etc. Ergo hic novum et ultimum genus cladis incipit Suetonius, quo Nero imperium Romanum exhauſit, intelligendaeque collationes Neroni factae extra ordinem, de quo genere collationum egit nuper etiam Schwarzius ad Plinii Paneg. c. 41. Ern. At pecu-

rumque caede, direpta ſunt; ignominia ad Orientem, legionibus in Armenia ſub iugum miſſis, aegreque Syria retenta. Mirum, et vel praecipue notabile inter haec fuerit, nihil eum patientius quam maledicta et convicia hominum tuliſſe: neque in ullos leniorem, quam qui ſe dictis aut carminibus laceſſiſſent, exſtitiſſe. Multa Graece Latineque proſcripta aut vulgata ſunt, ſicut illa:

Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι.
Νεόνυμφον, Νέρων, ἰδίαν μητέρ᾽ ἀπέκτεινεν.

Quis negat, Aeneae magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Dum tendit citharam noſter, dum cornua Parthus,
Noſter erit Paean, ille ἑκατηβελέτης.

niam hanc a Nerone exactam eſſe ſub praetextu incendii, docet Xiphil. p. 709.

Cap. 39. *Fuerit*] Elegantius hoc, quam vulgatum *fuit.* Illud habent codd. plures, Memm., Copeſ., Voſſ., Cuiac., Lyſer. Si *fuit* eſſet a Suetonio, ſequi deberet *ferre*, non *tuliſſe*. Sed non vult dicere, illis temporibus admiratos homines eſſe: verum, in univerſum, admirandum eſſe; hoc eſt, *mirum fuerit*, non *fuit.* Itaque convenit mirari, non dudum iſtam lectionem receptam, quae etiam ſine codicibus, ratione neceſſaria grammatices poſtulante, debebat reponi. Recepit et Oudendorpius, non, ut ait, ob rationes grammaticas, ſed ob elegantiam. Mirum. Ern. Conf. Caeſ. c. 63. pr. Claud. c. 29. f. et Galb. c. 20. pr.

Proſcripta aut vulgata] I. e. vel publicis locis fixa et ſcripta, vel ſermonibus hominum vulgata, ſive ut c. 42. loquitur, *vulgo innotuerunt*, ut non neceſſe ſit, reponere *ac*, quod Torrentio non diſplicebat. Ern.

Νεόνυμφον] Hoc probo. Refertur ad matrem. Senſus eſt: Hi tres omnes ſunt μητροκτόνοι, ſed Nero matrem ſuam interfecit, quam etiam modo inceſtaverat. Ceterum non opus eſt, cum Oudendorpio diverſorum auctorum verſus putare. Eſt autem uterque ſenarius iambicus, et in altero Νέρων in fine ponendum, ut

Roma domus fiet: Veios migrate, Quirites,
Si non et Veios occupat ista domus.

Sed neque auctores requisiit: et quosdam per indicem delatos ad Senatum, affici graviore poena prohibuit. Transeuntem eum Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, *quod Nauplii mala bene cantitaret, sua bona male disponeret:* Et Datus Atellanarum histrio in cantico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum scilicet Claudii Agrippinaeque significans: et in novissima clausula,

Orcus vobis ducit pedes,

Senatum gestu notaret. Histrionem et philosophum Nero nihil amplius, quam Urbe Italiaque

Dorvillius et Oudendorpius viderunt. Ern.

Roma domus fiet] Intell. si Nero ad modum et magnitudinem domus aureae omne spatium Urbis occupabit.

Transeuntem eum] Delevi *eum* ex cd. Rom., etsi scio, Suetonium saepe hoc pronomen habere, ubi commode abit: sed quod hic e clausula praecedentis verbi ortum videtur, et nimis languet. Ern. Non omnes sentient languorem. Conf. ad Cael. c. 7.

Demonstraverat] Gestu expresserat, ut prope digito demonstrasse videretur Neronem, sive, ut ipse mox, gestu notarat. Exquisite usus est hoc verbo, sumto e lege, qua cautum fuit, ne histriones quemquam in scena vel nominarent, vel demonstrarent, contumeliae caussa. Aug. c. 45. *Pyladem Urbe atque Italia summovit, quod spectatorem, a quo sibilabatur, demonstrasset digito, conspicuumque fecisset.* Ern. *Bibentem* gestu quodam demonstraverat *patrem* Claudium, qui veneno periit; *natantem* autem *matrem*, ut in naufragio; c. 34.

Orcus vobis ducit pedes] Unice vera est Lipsii explicatio, Pluto vos per pedes ad manes trahit: maximeque huc facit, quod apud Lucianum Dial. Mort. c. 8. Cerberus Socratem pedibus detraxisse dicitur. Respiciebat histrio ad odium Ne-

ſummovit, vel contemptu omnis infamiae, vel ne fatendo dolorem irritaret ingenia.

40 Talem principem paullo minus quatuordecim annos perpeſſus terrarum orbis, tandem deſtituit: initium facientibus Gallis, duce Iulio Vindice, qui tum eam provinciam pro Praetore obtinebat. Praedictum a mathematicis Neroni olim erat, fore ut quandoque deſtitueretur: unde illa vox eius celeberrima, *τὸ τεχνίον πᾶσα γαῖα τρέφει*: quo maiore ſcilicet venia meditaretur citharoedicam artem, principi ſibi gratam, privato neceſſariam. Spoponderant tamen quidam deſtituto Orientis dominationem, nonnulli nominatim regnum Hieroſolymorum, plures omnis priſtinae fortunae reſtitutionem. Cui ſpei pronior, Britannia Armeniaque amiſſa,

ronis in Senatum, et conſilium eius omnino tollendi, de quo c. 38. Ern.

Cap. 40. *Gallis*] Burmannus malebat *Galliis*, quia non Galli, ſed Romani deficiebant. Sed et in Galba c. 16. *Galli*: infra tamen *Galliae*. Ern.

Spoponderant] Magis placet *Spoponderant*, ut eſt in Mſ. Lyſer., Voſſ., Cuiac., quam *Spoponderunt*. Aliis quoque locis perfectum plusquamperfecto a nonnullis ſubſtitutum, ut Veſp. c. 19. *revocaverat*, ubi Rob. Steph. ed. *revocavit*. Apud Ciceronem ad Div. 12, 15. *Profugerunt, onerariis relictis, in quibus colligendis non minimum temporis laborisque conſumpſerunt*; ubi ratio manifeſte poſtulat, legi *conſumpſerant*. Mox, poſt *deſtituto*, delevi *ei*, quod optimi codd., in quibus eſt etiam Memm. et Lyſer., non habent. Utrumque ſecutus eſt Oudendorpius. Ern.

Dominationem Orientis] Hoc nunc recepi pro *ordinationem*, quia et ſequentibus melius reſpondet, et in pluribus ſcriptis et edd. vett. eſt: et *dominationis* verbum ſic et alibi eſt apud noſtrum. Ern.

Cui ſpei pronior] H. e. ad quod ſperandum. Nam *pronus* cum dativo conſtructum quod mirabatur Lipſius, veriſſime defendit Erneſt. ad Tac. Ann. 4, 60.

ıc rurſus utraque recepta, deſunctum ſe fatalibus malis exiſtimabat. Ut vero, conſulto Delphis Apolline, ſeptuageſimum ac tertium annum cavendum ſibi audivit, quaſi eo demum obiturus, ac nihil coniectans de aetate Galbae, tanta fiducia, non modo ſenectam, ſed etiam perpetuam ſingularemque concepit felicitatem, ut, amiſſis naufragio pretioſiſſimis rebus, non dubitaverit inter ſuos dicere, *piſces eas ſibi relaturos.* Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipſo, quo matrem occiderat: adeoque lente ac ſecure tulit, ut gaudentis etiam ſuſpicionem praeberet, tamquam occaſione nata ſpoliandarum iure belli opulentiſſimarum provinciarum. Statimque in gymnaſium progreſſus, certantes athletas effuſiſſimo ſtudio ſpectavit. Coenae quoque tempore interpellatus tumultuoſioribus litteris, hactenus excanduit, ut malum iis, qui deſciſſent, minaretur. Denique per octo continuos dies non reſcribere cuiquam, non mandare quid aut praecipere conatus, rem ſilentio oblitteravit.

Edictis tandem Vindicis contumelioſis et 41
frequentibus permotus, Senatum epiſtola in ultionem ſui reique publicae adhortatus eſt, excuſato languore faucium, propter quem non adeſſet. Nihil autem aeque doluit, quam ut malum ſe citharoedum increpitum, ac pro Nerone Aënobarbum appellatum. Et nomen qui-

Septuag. ac tert. annum] Scilicet id aetatis hoc tempore erat Galba.

Piſces — relaturos] Uti olim Polycrati Samio in fabula ap. Herod. 3, 41. et alios.

Lente — tulit] H. e. nulla animi perturbatione, nulla ira. Conf. Heinſ. ad Ovid. 15, 169.

Occaſione nata] Mſ. Lyſer. *occaſionem nactus,* non infelici vitio.

dem gentile, quod ſibi per contumeliam exprobraretur, reſumpturum ſe profeſſus eſt, depoſito adoptivo. Cetera convicia, ut falſa, non alio argumento refellebat, quam quod etiam inſcitia ſibi tantopere elaboratae perfectaeque a ſe artis obiiceretur: ſingulos ſubinde rogitans, *noſſentne quemquam praeſtantiorem*. Sed, urgentibus aliis ſuper alios nuntiis, Romam praetrepidus rediit: leviterque modo in itinere frivolo auſpicio mente recreata, quum annotaſſet inſculptum monumento, militem Gallum ab Equite Romano oppreſſum trahi crinibus, ad eam ſpeciem exſiluit gaudio, caelumque adoravit. Ac ne tunc quidem aut Senatu aut populo coram appellato, quosdam e primoribus viris domum evocavit, transactaque raptim conſultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit: oſtendensque ſingula, de ratione ac difficultate cuiusque diſſerens, iam ſe etiam prolaturum omnia in Theatrum affirmavit, ſi per Vindicem liceat.

42 Poſtquam deinde etiam Galbam et Hiſpanias deſciviſſe cognovit, collapſus, animoque male fracto, diu ſine voce et prope intermortuus iacuit. Utque reſipuit, veſte diſciſſa, capite converberato, *actum de ſe*, pronuntiavit: conſolantique nutriculae, et aliis quoque iam principibus ſimilia accidiſſe memoranti,

Cap. 41. *Inſcitia ſibi tantopere elaboratae —| artis*] Primum e Mſſ. cum Oudendorpio addidi *ſibi*, quod hoc etiam loco elegans eſt, ſi ad *obiiceretur* refertur. Tum *elaboratae* pro *laboratae*, e veriſſima Burmanni correctione. Vulgatum poetam ſapit, ut Virgil, *arte laboratae ve-*

Se vero praeter ceteros inaudita et incognita pati, respondit, *qui summum imperium vivus amitteret.* Nec eo secius quidquam ex consuetudine luxus atque desidiae omisit vel imminuit. Quin immo, quum prosperi quiddam ex provinciis nuntiatum esset, super abundantissimam coenam, iocularia in defectionis duces carmina, lasciveque modulata, quae vulgo notuerunt, etiam gesticulatus est; ac spectaculis Theatri clam illatus, cuidam scenico placenti nuntium misit, *abuti eum occupationibus suis.*

Initio statim tumultus, multa et immania, verum non abhorrentia a sua natura, creditur destinasse: successores percussoresque summittere exercitus et provincias regentibus, quasi conspiratis, idemque et unum sentientibus; quidquid ubique exulum, quidquid in Urbe hominum Gallicanorum esset, contrucidare; illos, ne descisentibus aggregarentur; hos, ut conscios popularium suorum atque fautores: Gallias exercitibus diripiendas permittere; Senatum universum veneno per convivia necare; Urbem incendere, feris in populum immissis, quo difficilius defenderetur. Sed absterritus, non tam 43

sies. Ern. *Laboratae* tamen apud S. ferri potest, et in omnibus MSS. comparet.

Cap. 42. *Summum imperium*] *Summum*, quod Burmannus recte revocavit e codd. et edd. Rom., habet etiam MS. Lyser. Ern.

Abuti eum occupationibus suis] Per fraudem captare tempus, quo ipse occupatus esset, ut non posset cum eo certare, sed cogeretur ei concedere, ut populo placeret. Ern.

Cap. 43. *Defenderetur*] Intellige *incendium*. MS. Lyser. habet *defenderent*, intell. *homines incendium*. *Defendere incendium* est, arcere ab ae-

poenitentia, quam perſiciendi deſperatione, credensque expeditionem neceſſariam, Conſules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum ſolus iniit conſulatum, quaſi fatale eſſet, non poſſe Gallias debellari, niſi a ſe Conſule. Ac ſusceptis faſcibus, quum poſt epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium, affirmavit, ſimul ac primum provinciam attigiſſet, inermem ſe in conſpectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum; revocatisque ad poenitentiam defectoribus, inſequenti die laetum inter laetos cantaturum epinicia, quae iam nunc ſibi componi oporteret.

44 In praeparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula, portandis ſcenicis organis, concubinasque, quas ſecum educeret, tondendi ad virilem modum, et ſecuribus peltisque Amazonicis inſtruendi. Mox tribus urbanas ad ſacramentum citavit: ac nullo

dibus ſuis, ut eſt c. 16. pr. Ern. Intell. *defenderetur populus a feris ante incendium immiſſis,* ut recte vidit Oudendorp.

In utriusque locum] Mſ. Lyſer., Vindob. ſec. *loco*; quod non displiceret, ſi abeſſet *in*. *In locum* dicitur, ut *in vicem*, pro *vice*; de quo vide Clavem Cic. in h. v. Ern.

Niſi a ſe Conſule] Ita reſcripſi e Mſ. Lyſer., cui conſentit Vindob. pr. pulcherrima et clariſſima ſententia. Imitatus eſt Oudendorpius. Vulgata *a Conſule* nihili eſt: nam etiam illi, quos detruſerat honore, Conſules erant. Aliter eſt in Caeſ. c. 79. *Parthos, niſi a rege, non poſſe vinci.* Ern.

Simul ac primum provinciam etc.] Burmannus mavult *primam*, h. e. primam partem provinciae: Sed, unde conſtabat, exercitum in prima parte provinciae eſſe? *Simulac primum* autem etiam alibi dixit Suetonius, Caeſ. c. 30., ubi vide ipſum Burmannum. Conf. Drakenb. ad Liv. 6, 1. Ern.

Cap. 44. *Tribus urbanas*] Cur *urbanas*? e quibus, quod

idoneo respondente, certum dominis servorum numerum indixit: nec, nisi ex tota cuiusque familia probatissimos, ne dispensatoribus quidem aut amanuensibus exceptis, recepit. Partem etiam census omnes ordines conferre iussit; et insuper inquilinos privatarum aedium atque insularum pensionem annuam repraesentare fisco. Exegitque ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam: ut plerique omnem collationem palam recusarent, consensu flagitantes, a delatoribus potius revocanda praemia, quaecumque cepissent.

in iis tum fex populi et tenuissima plebecula, nulli milites lecti; nisi tum data opera Nero fecit. Quod si ponamus, mirum sit, nullum in tanto numero idoneum respondisse, h. e. qui aetatem et vires militares haberet. Nam quod Torrentius putat, intelligendum, qui e legibus Romanis honeste militare posset, id nihili et ab hoc loco alienum est: nam primo tales non sunt in tribubus urbanis; deinde, hoc quo modo spectarit is, qui etiam servos milites fecit? Magnopere vereor, ne *urbanas* insititium et spurium sit. *Tribus* ad sacramentum citari saepe legi, *urbanas tribus* numquam, quod sciam. Sic in Aug. c. 57. *tribus* simpliciter memoratae. Nec tamen displicet Oudendorpii correctio, *tribus universas*. Vide ad Tac. Hist. 3, 58. Ern.

Privatarum] Utrum earum, quae essent privatorum, ut ita non modo partem census amitterent, sed etiam reditus aedium et insularum; an earum, quae essent in patrimonio privato Neronis: nam has sic appellari posse, arbitror. *Procuratores rei privatae Caesaris* satis noti sunt. Quamquam in hoc intellectu supervacua foret vox *fisco*, quae per se intelligi posset; sed et in illa ratione *privatarum* abundat. Ern.

Nummum] Hoc generis nomen est, et quum aereos, tum argenteos et aureos numos indicat. In omni genere pecuniae exigebat, ut esset recens, nondum usu detrita, in argentea et aurea, ut esset ex argento, auroque purissimo. Ern.

45 Ex annonae quoque caritate lucrantium accrevit invidia. Nam et forte accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexiffe. Quare omnium in fe odio incitato, nihil contumeliarum defuit, quin fubiret. Statuae eius a vertice cirrus appofitus eft cum infcriptione

Cap. 45. *Lucrantium*] Etfi valde blanditur Sabellici emendatio, quam et Graevius recepit, *luctantium*, propter rationem lubiectam: tamen fervavi *lucrantium*, quae eft lectio codd. plurimorum; etfi nonnulli habent *lucrantia*, quod ortum eft e compendio fcribendi *lucrantiū*. In invidia erant ii, qui ex annonae caritate lucrabantur, ut fit tali tempore. Ea invidia *Neroni* accrevit, quia aulicis luctatoribus arena ex Aegypto advecta nuntiabatur, quum frumentum potius apportandum videretur. *Luctantium* nimis generale eft. Si horum invidiam accreviffe Neroni, dicere voluiffet, dixiffet potius, *luctatorum aulicorum invidia:* non enim omnes luctatores invidia potuerunt flagrare, fed aulici tantum; nec aliorum invidia potuit Neroni accrefcere, nifi aulicorum. Oudendorpio placet *lucranti:* non cepit fatis noftra. Ern. Contextus plane hanc pofcit correctionem, quae et Perizonio et aliis, nuper etiam Ruhnkenio, vera videbatur. Nec Latina effet ellipfis, *Neroni.*

Nihil contumeliarum defuit] Nuspiam memini, me legere hunc loquendi modum. Latinitas poftulat, legi, *nihil contumeliarum fuit, quin fubiret.* Scio quidem, poft *deeffe* et *abeffe* poni *quin.* Vide Burmannum ad Virgil. Aen. 8, 147. Cicero ad Attic. 11, 15. *nihil deeft, quin fim miferrimus.* Livius 8, 4. *quid abeft, quin — Samnitium quoque dicto pareamus?* Sed in hac forma ponitur, pro, nihil impedit, aut nihil amplius defideratur ad id, ut fiat aliquid; qui fenfus huic loco non convenit. Similiter corruptus hoc in verbo Cicero Verr. 5, 2. *Non puto hoc etiam deeffe impudentiae tuae, ut quidquam eiusmodi dicere audeas:* ubi haud dubie legendum *effe,* ut verba, *hoc etiam, ut quidquam,* planiffime arguunt. Non arbitror, hoc etiam in impudentiam tuam cadere etc. Ern.

Cirrus] Alii *currus.* Sed *cirrus* habent Menm. optimus

Graeca, *Nunc demum agona esse;* et, *Raderet tandem.* Alterius collo et ascopera deligata, simulque titulus: *Ego quid potui? sed tu*

aliique codd., eique lectioni verba, *appositus a vertice,* magis conveniunt: nam de cirro et coma proprium verbum esse *apponere,* satis constat. Currus non potuit apponi a vertice, sed simulacrum eius in capite, aut vertice debuit poni. Mox recepimus *raderet* e vestigiis codd., qui habent *traderet,* in quibus etiam Lyser.; quamquam Graevius e Memmiano laudat *raderet.* Si *cirrus* est vera lectio, ut credimus, aut recipitur in contextum, ut fecimus, necessarium est etiam, recipi *raderet.* Qui *currum* servabunt, retinebunt *traheret,* quae tamen lectio vel sic inepta est: nam in certamine Circensi non auriga trahit currum, sed equi. *Ageret* ergo dicendum foret. Ceterum dictum illud sic intelligo: Nero alebat comam, quam in gradus muliebriter formatam, Achaica peregrinatione etiam pone verticem summiserat. Infra c. 51. Hi sunt *cirri,* Neroque ita *cirratus.* Sic *servi cirrati* sunt, qui comam alunt; unde *picam cirratam* apud Petronium in Fragm. Tragur. c. 58. recte explicat Burmannus. Id fortasse fecit etiam hac de caussa, ut, certans in Graecia cum citharoedis, similis Apollini ἀκερσεκόμᾳ esset coma, cui cantu aequaretur. Huc respiciens irrisor, cirrum statuae eius, quae brevem capillum haberet, a vertice, quod idem est, ac, pone verticem, apposuit, cum inscriptione, *Nunc demum agona esse:* illos Achaicos agonas, ludos fuisse, non agonas, nunc verum certamen imminere cum Vindice: *raderet* ergo tandem *cirrum,* qui alienus esset a tali veroque certamine. Sic arbitror, sensum loci satis clarum et venustum exsistere. Qui meliora poterit docere, eum libenter audiam. Ern. Oudendorp. bene tuetur scripturam *traderet,* sic explicans: Personam ineptam deponeret, imminente vero agone superandus. *Cirri* seu *cincinni* Latine non *raduntur,* sed *tondentur.*

Ego quid potui] Intelligo *peccare.* Latini sic simpliciter ponunt, omisso verbo, quod contextus facile suppeditat. Sic Camilla apud Virgilium Aen. II. extr. *hactenus potui,* scil. pugnare, hostes repellere. Sic iam cepit Rittershusius. Verba, *sed tu,* faciunt, ut sic capiendum videatur. Ern.

culeum meruiſti. Adſcriptum et columnis etiam: *Gallos eum cantando excitaſſe.* Iam noctibus iurgia cum ſervis plerique ſimulantes, crebro *vindicem* poſcebant.

46 Terrebatur ad hoc evidentibus portentis ſomniorum et auſpiciorum et ominum, tum veteribus, tum novis. Numquam antea ſomniare ſolitus, occiſa demum matre, vidit per quietem, navem ſibi regenti extortum gubernaculum; trahique ſe ab Octavia uxore in artiſſimas tenebras; et modo pennatarum formicarum multitudine oppleri, modo a ſimulacris gentium ad Pompeii Theatrum dedicatarum circumiri arcerique progreſſu. Aſturconem, quo maxime laetabatur, poſteriore corporis parte in ſimiae ſpeciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros. De Mauſoleo, ſponte foribus patefactis, exaudita vox eſt, nomine eum cientis. Kalendis Ianuariis exornati

Iam Gallos eum etc.] Secutus ſum Burmannum, qui hanc lectionem e vett. edd. et codd. duobus reduxit. Verum verbum *cantando* videtur corrumpere dicterium, cuius acumen eſt ex ambiguitate verbi *gallos,* et *excitare,* quae tolli videtur, addito verbo *cantando.* Ern.

Vindicem poſcebant] Intellige, formula aliqua verborum, in qua Vindicis verbum uſurparetur. Ea qualis fuerit, nondum reperi, nec data opera requiſivi. Ern.

Cap. 46. *Artiſſimas tenebras*] Quia in certis modis loquendi *arctus* idem eſt quod *denſus,* cuius generis exempla Lexica ſuppeditabunt, factum eſt, ut Suetonius, forte tum et alii, *arctas tenebras,* pro denſis, dicerent, tamquam *arctus* et *denſus* eſſent plane ſynonyma. Exemplum ex Apuleio, qui ſimiliter dixit *arctiſſimas tenebras,* produxit Burmannus, quamquam ibi codd. quidam habent *altiſſimas;* quod etiam hic reponi Lipſius volebat. Id non neceſſarium, propter ea, quae dixi, arbitror. Ern.

Nomine eum ciens] Secutus ſum eos potius codd., qui *ciens*

Lares in ipſo ſacrificii apparatu conciderunt. Auſpicanti Sporus anulum muneri obtulit: cuius gemmae ſcalptura erat: *Proſerpinae raptus.* Votorum nuncupatione, magna iam ordinum frequentia, vix repertae Capitolii claves. Quum ex oratione eius, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, *daturos poenas ſceleratos, ac brevi dignum exitum facturos,* conclamatum eſt ab univerſis: *Tu facies, Auguſte!* Obſervatum etiam fuerat,

haberent, quam qui *cientis:* nam quorſum referas *cientis*? Sic Liv. 5. 32. *vocem audiſſe, quae iuberet,* h. e. iubentem. Aliter eſt in loco Virgilii Aen. 4, 460., quem huc trahunt Viri docti:

Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Viſa viri. — —

Ern. Utrumque Latinum eſſe, ne dubites. Sed *ciens* in perpaucis neque optimis codd. legitur.

Scalptura] Recepimus ex edd. Baſil., Ald. et Steph., Latinitate poſtulante. Gemmarum eſt *ſcalptura,* non *ſculptura,* ut e Plinio atque etiam ex noſtri Galba c. 10. patet. Talia ſuperioribus ſeculis recte etiam librorum iniuſſu correxerunt Viri docti: peccantque hodie Critici, ſi in talibus, tam manifeſtis, codd. auctoritatem requirunt. Quodſi inſtauratores bonarum litterarum et primi editores auctorum Graecorum et Latinorum ſuperſtitione noſtrorum hominum infecti fuiſſent, nae multa adhuc peccata grammatica in libris veterum integra reperiremus. Ac miranda profecto eſt inconſtantia Virorum doctorum, qui in Galba c. 10. *ſcalpturam gemmae* receperunt, quod Latinitas poſtulat, etſi ibi multi, et ſcripti, et editi, habent *ſculpturam,* hic *ſculpturam* reliquerunt. Ceterum non ignoro, Salmaſium ad Solinum *ſculpturam* et *ſcalpturam* in gemmis ſtatuere, hoc diſcrimine, ut altera caelet gemmas, altera excavet, ſed ſine argumentis idoneis. Ern. Conf. ad Aug. c. 50.

Votorum nuncupatione] Dicitur, ut paſſim apud noſtrum *ludis, Circenſibus, gladiatoribus,* h. e. die, qua vota pro Caeſare nuncuparentur in templis deorum. Ern.

Tu facies] Asſentatores ſic capiebant: Tu facies, Caeſar,

noviſſimam fabulam cantaſſe eum publice *Oedipodem exulem*, atque in hoc deſiſſe verſu:

Θανεῖν μ᾽ ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

47 Nuntiata interim etiam ceterorum exercituum defectione, litteras prandenti ſibi redditas concerpſit, menſam ſubvertit, duos ſcyphos gratiſſimi uſus, quos Homerios a caelatura carminum Homeri vocabat, ſolo illiſit, ac ſumpto a Locuſta veneno, et in auream pyxidem condito, tranſiit in hortos Servilianos. Ubi, praemiſſis libertorum fidiſſimis Oſtiam, ad claſſem praeparandam, tribunos centurionesque praetorii de ſugae ſocietate tentavit. Sed partim tergiverſantibus, partim aperte detrectantibus, uno vero etiam proclamante:

Usque adeone mori miſerum eſt?

varia agitavit: Parthosne an Galbam ſupplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque roſtris quanta maxima poſſet miſeratione

ut dignam luant poenam, dignum exitum habeant: ſed poſt, interfecto Nerone, animadverſum eſt, potuiſſe etiam ſic capi, ut ad *exitum* referretur: Tu vero dignum exitum facies. Ern.

Cap. 47. *A caelatura carminum*] Litterata pocula putant intelligi Caſaubonus ad Athenaeum II, 5., Reineſius ad Petron. c. 51. et Burmannus. Sed *caelaturae* verbum non ſinit, intelligi litterata, ſed in quibus argumentum caelatum eſſet ex Homero ſumtum. *Litterata pocula* ſunt ἐντετυπωμένα, quo verbo utitur Athenaeus; *caelata* autem ἐκτετυπωμένα, ut Salmaſius ad Solinum docuit. Ern.

Varia agitavit] Mſſ. plures habent *varie*, inprimis Memm., Medic., Lyſer.; non diſplicet. Cicero dicit *varie affici*: quidni et *varie agitare* dicatur. Ern. Per ſe quidem non dubium eſt; ſed h. l. merum vitium videtur.

Miſeratione] Male huic praefert Burmannus *veneratione* e codd. Harlemenſi, Peri-

veniam praeteritorum precaretur; ac, ni flexiſſet animos, vel Aegypti praefecturam concedi ſibi oraret. Inventus eſt poſtea in ſcrinio eius hac de re ſermo formatus: ſed deterritum putant, ne prius, quam in forum perveniret, discerperetur. Sic cogitatione in poſterum diem dilata, ad mediam fere noctem excitatus, ut comperit, ſtationem militum receſſiſſe, proſiluit e lecto, miſitque circum amicos. Et quia nihil a quoquam renuntiabatur, ipſe cum paucis hoſpitia ſingulorum adiit. Verum clauſis omni-

zon. et edd. quibusdam antiquis. *Veneratio* non eſt verbum ſupplicis, veniam petentis, ſed honorem alicui habentis, quam etiam *adorationem* vocabant, ut ipſe vidit. *Miſeratio* autem h. l. exquiſite dicitur, pro lamentatione, ad miſericordiam commovendam apta. Praeterea aptior eſt *miſeratio* verbo *flexiſſet*, quam *veneratio*. Ern.

Vel Aegypti praefecturam] Cur hanc potiſſimum petere voluerit, nemo Interpretum docuit. Pancirollus ad Notit. dignitat. c. 117. cauſſam putat eſſe hanc, quod Aegyptus eſſet velut peculiare regnum Imperatoris. Hoc ne ſatis quidem intelligo. Maximam et potentiſſimam provinciam fuiſſe Aegyptum, ſcio; peculiare Imperatorum regnum fuiſſe, nusquam reperi. Cauſſa autem vera haec eſt: Nero ſibi aliquid petere vult, quod parvum longiſſimeque remotum ab Imperatoris faſtigio videretur; quod indicat adiecta particula *vel*. Itaque Aegypti provinciam petit, cuius praeſes eſſet infimus omnium dignitate inter praeſides provinciarum: nam tantum *Praefectus* dicitur, et ſumitur fere ex ordine equeſtri, ex inſtituto Auguſti, caretque pompa lictorum et faſcium. Ern.

Deterritum putant, ne] *Ne* pendet a verbo timoris, quod latet in verbo *deterritum*. Talia exempla plura memini me obſervare apud optimos ſcriptores. Ern.

Circum amicos — hoſpitia] Intelligendi ii, qui eſſent de cohorte amicorum et comitum, haberentque hoſpitia ſua in ipſo Palatio Neronis, ut Vinius et Laco ſub Galba. Vide in Galba c. 14. Quod non reſponderunt, ita capiendum, ut fugam illi, metu imminentis

um foribus, reſpondente nullo, in cubiculum rediit; unde iam et cuſtodes diffugerant, direptis etiam ſtragulis, amota et pyxide veneni. Ac ſtatim Spiculum mirmillonem, vel quemlibet alium percuſſorem, cuius manu periret, requiſiit. Et nemine reperto, *Ergo ego*, inquit, *nec amicum habeo, nec inimicum?* procurritque, quaſi praecipitaturus ſe in Tiberim.

48 Sed revocato rurſus impetu, aliquid ſecretioris latebrae ad colligendum animum deſideravit: et offerente Phaonte liberto ſuburbanum ſuum, inter Salariam et Nomentanam viam circa quartum milliarium, ut erat nudo pede atque tunicatus, paenulam obſoleti coloris ſuperinduit: adopertoque capite, et ante faciem obtento ſudario, equum inſcendit, quatuor ſolis comitantibus, inter quos et Sporus erat. Statimque tremore terrae, et fulgure adverſo pa-

periculi, capeſſierint. *Non reſpondere* de absentibus dici, notum eſt. Ern.

Aliquem percuſſorem, cuius manu] *Aliquem* eſt pro alium quem. Tum e ſeqq. alterutrum eſſe videtur a gloſſatore. Quia *percuſſoris* verbum alias dicitur de eo, qui vel conductus, vel coniuratus, verbo, contra ius et fas, alterum occidit, hic autem inuſitate de eo, cuius quis manu perit lubens, volensque: aliquis hanc explicationem in margine ſcripſiſſe potuit, quae poſt in contextum venit. Sic Tacitus Ann. 2 31. et alibi, *vocare percuſſorem* ſimpliciter, et 15. 63. *manumque percuſſoris expoſcit.* Sed poteſt etiam aliquis eleganti periphraſi nomen *percuſſoris* adſcripſiſſe. Ern. Oculorum error peperit hanc notulam. Nam nullo in libro reperimus *aliquem.*

Cap. 48. *Solis*] Recte hoc reduxit e codd. et vett. edd. Burmannus, pro quo invexit Caſaubonus *ſolum.* Etiam Mſ. Lyſer. habet *ſolis.* Ern.

Fulgure adverſo] Poſſis intelligere fulgur mali ominis; ſed melius eſt, intelligere, quod ante ipſum os Neronis emicuit. Ern.

vefactus, audiit ex proximis caſtris clamorem militum, et ſibi adverſa et Galbae proſpera ominantium: etiam ex obviis viatoribus quendam dicentem: *Hi Neronem perſequuntur;* alium ſciſcitantem: *Ecquid in Urbe novi de Nerone?* Equo autem odore abiecti in via cadaveris conſternato, detecta facie agnitus eſt a quodam miſſicio praetoriano, et ſalutatus. Ut ad deverticulum ventum eſt, dimiſſis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti ſemitam aegre, nec niſi ſtrata ſub pedibus veſte, ad averſum villae parietem evaſit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in ſpecum ege-

Ex proximis caſtris] Intelligunt omnes de praetoriis: eaque non procul a porta Viminali, ab qua initium ducebat via Nomentana, ponunt. Sed ita τὸ *proximis* redundat: nam Suetonii tempore omnes ſciebant, ibi eſſe caſtra praetoria, ſi erant. Ego vero parum certum arbitror, de praetoriis hunc locum capiendum. Plura militum caſtra fuiſſe extra Urbem, etiam e Galba c. 12. patet, ubi caſtra Germanorum, corporis Caeſarum cuſtodum, iuxta hortos Dolabellae, occurrunt: ſimiliterque alii milites externi ſua caſtra habuere. Etiam cohortes urbanae et legio e claſſiariis apud Tacitum Hiſt. 1, 6. profecto non in caſtris praetorianis fuere. Hinc Suetonius dicit, eum clamorem auditum *e proximis caſtris.* Quae autem, et quorum illa caſtra fuerint, ex hoc loco non licet colligere. Quare, niſi aliis locis doceatur, ibi praetoria fuiſſe, non poterimus ſcire, ubi praetoria fuerint, aut e quibus clamor ille auditus ſit. Ern.

Ad averſum villae parietem] Codices fere habent *ad adverſum* aut *adverſus,* ut eſt in Lyſer. Sed Gronovius et Perizonius putabant legendum, *ad averſum,* quod mihi quoque placet. Averſam villam voluit ingredi, ut melius lateret. In adverſa villae parte non facile clandeſtinus introitus parari potuiſſet: nec ad adverſum parietem villae, credibile, aditum per arundineti ſemitam fuiſſe, aut ſpecum egeſtae harenae. Ern. Correxi de ſententia ſeu potius aſſenſu Ruhnkenii.

ſtae arenae concederet, negavit, *ſe vivum ſub terram iturum:* ac parumper commoratus, dum clandeſtinus ad villam introitus pararetur, aquam ex ſubiecta lacuna poturus manu hauſit, et, *Haec eſt,* inquit, *Neronis decocta.* Dein, divulſa ſentibus paenula, traiectos ſurculos raſit: atque ita quadrupes per anguſtias effoſſae cavernae receptus in proximam cellam, decubuit ſuper lectum, modica culcita, vetere pallio ſtrato inſtructum. Fameque interim et ſiti

Concederet] Sic Mſſ. paene omnes boni et edd. vett. *Se conderet* eſt a Burmanno ex Mſ. uno aut duobus. Ern.

Sub terram iturum] E Virgilio ſumtum, Aeneid. 4, 564.

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Mox *poturus* pro *potaturus* dedi e Mſſ. melioribus. Ern.

Neronis decocta] Solitus erat, bibere aquam, quae decocta eſſet, et in nivibus poſita, ut refrigeraretur, et frigoris voluptas ſine vitiis nivis perciperetur, ut auctor eſt Plinius Hiſt. Nat. 31, 3., qui locus iam ab Torrentio laudatus eſt. Videndus ibi Harduinus. Ern.

Traiectos ſurculos raſit] Burmanno non placet, coniicitque *per traiectos ſurculos repſit. Radere ſurculos* eſt idem, quod repere per ſurculos. Nempe *radere viam* etc. dicuntur animalia, quae non pedibus moventur, ſed ventre terram et viam ſtringunt. Sic Virgilius, de columba volante, Aen. 5, 217. *radit iter liquidum,* quia illam aëriam viam ſuam toto ventre ſtringit, atque adeo radit, verritque; quo loco male verbum hoc carpebat Barthius, non percepta illa, quam dixi, verbi notione: eſt enim *radere* idem, quod terere, ſtringere. Vide Heinſium ad Ovidii Amores 3, 15, 2. Ern.

Modica culcita] Recepi *modica* e Mſſ. pluribus et edd. Rom.; *modicella* verbum nusquam occurrit. Sic et Oudendorpius. Ern.

Vetere pallio ſtrato inſtructum] Non ſic Latini. Numquam legi *lectum inſtructum.* Legendum, *vetere pallio ſtratum,* aut, ut Torrentius voluit, *inſtratum:* ſed illud malim. Quum ex *ſtratu* factum eſſet *ſtrato,* additum eſt *inſtructum,* quum participium tale deſideraretur. Ern.

interpellante, panem quidem ſordidum oblatum adſpernatus eſt, aquae autem tepidae aliquantum bibit.

Tunc unoquoque hinc inde inſtante, ut 49 quam primum ſe impendentibus contumeliis eriperet, ſcrobem coram fieri imperavit, dimenſus ad corporis ſui modulum: componique ſimul, ſi qua invenirentur, fruſta marmoris, et aquam ſimul ac ligna conferri, curando mox cadaveri, flens ad ſingula, atque identidem dictitans: *Qualis artifex pereo!* Inter moras perlatos a curſore Phaontis codicillos praeripuit, legitque, *ſe hoſtem a Senatu iudicatum, et quaeri, ut puniatur more maiorum:* interrogavitque, quale id genus eſſet poenae. Et quum comperiſſet, nudi hominis cervicem inſeri furcae, corpus virgis ad necem caedi: conterritus, duos pugiones, quos ſecum extulerat, arripuit; tentataque utriusque acie, rurſus condidit, cauſſatus, *nondum adeſſe fatalem horam.* Ac modo Sporum hortabatur, ut lamentari ac plangere inciperet; modo orabat, ut ſe aliquis ad mortem capeſſendam exemplo

Cap. 49. *Scrobem*] Quaerunt Viri docti, quo fine haec ſcrobs facta ſit: fateor, me neſcire. Homo ſtultus, mortem timens, quaerit moras. Ipſe forte neſciit, quare ſcrobem fieri vellet. Nec refert, talia ſcire. Ern. Hoc bonum ſolatium eſt, ubi aliquid ſcire non licet. Hic docti probabiliter coniiciunt, metu id factum eſſe, ne cadaver abiiceretur. Adde vulgatum, neque inhoneſtum, morem talis foſſae faciendae ſupplicia paſſuris, de quo vide Lipſ. ad Tac. Ann. 1, 61.

Extulerat] Intellige *ex Urbe.* Ita praeter Memmianum aliosque codices, quos Burmannus laudat, etiam Lyſer., idque cum Burmanno, pro vulgato *tulerat*, recepimus. Ern.

iuvaret: interdum ſegnitiem ſuam his verbis increpabat: *Vivo deformiter ac turpiter: οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει· νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις, ἄγε ἔγειρε σεαυτόν.* Iamque equites appropinquabant, quibus praeceptum erat, ut vivum eum attraherent. Quod ut ſenſit, trepidanter effatus:

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει,

ferrum iugulo adegit, iuvante Epaphrodito a libellis. Semianimisque adhuc, irrumpenti centurioni, et paenula ad vulnus appoſita, in auxilium ſe veniſſe ſimulanti, non aliud reſpondit, quam, *Sero,* et, *Haec eſt fides.* Atque in ea voce defecit, exſtantibus rigentibusque oculis, usque ad horrorem formidinemque viſentium. Nihil prius aut magis a comitibus exegerat, quam ne poteſtas cuiquam capitis ſui fieret: ſed ut, quoquo modo, totus cremaretur. Permiſit hoc Icelus, Galbae libertus, non multo ante vinculis exſolutus, in quae primo tumultu coniectus fuerat.

Vivo deformiter ac turpiter] *Ac turpiter* abeſt pluribus Mſſ. et edd. Rom., Ven. pr.; videturque Burmanno eſſe a gloſſatore, delevitque Oudendorpius. Poteſt *deformiter* referri ad habitum et conditionem praeſentem, *turpiter* ad indignitatem et ignominiam: ita non erit tautologia. Sed Cannegieterus etiam addi vult *pereo* e Io. Sariber. Policratico 8, 19.; Schraderus etiam *vivo* corrigit *vixi.* Vide Cannegieter. ad Collat. Legg. Moſaic. p. 183. Neutrum placet. Sermo eſt de conditione praeſenti, ut e ſeqq. patet, quibus ſe excitat ad mortem oppetendam. Ern.

Aut magis] Sic codd. optimi, etiam Lyſer., et edd. vett., pro *ac magis:* recepimus igitur merito. Leve hoc eſt: ſed ſi codices et veteres edd. ſequendi, niſi gravior ratio obſtet; etiam in parvis audire, diligentis editoris eſt. Secutus eſt Oudendorpius. Ern.

Funeratus eſt impenſa ducentorum millium, ſtragulis albis auro intextis, quibus uſus Kalendis Ianuarii fuerat. Reliquias Ecloge et Alexandria nutrices, cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod proſpicitur e campo Martio, impoſitum colli hortorum. In eo monumento ſolium Porphyretici marmoris, ſuperſtante Lunenſi ara, circumſeptum eſt lapide Thaſio. 50

Statura fuit prope iuſta, corpore maculoſo et foetido, ſufflavo capillo, vultu pulcro magis quam venuſto, oculis caeſiis et hebetioribus, cervice obeſa, ventre proiecto, gracillimis cruribus, valetudine proſpera. Nam, qui luxuriae immoderatiſſimae eſſet, ter omnino per quatuordecim annos languit; atque ita, ut neque vino, neque conſuetudine reliqua abstineret. 51

Cap. 50. *Alexandria*] Sic omnes codd. et edd. veteres: reſtituit Burmannus, quem ſequimur. Eſt autem idem nomen atque *Alexandra*, quod Lipſio debetur. Ern.

Solium] Receptaculum reliquiarum. Vide Clav. Cic. in *labellum*. Eſt etiam apud Livium 44, 5. Sarcophagos *ſolia* vocat etiam Plinius Hiſt. Nat. 35, 12., quem locum iam laudarunt Torrentius et Caſaubonus. Ern.

Lunenſi ara] Intellige ſepulcralem aram, hoc eſt, lapidem quadratum impoſitum ſepulcro. Marmor Lunenſe nobile fuit candore, quo etiam Parium ſuperabat, auctore Plinio 36, 5. Conf. Gronovii Diatriben in Statium c. 10. Ern.

Circumſeptum] Vide ad c. 33. Ern.

Cap. 51. *Maculoſo et ſoedo*] Memm. aliique codd. et edd. vett. quaedam habent *foetido*, quod recepit Gronovius. Burmannus pro interpretatione τοῦ *ſoedo* reiicit. Ἐπέχω: magis tamen in *foetido* inclino, quod et recepit Oudendorpius. Ern. Quem imitatus ſum. Vulgatae nimis vaga ſignificatio eſt.

Vultu pulcro magis quam venuſto] Hoc intelligitur e Cicerone de Officiis 1. 36. venuſtatem *muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem*

Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam ſemper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſummiſerit; ac plerumque ſyntheſinam indutus, ligato circum collum ſudario prodierit in publicum, ſine cinctu, et discalciatus.

52 Liberales diſciplinas omnes fere puer attigit: ſed a philoſophia eum mater avertit, monens, imperaturo contrariam eſſe; a cognitione veterum oratorum Seneca praeceptor, quo diutius in admiratione ſui detineret. Itaque ad poeticam pronus, carmina libenter ac ſine labore compoſuit: nec, ut quidam putant, aliena pro ſuis edidit. Venere in manus meas pugillares libellique, cum quibusdam notiſſimis verſibus, ipſius chirographo ſcriptis: ut facile appareret, non translatos, aut dictante aliquo exceptos, ſed plane quaſi a cogitante atque generante exaratos; ita multa et deleta et inducta et ſuperſcripta inerant.

55 Habuit et pingendi, ſingendique maxime, non mediocre ſtudium. Maxima autem

pulchritudinem. Ern. Nimirum pulcritudo eſt in forma; venuſtas in gratia oris, qua ſaepe unice placent minus formoſi.

Sine cinctu] Vide ad Caeſ. c. 45. Ern.

Cap. 52. *Nec, ut quidam putant*] Hic locus vel maxime teſtis diligentiae Suetonianae, qua omnia monumenta, unde res certo cognoſceretur, inquiſivit, et hinc hiſtoriam duxit. In hoc quidem capite etiam Tacitus vulgarem famam ſecutus eſt. Ern.

Cap. 53. *Fingendique maxime*] Ingratum eſt h. l. et inutile hoc verbum; quod quaedam edd. non habent, repudiantque Viri docti. Sed in omnibus codd. reperitur. Ern. Mox legitur vulgo *maxime*, contra fidem Mſſ. Sed priore loco haud dubie delendum eſt.

popularitate efferebatur, omnium aemulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent. Exiit opinio, poſt ſcenicas coronas proximo luſtro deſcenſurum eum ad Olympia inter athletas. Nam et luctabatur asſidue: nec aliter certamina gymnica tota Graecia ſpectaverat, quam brabeutarum more in ſtadio humi asſidens, ac, ſi qua paria longius receſſiſſent, in medium manibus ſuis protrahens. Deſtinaverat etiam, quia Apollinem cantu, ſolem aurigando aequiparare exiſtimaretur, imitari et Herculis facta. Praeparatumque leonem aiunt, quem vel clava, vel brachiorum nexibus, in Amphitheatri arena ſpectante populo nudus elideret.

Sub exitu quidem vitae palam voverat, ſi 54
ſibi incolumis ſtatus permanſiſſet, proditurum ſe partae victoriae ludis, etiam hydraulam, et choraulam, et utricularium, ac noviſſimo die hiſtrionem, ſaltaturumque Virgilii Turnum. Et ſunt, qui tradant, Paridem hiſtrionem occiſum ab eo, quaſi gravem adverſarium.

Erat illi aeternitatis perpetuaeque famae 55
cupido, ſed inconſulta. Ideoque multis rebus ac locis, vetere appellatione detracta, novam

Popularit. efferebatur] Ciceronianum eſt: de Senect. c. 23. *efferri ſtadio* etc. Maxime tenebatur cupiditate placendi populo. ERN.

Cap. 54. *Partae victoriae ludis*] Intellige ludis, quos editurus eſſet, victo Galba, Vindice etc. Sic Aug. c. 10. *ludi victoriae Caeſaris*. ERN.

Utricularium] Gr. ἀσκαύλην, canentem tibia, quae Italis dicitur *cornamuſa*. Vide Schwarz. Miſcellan. polit. human. p. 36.

Quaſi gravem adverſarium] Male plerique *gravem adverſarium* explicant *inviſum*. Eſt potius, qui non facile vinci poteſt: quamquam verum eſt, hinc plerumque creſcere invidiam.

induxit ex ſuo nomine. Menſem quoque Aprilem Neroneum appellavit. Deſtinaverat et Romam Neropolim nuncupare.

56 Religionum usquequaque contemptor, praeter unius deae Syriae. Hanc mox ita ſprevit, ut urina contaminaret; alia ſuperſtitione captus, in qua ſola pertinaciſſime haeſit. Siquidem icunculam puellarem, quum quaſi remedium inſidiarum a plebeio quodam et ignoto muneri accepiſſet, detecta confeſtim coniuratione, pro ſummo numine trinisque in die ſacrificiis colere perſeveravit: volebatque credi, monitione eius futura praenoſcere. Ante paucos quam periret menſes, attendit et extiſpicio, nec umquam litavit.

57 Obiit ſecundo et triceſimo aetatis anno, die, quo quondam Octaviam interemerat: tantumque gaudium publice praebuit, ut plebs pileata tota Urbe discurreret. Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis aeſtivisque floribus tumulum eius ornarent: ac modo imagines praetextatas in roſtris proferrent, modo edicta, quaſi viventis, et brevi magno inimicorum malo reverſuri. Quin etiam Vologeſus, Parthorum rex, miſſis ad Senatum legatis de inſtauranda ſocietate, hoc etiam magno opere oravit, ut Neronis memoria coleretur. Denique, quum poſt viginti annos adoleſcente me exſtitiſſet conditionis incertae, qui ſe Nero-

Cap. 57. *Secundo et triceſimo aetatis anno*] Dodwellus Praelectt. Cambden. p. 253. putat, erraſſe Suetonium, et ceteros audiendos, qui triceſimo primo interfectum dicant. Vide etiam Petavium Doctr. Temp. T. II. c. 15. Res pendet maxime a loco altero c. 6.; in cuius discuſſionem quum

nem esse iactaret, tam favorabile nomen eius apud Parthos fuit, ut vehementer adiutus, et vix redditus sit.

ingressi non simus, nec de hoc plura dicemus. Conf. Scalig. Emend. Temp. p. 468. seq., ubi probabiliter colligit diem mortis a Suetonio omissum, V. Id. Iunii. Ern.

SUETONII
LIBER SEPTIMUS.

SER. SULPICIUS GALBA.

1 Progenies Caeſarum in Nerone defecit: quod futurum, compluribus quidem ſignis, ſed vel evidentiſſimis duobus, apparuit. Liviae olim poſt Auguſti ſtatim nuptias Veientanum ſuum reviſenti, praetervolans aquila, gallinam albam, ramulum lauri roſtro tenentem, ita ut rapuerat, demiſit in gremium: quumque nutriri alitem, pangi ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſuboles provenit, ut hodie quoque ea villa *ad Gallinas* vocetur; tale vero lauretum, ut triumphaturi Caeſares inde laureas decerperent: fuitque mox triumphantibus, illas confeſtim eodem loco pangere: et obſervatum eſt, ſub cuiusque obitum, arborem ab ipſo inſtitutam, elanguiſſe. Ergo noviſſimo Neronis anno, et ſilva omnis exaruit radicitus, et, quidquid ibi gallinarum erat, interiit: ac ſubinde tacta de caelo Caeſarum aede, capita omnibus ſimul

Cap. 1. *Alias confeſtim*] *Eas* cum Lipſio, vel potius *illas* cum Burmanno legendum. *Illas* et *alias* confundi a librariis, ſatis conſtat. Burmanno adde Drakenborch. ad Liv. 23, 7. Ern. Et Ruhnk. ad Velleium 1, 4. De re conf. Plin. lib. 15. extr.

Caeſarum aede] Torrentius Veneris Genitricis aedem intelligit; quod non placet. Er-

ſtatuis deciderunt; Auguſti etiam ſceptrum e manibus excuſſum eſt.

Neroni Galba ſucceſſit, nullo gradu contin- 2
gens Caeſarum domum: ſed haud dubie nobiliſſimus, magnaque et vetere proſapia: ut qui ſtatuarum titulis PRONEPOTEM ſe Q. CATULI CAPITOLINI ſemper adſcripſerit: Imperator vero etiam ſtemma in atrio propoſuerit, quo paternam originem ad Iovem, maternam ad Paſiphaën Minois uxorem referret.

Imagines et elogia univerſi generis exſequi 3
longum eſt: familiae breviter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbae tulit, cur, aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hiſpaniae, fruſtra diu oppugnatum, illitis demum galbano facibus ſuccenderit: alii, quod in diuturna valetudine galbeo, id eſt, remediis lana involutis, aſſidue uteretur: nonnulli, quod praepinguis fuerit viſus, quem *galbam* Galli vocent: vel contra, quod

enim in ea, de qua hic ſermo eſt, omnium Caeſarum ſtatuas conſecratas fuiſſe, manifeſtum eſt. Fuit ergo templum gentis Caeſarum, in quo ſacra facerent Flamines Auguſtales. Sic et in Veſp. c. 1. *templum gentis Flaviae*, a Domitiano inſtitutum; in quo ſacris operati ſunt Flamines Flaviani. ERN. Ad ſeqq. notabis, apud veteres ſaepe aliam materiam fuiſſe capitis quam reliquae ſtatuae: ita facile fieri potuit, ut pluribus ſtatuis ſimul capita deciderent.

Cap. 2. *Statuarum titulis*] *Titulis* eſt, *in titulis*, quod ut animadvertatur, interpunxi poſt hoc verbum. *Se* habet etiam Mſ. Lyſer. ERN.

Stemma] Vide ad Ner. c. 37. ERN.

Cap. 3. *Elogia*] Sunt h. l. honores, triumphi etc. in imaginum titulis ſcripti. ERN.

Vocant] Sic reſcripſi e Mſ. Lyſer., non, quo non et *vocent* recte dicatur, ſed quod in ſequenti indicativi, *ſunt*, *naſcuntur*, *appellantur*. ERN. Haec a certa cognitione pen-

tam exilis, quam ſunt animalia, quae in aeſculis naſcuntur, appellanturque *galbae*. Familiam illuſtravit Ser. Galba Conſularis, et temporum ſuorum eloquentiſſimus: quem tradunt, Hiſpaniam ex praetura obtinentem, XXX Luſitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriathini belli cauſſam exſtitiſſe. Eius nepos, ob repulſam conſulatus infenſus Iulio Caeſari, cuius legatus in Gallia fuerat, conſpiravit cum Caſſio et Bruto: propter quod Pedia lege damnatus eſt. Ab hoc ſunt Imperatoris Galbae avus et pater. Avus clarior ſtudiis, quam dignitate: non enim egreſſus praeturae gradum, multiplicem nec incurioſam hiſtoriam edidit. Pater conſulatu functus, quamquam brevi corpore, atque etiam gibber, modicaeque in dicendo facultatis, cauſſas induſtrie actitavit. Uxores habuit Mummiam Achaicam, neptem Catuli, proneptem L. Mummii, qui Corinthum excidit; item Liviam Ocellinam, ditem admodum et pulcram; a qua tamen nobilitatis cauſſa appetitus ultro exiſtimatur, et aliquanto enixius, poſtquam ſubinde inſtanti vitium corporis ſecreto poſita veſte detexit, ne quaſi ignaram fallere videretur. Ex Achaica liberos, Caium et Servium, procreavit. Quorum maior Caius attritis facultatibus Urbe ceſſit: prohibitusque a Tiberio ſortiri anno ſuo proconſulatum, voluntaria morte obiit.

4 Ser. Galba Imperator M. Valerio Meſſa-

dent. illud *vocent* ab alieno indicio. Longe plurimi codd. hoc confirmant.

Eloquentiſſimus etc.] Videndus Cicero de Orat. 1. 53. Brut. c. 21. Ern.

Nepos] Hic eſt, cuius epiſtola de proelio Mutinenſi ad Ciceronem exſtat in Epp. ad Div. 10, 30. Ern.

Studiis] Cod. Periz. et plures edd. vett. habent *ſtudio*,

la, Cn. Lentulo, Conſulibus natus eſt IX. Kalendas Ianuarii, in villa colli ſuperpoſita, prope Terracinam, ſiniſtrorſus Fundos petentibus. Adoptatus a noverca ſua Livia nomen et Ocellae cognomen asſumpſit, mutato praenomine: Nam Lucium mox pro Servio, usque ad tempus imperii uſurpavit. Conſtat, Auguſtum puero adhuc, ſalutanti ſe inter aequales, apprehenſa buccula, dixiſſe, καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Sed et Tiberius, quum comperiſſet imperaturum eum, verum in ſenecta: *Vivat ſane,* ait, *quando id ad nos nihil pertinet.* Avo quoque eius fulgur procuranti, quum exta de manibus aquila rapuiſſet, et in frugiferam quercum contuliſſet, reſponſum eſt, ſummum ſed ſerum imperium portendi familiae. Et ille irridens, *Sane,* inquit, *quum mula pepererit.* Nihil aeque poſtea Galbam tentantem res novas confirmavit, quam mulae partus: ceterisque ut obſcoenum oſtentum abhorrentibus, ſolus pro laetiſſimo accepit, memor ſacrificii dictique avi. Sumpta virili toga, ſomniavit fortunam dicentem, *ſtare ſe ante fores defeſſam, et niſi ocius reciperetur, cuicumque obvio praedae futuram.*

quod recepit Burmannus. Vulgatum plures codd. habent, quos ſequimur. Ern.

Cap. 4. *Nam et Lucium*] Fides Suetonii in hac re egregie confirmatur teſſera gladiatoria, in qua Conſules L. Sulla et L. Sulpicius, dudum edita a Grutero, et nuper pro inedita a Muratorio Theſ. I. p. 303. Negantem Pagium, hoc praenomine uſum in conſulatu Galbam, Suetonii et teſſerae auctoritate recte refellit Graevius. Ern. Copulam abieci, ſuadente Oudend. Non eſt in cod. ullo, nec iuvat ſententiam.

Παρατρώξῃ] Deguſtabis. Sic Livius 5, 12. *delibare honorem* dixit. Ern. De re vide

Utque evigilavit aperto atrio, ſimulacrum aeneum deae cubitali maius iuxta limen invenit: idque gremio ſuo Tuſculum, ubi aeſtivare conſuerat, avexit: et in parte aedium conſecratum, menſtruis deinceps ſupplicationibus et pervigilio anniverſario coluit. Quamquam aetate nondum conſtanti, veterem civitatis, exoletumque morem, ac tantum in domo ſua haerentem, obſtinatiſſime retinuit: ut liberti ſervique bis die frequentes adeſſent, ac mane ſalvere, veſperi valere ſibi ſinguli dicerent.

5 Inter liberales diſciplinas attendit et iuri. Dedit et matrimonio operam: verum, amiſſa uxore Lepida, duobusque ex ea filiis, remanſit in caelibatu, neque ſollicitari ulla conditione amplius potuit, ne Agrippinae quidem, viduatae morte Domitii, quae maritum quoque adhuc, necdum caelibem, Galbam adeo omnibus ſollicitaverat modis, ut in conventu matro-

Tac. Ann. 6, 20. et ibi Lipſium. Minus probabilis eſt opinio Oudendorpii.

Quamquam autem nondum etc.] *Autem* nullo modo hic locum habet, abſuit a Mſſ. Salmaſ., omiſſum Rob. Steph. etc. Delevi. Ern.

Cap. 5. *Inter — attendit et iuri*] Valde diſplicent haec adeo abrupte interiecta inter priora et mentionem *matrimonii*. Sed ſunt paſſim talia plura, et ſimilis locus Caeſ. c. 43. pr.

Necdum caelibem] Nimia eſt haec tautologia, quam Torrent. gloſſam putabat. Non male; niſi cui potior videatur Oudendorpii mutatio, *nedum caelibem*.

In conventu] Sic Torrentius in duobus Mſſ. reperit, ſic eſt in optimo Memmiano, ſic in Lyſeriano. Idque ſecuti ſunt Rob. Stephanus, Graevius, Gronovius. Recte. Burmannus retinuit *inter conventum*, motus iis, quae Dukerus ad Florum 2, 6, 41. ad defendendum hunc loquendi modum dixit. Sed loca Dukeri non ſunt huic noſtro ſimilia: nam in iis omnibus *inter* eſt

narum correpta iurgio, atque etiam manu pulſata ſit a matre Lepidae. Obſervavit ante omnes Liviam Auguſtam: cuius et vivae gratia plurimum valuit, et mortuae teſtamento paene ditatus eſt: ſestertiûm namque quingenties quum praecipuum inter legatarios habuiſſet, quia notata, non perſcripta erat ſumma, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne haec quidem accepit.

Honoribus ante legitimum tempus initis, 6
Praetor commiſſione ludorum Floralium, novum ſpectaculi genus, elephantos funambulos, edidit: exin provinciae Aquitaniae anno fere praefuit; mox conſulatum per ſex menſes ordinarium geſſit. Evenitque, ut in eo ipſe Cn. Domitio patri Neronis, ipſi Salvius Otho pater Othonis ſuccederet, velut praeſagium inſequen-

pro *per*, ut in illo, quod e noſtro Caeſ. c. 4. laudat, *inter iocum*, quod eſt *per iocum*. Loca debebant proferri, ubi *inter*. Verbo loci additum, poſſit explicari *in*; quae ſi maxime afferantur, tamen non propterea optimorum codd. lectioni facili praeferetur inſolentior. Ern.

Notata, non perſcripta] I. e. notis numeri et verbi D HS. non verbis ipſis expreſſis. Ern. Plura in h. l. videntur mendoſa eſſe, arguente ipſa conſtructione: *HS. namque D quum praec. i. l. habuiſſet, quia* etc. Coniunctio certe complementi cauſſa adſcripta eſt, nato vitio *habuiſſet*.

Sed boni codd. prope evidentem faciunt emendationem, quam in textu poſui.

Cap. 6. *Praetor commiſſione* etc.] Nempe ex inſtituto Auguſti, de quo Dio lib. 54. p. 522. Ern.

L. Domitio] Verum praenomen eſt *Cn.*, ut nemo dubitat. Itaque id pro *L.* repoſui; etſi fortaſſe Suetonius nullum praenomen adſcripſit. Ern.

Salvius] Miror, Burmannum lectionem quorundam codd. et edd. vett. *Silvius* ſecutum eſſe, quae contra numos eſt, adeoque penitus repudianda: praeſertim quum mox in Othone habeat *Salvius*. Mox *Gaetuli-*

tis caſus, quo medius inter utriusque filios exſtitit Imperator. A Caio Caeſare, Gaetulico ſubſtitutus, poſtridie quam ad legiones venit, ſollemni forte ſpectaculo plaudentes inhibuit, data teſſera, *ut manus paenulis continerent.* Statimque per caſtra iactatum eſt:

Diſce, miles, militare, Galba eſt, non Gaetulicus.

Pari ſeveritate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tironem militem opere asſiduo corroboravit; matureque barbaris, qui iam in Galliam usque proruperant, coercitis, praeſenti quoque Caio talem et ſe et exercitum approbavit, ut inter innumeras contractasque ex omnibus provinciis copias, neque teſtimonium, neque praemia ampliora ulli perciperent: ipſe maxime inſignis, quod campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum Imperatoris per viginti paſſuum millia cucurrit.

7 Caede Caii nuntiata, multis ad occaſionem ſtimulantibus, quietem praetulit. Per hoc gratiſſimus Claudio, receptusque in cohortem amicorum, tantae dignationis eſt habitus, ut quum ſubita ei valetudo, neque adeo gravis, incidiſſet, dilatus ſit expeditionis Britannicae dies. Africam pro Conſule biennio obtinuit, extra ſortem electus ad ordinandam provinciam, et inteſtina disſenſione, et barbarorum

co eſt e correctione e verſu ſequente: nam ſcripti libri omnia alia habent, ſed vitioſa. Ern.

Data teſſera] Alibi dicit, *ſignum dare.* Ern. Intellige per libellum, ut loquitur Tib. c. 18.

Statimque] Sic reperi etiam in Mſ. Lyſer. Ern.

Ipſe maxime] Haec ex antecedentibus pendent. Itaque minorem interpunctionem feci. Sic et Mſ. Lyſer. Ern.

tumultu inquietam. Ordinavitque magna ſeveritatis ac iuſtitiae cura, etiam in parvulis rebus. Militi, qui per expeditionem artiſſima annona reſiduum cibariorum tritici modium centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit, ſimulatque indigere cibo coepiſſet, a quoquam opem ferri: et is fame extabuit. At in iure dicendo, quum de proprietate iumenti quaereretur, levibus utrimque argumentis, et teſtibus, ideoque difficili coniectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari ſolebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, eius eſſet, ad quem ſponte ſe a potu recepiſſet.

Ob res, et tunc in Africa, et olim in Germania geſtas, ornamenta triumphalia accepit, 8
et ſacerdotium triplex, inter Quindecimviros ſodalesque Titios, item Auguſtales, cooptatus: atque ex eo tempore, prope ad medium Neronis principatum, in ſeceſſu plurimum vixit: ne ad geſtandum quidem umquam iter ingreſſus, quam ut ſecum vehiculo proximo decies ſeſtertiûm in auro efferret, donec in oppido Fundis moranti Hiſpania Tarraconenſis oblata eſt. Acciditque, ut, quum provinciam ingreſſus ſacrificaret intra aedem publicam, puero e miniſtris acerram tenenti, capillus repente toto capite caneſceret. Nec deſuerunt, qui interpretarentur, ſignificari rerum mutationem, ſucceſ-

Cap. 8. *Iter ingreſſus*] Non auſus ſum addere *aliter* de coniectura, ut facit Graevius aliique. Et poteſt facile intelligi; neque inſolens eſt talis ellipſis. Servavit tamen Oudendorpius. Ern. *Geſtandum* paſſive accipe, ut ſaepe ſit in his gerundiis.

Aedem publicam] Recte vidit Burmannus, τὸ *publicam* addi, ut appareret, portentum illud ad rem publicam eiusque mutationem pertinuiſſe. Ern.

ſurumque iuveni ſenem: hoc eſt, ipſum Neroni. Non multo poſt in Cantabriae lacum fulmen decidit: repertaeque ſunt duodecim ſecures, haud ambiguum ſummi imperii ſignum.

9 Per octo annos varie et inaequabiliter provinciam rexit. Primo acer, vehemens, et in coercendis quidem delictis vel immodicus. Nam et nummulario non ex fide verſanti pecunias, manus amputavit, menſaeque eius affixit; et tutorem, quod pupillum, cui ſubſtitutus heres erat, veneno necaſſet, cruce affecit: implorantique leges, et civem Romanum ſe teſtificanti, quaſi ſolatio et honore aliquo poenam levaturus, mutari, multoque praeter ceteras altiorem et dealbatam ſtatui crucem iuſſit. Paullatim in deſidiam ſegnitiemque converſus eſt, ne quid materiae praeberet Neroni: et, ut dicere ſolebat, *quod nemo rationem otii ſui reddere cogeretur.* Carthagine nova conventum agens, tumultuari Gallias comperit, legato Aquitaniae auxilia implorante. Supervene-

Non multo poſt] Sic, pro *Nec multo poſt*, aliquot Mſſ.; quod ſecutus ſum, quia paullo ante eſt initium *Nec deſuerunt*. Ern.

Cap. 9. *Verſanti pecunias*] I. e. tractanti. Cicero Orat. c. 9. *cauſſas verſare in iudiciis*. Ern.

Ne quid materiae] Scil. criminandi et perdendi ſe. Sic ſupra c. 7. *multis ad occaſionem ſtimulantibus*, ſimpliciter, ut intelligatur, invadendi imperium. Ern.

Implorante] Mutavi interpunctionem. Alii punctum faciunt poſt *comperit*. Frigidum mihi videtur hoc: *Legato Aquitaniae auxilia implorante, ſupervenerunt Vindicis litterae*. Comperit Gallias tumultuari ex eo, quod Aquitaniae legatus miſerat, qui auxilium eius imploraret. Imitatus eſt Oudendorpius. Mox, *Supervenerunt et Vindicis*, quod Voſſianus habet, eſt etiam in Mſ. Lyſer. Ern. Et in pluribus aliis, quum vulgo abſit copula *et*.

:unt et Vindicis litterae, hortantis, *ut humano generi asſertorem ducemque ſe accommodaret.* Nec diu cunctatus, conditionem, partim metu, partim ſpe, recepit. Nam et mandata Neronis de nece ſua ad procuratores clam miſſa deprehenderat: et confirmabatur, quum ſecundiſſimis auſpiciis et ominibus, tum virginis honeſtae vaticinatione, tanto magis, quod eadem illa carmina ſacerdos Iovis Cluniae ex penetrali, ſomnio monitus eruerat, ante ducentos annos ſimiliter a fatidica puella pronuntiata. Quorum carminum ſententia erat, *oriturum quandoque ex Hiſpania principem dominumque rerum.*

Igitur quum quaſi manumiſſioni vacaturus 10
conſcendiſſet tribunal, propoſitis ante ſe damnatorum occiſorumque a Nerone quam plurimis imaginibus, et adſtante nobili puero, quem exulantem e proxima Baleari inſula, ob id ipſum acciverat, deploravit temporum ſtatum, conſa-

Recepit] Uſitatius eſt *conditionem accipere.* Aliud huius rarioris formae exemplum laudatur in Lexicis e Quintiliani Inſtitt. Oratt. 5, 6. init. Male. *Recipere* ibi refertur ad *iusiurandum,* non ad *conditionem,* ut inſpicienti contextum facile apparebit. Verbo autem *recipiendi* h. l. Suetonius uſus eſt, quod *conditio* hic eſt oblatum negotium ac munus humani generis a tyrannide Neronis vindicandi: hoc ille munus *recepit:* nam *recipi* dicuntur, quae ab aliis delata ſunt; *ſuscipi,* quae ſua ſponte tolluntur, ut notum eſt. Simpliciter *conditionem recipere,* veluti, quum conditio nuptias, promiſſum etc. ſignificat, non dixeris. Ern.

Cluniae] Eſt nomen urbis Hiſpanicae, e Plinii Hiſt. Nat. 3, 3., Plutarchi Galba, et numis veteribus notae. Ern.

Cap. 10. *Quaſi manumiſſioni vacaturus*] Nam ita edixerat, ut auctor eſt Plutarchus, veluti boni ominis cauſſa, quod libertatem generis humani asſerere in animo haberet. Ern.

lutatusque Imperator, *legatum se Senatus ac populi Romani* professus est. Dein, iustitio indicto, e plebe quidem provinciae legiones et auxilia conscripsit, super exercitum veterem legionis unius, duarumque alarum, et cohortium trium; at e primoribus, prudentiaque et aetate praestantibus, velut instar Senatus, ad quos de maiore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit et equestris ordinis iuvenes, qui, manente anulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per provincias edicta dimisit, auctor singulis universisque conspirandi simul, et ut, qua posset quisque opera, communem caussam iuvarent. Per idem fere tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus est anulus opere antiquo, scalptura gemmae Victoriam cum tro-

Anulorum aureorum usu] *Evocati* dicti, quod id honestissimum genus militum, qui etiam separatim sub proprio vexillo haberentur. Sed quia ista militia non esset equestris, Aug. c. 46., nec milites aureis anulis, sed ferreis, uterentur, sanxit, ut iis anulorum aureorum ius integrum esset. Ern.

Scalptura gemmae] Oudendorpius correxit *sculptura* contra libros; quia aliis quibusdam locis de gemma libri habent *sculptura:* putatque, haec verba habere distinctionem artis, ut *scalptura* sit rudior, *sculptura* elaboratior: frustra. Nec id idoneis exemplis doceri potest. Ern. Quoniam hodie obscurum est discrimen, libris mss. fere, ut in una littera, inter se discrepantibus, non temere reiicienda erit acuti Viri observatio. Ac nititur locis Hor. Serm. 2, 3, 22. *Infabre scalptum*, Ovid. Met. 10, 248. *mira arte sculpere*, imprimisque Vitruv. 4, 6., ubi *sculpendum* et mox *scalpendum* constanter habent Mss., qui multi Oudendorpio ad manum erant. *Sculpturam* gemmarum, et *sculptores* in hoc genere, etiam dixerunt Quintilianus et Plinius. Nobis adeo

paeo exprimente. Ac ſubinde Alexandria navis Dertoſam appulit, armis onuſta, ſine gubernatore, ſine nauta ac vectore ullo: ut nemini dubium eſſet, iuſtum piumque, et faventibus diis, bellum ſuſcipi: quum repente ex inopinato prope cuncta turbata ſunt. Alarum altera caſtris appropinquantem, poenitentia mutati ſacramenti, deſtituere conata eſt, aegreque retenta in officio: et ſervi, quos a liberto Neronis ad fraudem praeparatos muneri acceperat, per angiportum in balineas transeuntem paene interemerunt; niſi cohortantibus invicem, ne occaſionem omitterent, interrogatisque, de qua occaſione loquerentur, expreſſa cruciatu confeſſio eſſet.

Acceſſit ad tanta diſcrimina mors Vindicis, 11
qua maxime conſternatus, deſtitutoque ſimilis, non multum afuit, quin vitae renuntiaret. Sed ſupervenientibus ab Urbe nuntiis, ut occiſum Neronem, cunctosque in verba ſua iuraſſe cognovit; depoſita Legati, ſuſcepit Caesaris appellationem. Iterque ingreſſus eſt paludatus, ac dependente a cervicibus pugione ante pectus;

ad eundem modum diſtinguenda videntur Graeca γλάφειν et γλύφειν.

Quum repente ex inopinato] Superiores edd., praeter R. Steph., male ante *quum* habent punctum, quod demum poſt *turbata ſunt* eſſe debet. In verbo *alarum* novae ſententiae initium. *Ex inopinato* ſupervacuum eſt et gloſſam olet. Sed plura tamen talis pleonaſmi exempla apud noſtrum reperiuntur. Ern.

Cap. 11. *Caeſaris*] Ergo Galba primus Caeſaris nomen e gentilitio fecit publicum dignitatis et imperii. Ex antiquo more *Imperatoris* nomen asſumere debebat, quo ante a populo conſalutatus fuerat. Idem deinde Piſo adoptatus asſumſit, ut conſtat e Tacito. Vide Pagium ad a. LXIX. §.4., qui tamen hunc locum, qui princeps eſt, non obſervavit.

nec prius uſum togae recuperavit, quam oppreſſis, qui novas res moliebantur, Praefecto praetorii Nymphidio Sabino, Romae; in Germania, Fonteio Capitone; in Africa, Clodio Macro, legatis.

12 Praeceſſerat de eo fama ſaevitiae ſimul atque avaritiae: quod civitates Hiſpaniarum Galliarumque, quae cunctantius ſibi acceſſerant, gravioribus tributis, quasdam etiam murorum deſtructione, puniſſet; et praepoſitos procuratoresque ſupplicio capitis affeciſſet cum coniugibus ac liberis; quodque oblatam a Tarraconenſibus e vetere templo Iovis coronam auream

Alius inſignis in hanc rem locus eſt apud Ioſephum Antt. Iudd. 8, 6, 2. Ern.

Recuperavit] Inuſitato ac nove, pro repetiit. Ern.

Cap. 12. *Praepoſitos procuratoresque*] Quales *praepoſiti* illi fuerint, non placuit Interpretibus docere. Poſſint videri e genere procuratorum eo, quod parvas provincias adminiſtraret. Sic in Veſp. c. 4. Geſſius Florus, qui Iudaeae procurator fuit, ſimpliciter *Praepoſitus* dicitur: *caeſoque Praepoſito*. Sed intelligendi hic maiores provinciarum Praeſides, quos nominatim tradit Tacitus Hiſt. 1, 6. Iter Galbae in Urbem, unde illa ſaevitiae fama, *cruentum* vocat. Non ſolum Cingonio Varrone, Conſule deſignato, et Petronio Turpiliano, Conſulari, interfectis, ſed etiam Clodio Macro, Africae, et Fonteio Capitone, Germaniae Praepoſito. Conf. Plutarchum in Galba p. 1059. Ern.

Oblatam] Valde ſpecioſa eſt lectio codicis Hulſiani et ed. Baſil. *ablatam*: nam primo maior eſt avaritia, auferre coronas deorum e templis; deinde non videtur probabile, homines ſuperſtitioſos e theſauris ſacris depromſiſſe donaria deorum, et dediſſe dono homini; quum verendum eſſet, ut acciperet tale munus, in quo dando ſacrilegium fieret. Magiſtratus autem Romanos principesque avaros, vel pecuniae indigentes, templa compilaſſe, ſatis notum eſt. Conf. notam proximam. Unum illud mihi paullulum obſtat, quod verba, *a Tarraconenſibus*, non ſatis apta huic lectioni videntur: non, quo dubitem, Latinos di-

librarum quindecim conflasset, ac tres uncias, quae ponderi deerant, iussisset exigi. Ea fama et confirmata et aucta est, ut primum Urbem introiit. Nam quum classiarios, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, redire ad pri-

cere, *auferre ab aliquo:* Cicero Verr. 4, 39. *a Tyndaritanis signum Mercurii sustulisti:* sed quod non dicturus fuisse Suetonius videtur: *ablatam a Tarraconensibus e vetere templo*, sed *Tarracone e vetere templo*, ut Cicero dixit Verr. 4, 50. *Ennae tu de manu Cereris Victoriam deripere — ausus es?* Sed levius hoc esse, fateor. Ern. Nimis verborum consumpsit Vir doctus in vitio colorando.

Quae ponderi deerant] Dorvillius, ut refert Burmannus, hoc inde sciri potuisse existimat, quia donariorum pondus ante iniretur, quam aedituis traderetur, idque ex inscriptione apud Chishullum apparere. Recte. Apud Livium quoque aliquoties traditur pondus coronarum, Iovi aliisve diis donatarum. Sed hoc non sufficit ad hunc locum illustrandum. Tenendum igitur, in templis fuisse tabulas, in quibus donaria, signa, tabulae pictae consignata et descripta essent, adeoque etiam pondera donariorum aureorum et argenteorum, ne fraus aedituorum intercedere posset. Hoc patet v. c. e loco Herodoti, ubi de donariis Croesi Delphos missis agit, libro primo: porro loco Ciceronis Verr. 1, 50., ubi Rabonius, cui aedem Castoris tradebant tutores Iunii, cuius pater eam aedem tuendam habuerat, dicit, *omnia signa comparere;* quod sciri sine talibus tabulis (nostri vocant hodie *inventarium*) non poterat. Conf. Verr. 4, 63. Ex his igitur tabulis Galba pondus illius coronae cognoverat. Atque haec ipsa inspectio tabularum illarum aliquam probabilitatem addit lectioni *ablatam.* Poposcerat illas tabulas, ut videret, si quid in templo esset auri. Reperit coronam auream: appendi iubet: quum aliquid deesset ponderi, restitui iubet. Ern. In his plura perquam dubia sunt, nec sciri possunt.

Classiarios] Tacitus Hist. 1, 6. *multa millia* perisse dicit, consentiuntque Graeci. Reliquis iustam militiam ab Othone restitutam tradit idem c. 87. Sed non concoquo, quid sibi idem velit, quum dicit, c. 6., post illa tot millia interfecta: *Inducta legione Hispana,*

ſtinum ſtatum cogeret: recuſantes, atque inſuper aquilam et ſigna pertinacius flagitantes, non modo immiſſo equite disiecit, ſed decimavit etiam. Item Germanorum cohortem, a Caeſaribus olim ad cuſtodiam corporis inſtitutam, multisque experimentis fideliſſimam, disſolvit, ac ſine commodo ullo remiſit in patriam; quaſi Cn. Dolabellae, iuxta cuius hortos tendebat, propiorem. Illa quoque, verene an falſo, per ludibrium iactabantur, appoſita lautiore coena ingemuiſſe eum. Et ordinario quidem diſpenſatori, breviarium rationum offerenti, parapſidem leguminis pro ſedulitate ac diligentia porrexiſſe: Cano autem, choraulae, mire placenti, denarios quinque donaſſe, prolatos manu ſua e peculiaribus loculis ſuis.

13 Quare adventus eius non perinde gratus fuit: idque proximo ſpectaculo apparuit. Siquidem Atellanis notiſſimum canticum exorſis, *Venit, io, Simus a villa:* cuncti ſimul ſpecta-

remanente ea, quam e claſſe Nero conſcripſerat, plena Urbs exercitu inſolito. Ern.

Cap. 13. *Venit, io, Simus etc.*] Quia in omnibus codd. exſtant ſyllabae *ione*? Gronovius legit *ohe,* idque in textum recepit: quod non neceſſarium docuit Burmannus, quum etiam ſcriptum a Suetonio eſſe poſſit *io reſimus,* et *io* non modo laetantis, ut Gronovius putabat, ſed etiam indignantis, aut aliter commoti, vox ſit. *Simus* ſive proprium in illo cantico nomen fuit, ſive comica illa perſona a naſo ſic per ludibrium dicta, ſenem avarum indicabat, quem a villa in Urbem redeuntem pavebant vel filii, vel ſervi. Id tractum ad Galbam ſenem avarum, e provincia Hiſpania, velut e villa, in Urbem redeuntem. Ern. Oportuit in verſu eſſe aliquid ſignificantius, ut eius iterandi cupidus fieret populus. Igitur probabilis eſt correctio Mureti, *Venit, io! Oneſimus a villa,* ex optimo Mſ., ubi corrupte legitur *Venitioneſimus.* V. L. 15, 11.

tores conſentiente voce reliquam partem retulerunt, ac ſaepius verſu repetito egerunt.

Maiore adeo et favore et auctoritate ade- 14
ptus eſt, quam geſſit, imperium: quamquam multa documenta egregii principis daret: ſed nequaquam tam grata erant, quam inviſa, quae ſecus fierent. Regebatur trium arbitrio, quos una et intra Palatium habitantes, nec umquam non adhaerentes, paedagogos vulgo vocabant. Hi erant T. Vinius, legatus eius in Hiſpania, cupiditatis immenſae: Cornelius Laco, ex asſeſſore Praefectus praetorii, arrogantia ſocordiaque intolerabilis: libertus Icelus, paullo ante anulis aureis et Martiani cognomine ornatus, ac iam ſummae equeſtris gradus candidatus. His

Retulerunt — egerunt] *Retulerunt* intellige *voce*, recitarunt clara voce, praecinentes cantori; *egerunt*, geſtibus etiam, hiſtrionis modo, expreſſerunt. Idem eſt, quod in Calig. c. 54. *tragoedo pronuntianti concinere*, et *geſtum hiſtrionis effingere*. Ern.

Cap. 14. *Auctoritate*] i. e. opinione virtutis et prudentiae, dignae imperio. Exiſtimabant homines, eum bene imperaturum, dignum eſſe imperio. Sic *Imperatoris auctoritas* dicitur apud Ciceronem pro Lege Manilia c. 15. Idem in Bruto c. 77. de patrono quodam cauſſarum diligentiſſimo dicit, eum *auctoritate eguiſſe*. Vide plura in Clave Cic. in h. v. num. 8. Ern.

Summi equeſtris gradus] Intellige praefecturam praetorio. Qui primum tantum locum inter Equites intelligi voluerunt, quos ſequitur etiam Burmannus, non cogitarunt ſatis *candidati* verbum, quod numquam aliter dicitur, quam de eo, qui honoribus et muneribus publicis imminet. Nec dubito, etiam primum locum inter Equites, ſine praefectura illa, ſummum equeſtris dignitatis gradum Latine dici poſſe: ſed hoc ſenſu dici tantum poterit de principe iuventutis; quem eſſe voluiſſe Icelum privatum, non credibile eſt: nec hunc locum appetentes *candidati* dicuntur. Lipſius ad Tac. Hiſt. 1, 12. procurationem intelligit. Ern. *Summi* ex

diverſo vitiorum genere graſſantibus, adeo ſe abutendum permiſit et tradidit, ut vix ſibi ipſe conſtaret: modo acerbior parciorque, modo remiſſior ac negligentior, quam conveniret principi electo, atque illud aetatis. Quosdam claros, ex utroque ordine, viros ſuſpicione minima inauditos condemnavit. Civitatem Romanam raro dedit: iura trium liberorum vix uni atque alteri; ac ne his quidem, niſi ad certum praeſinitumque tempus. Iudicibus, ſextam decuriam adiici precantibus, non modo negavit, ſed etiam conceſſum a Claudio beneficium, ne hieme initioque anni ad iudicandum evocarentur, eripuit.

15 Exiſtimabatur etiam ſenatoria et equeſtria officia biennii ſpatio determinaturus, nec daturus niſi invitis ac recuſantibus. Liberalitates Neronis non plus decimis conceſſis, per quinquaginta Equites Romanos ea conditione revocandas curavit exigendasque, ut et, ſi quid ſcenici ac xyſtici donatum olim vendidiſſent, auferretur emptoribus, quando illi abſumpto pretio ſolvere nequirent. At contra, nihil non

uno cod. edidit Caſaub. pro *ſummae,* quod mireris ceteros Mſſ. omnes ſervaſſe. At tanto certior habenda haec ſcriptura, et eodem quidem ſenſu: ſed *candidatum gradus* nemo, opinor, dixerit.

Sibi ipſe] Sic reperi etiam in cod. Lyſer., recteque a Burmanno iam e codd. Hulſ. et Voſſ. et ed. Rom. receptum. Ern.

Remiſſior] Opponitur *acerbo* in puniendo, negando etc. Sic ſaepe etiam Cicero, Verr. 3, 62. *remiſſior aeſtimatio* opponitur acerbae, h. e. nimis exactae. Qui ſummo iure contendunt, ſaepe dicuntur *acerbi* in Oratione pro Quintio. Sed his opponuntur *remiſſiores* ad Attic. 16, 15. etc. Ern.

Negligentior — illius aetatis] Opponitur *parco*, eique adeo *profuſus*, ut eſt apud Ciceronem ad Div. 3, 8., ubi

per comites atque libertos pretio addici, aut donari gratia passus est, vectigalia, immunitates, poenas innocentium, impunitates noxiorum. Quin etiam, populo Romano deposcente supplicium Haloti et Tigillini, solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficentissimos incolumes praestitit: atque insuper Halotum procuratione amplissima ornavit. Pro Tigillino etiam saevitiae populum increpuit edicto.

16 Per haec prope universis ordinibus offensus, vel praecipua flagrabat invidia apud milites. Nam quum in verba eius absentis iurantibus donativum grandius solito praepositi

vide Graevium. Hunc locum iam notavit Broukhusius. Ern. Paullo post ex codd. et certo usu Latinitatis posui cum Oudend. *illud aetatis*.

Cap. 15. *Pretio addici*] E Memmiano optimo aliisque scriptis et editis recte receperunt Gronovius et Burmannus, quos sequimur. Sic et alii Mss., ut Lyser. Imitatus est manifeste Suetonius, ut aliis locis, Ciceronem Or. pro Caecina c. 6. *Partim gratia Caesenniae, partim etiam pretio fundus addici Aebutio;* quem locum iam laudavit Gronovius. Ceterum etiam *pretio addicere* saepe est apud Ciceronem, v. c. Verr. 2, 32. Ern. Nulla Ciceronis imitatio esse potest in formula frequentissimi usus.

Cap. 16. *Offensus*] Hoc quoque, ut Ciceronianum, praetuli, etsi Memmianus habet *offensis*. Locis a Casaubono allatis adde Catilin. 1, 7. pro Cluent. c. 18. ad Div. 10, 18. Pro *prope* Oudendorpius e Mss. et edd. quibusdam edidit *propere*, quod et Burmanno placebat. Mihi in hac forma et hoc contextu non placet, sed *prope* requiritur. Ern. Idque saepe additur cum eleganti modestia, ita ut *prope omnes* nihil admodum aliud sit quam *omnes*. Sed praeferendum erat *offensis* ob constantem usum Suetonii, a Cic. abhorrentem.

Flagrabat] Quia non modo Suetonii stilus postulat, sed codd. etiam optimi habent, cum Burmanno recepi. Vulg. *flagravit*. Ern.

Praepositi] Sunt Praefecti praetorio, nominatim Nymphi-

pronuntiaſſent; neque ratam rem habuit, et ſubinde iactavit, *legere ſe militem, non emere conſueſſe.* Atque eo quidem nomine omnes, qui ubique erant, exacerbavit. Ceterum praetorianos etiam metu et indignitate commovit, removens ſubinde plerosque ut ſuſpectos, et Nymphidii ſocios. Sed maxime fremebat ſuperioris Germaniae exercitus, fraudari ſe praemiis navatae adverſus Gallos et Vindicem operae. Ergo primi obſequium rumpere auſi, Kalendis Ianuarii adigi ſacramento, niſi in nomen Senatus, recuſarunt: ſtatimque legationem ad praetorianos cum mandatis deſtinaverunt, *diſplicere Imperatorem in Hiſpania factum; eligerent ipſi, quem cuncti exercitus comprobarent.*

17 Quod ut nuntiatum eſt, deſpectui eſſe non tam ſenectam ſuam, quam orbitatem ratus, Piſonem Frugi Licinianum, nobilem egregiumque iuvenem, ac ſibi olim probatiſſimum, teſtamentoque ſemper in bona et nomen adſcitum, repente e media ſalutantium turba apprehendit: filiumque appellans, perduxit in caſtra, ac pro concione adoptavit; ne tunc quidem donativi ulla mentione facta. Quo faciliorem occaſio-

dius. Male Torrentius intelligit *ei negotio:* nihil mandarat Galba cuiquam; ſponte, ut neceſſarium, fecerant. Ern.

Pronuntiaſſent] Promiſiſſent: verbum in promittendis muneribus ac donis proprium. Cicero pro Cluent. c. 29. *quam pro reo pronuntiaſſet pecuniam,* ubi vide Graevium. Ern.

Cap. 17. *Perduxit in caſtra*] Mire blanditur lectio, quae eſt in cod. Lyſer., *produxit;* quod verbum proprium eſſe, conſtat, de iis, qui aliquem oſtendere hominibus, quacunque de cauſſa, volunt. Sed tamen non auſus ſum in contextum recipere, quia et alibi hoc verbo ſimiliter uſus eſt Suetonius. Ner. c. 13. Teridatem dicitur Nero *produxiſſe:*

nem M. Salvio Othoni praebuit perficiendi conata, intra ſextum adoptionis diem.

Magna et aſſidua monſtra iam inde a principio exitum ei, qualis evenit, portenderant. 18
Quum per omne iter dextra ſiniſtraque oppidatim victimae caederentur, taurus, ſecuris ictu conſternatus, rupto vinculo eſſedum eius invaſit; elatisque pedibus totum cruore perfudit, ac deſcendentem ſpeculator impulſu turbae lancea prope vulneravit. Urbem quoque et deinde Palatium ingreſſum excepit terrae tremor, et aſſimilis quidam mugitui ſonus. Secuta ſunt aliquanto manifeſtiora et triſtiora. Monile, margaritis gemmisque conſertum, ad ornandam Fortunam ſuam Tuſculanam, ex omni gaza ſecreverat: id repente, quaſi auguſtiore dignius loco, Capitolinae Veneri dedicavit: ac proxima nocte ſomniavit ſpeciem Fortunae querentis, fraudatam ſe dono deſtinato, minantisque, erepturam et ipſam quae dediſſet. Quumque exterritus luce prima ad expiandum ſomnium, praemiſſis qui rem divinam appararent, Tuſculum excucurriſſet, nihil invenit praeter tepidam in ara favillam, atratumque iuxta ſenem in catino vitreo thus tenentem, et in calice fictili merum. Obſervatum etiam eſt, Kalendis Ianuariis ſacrificanti coronam de capite ex-

mox, *perductum deinde in Theatrum* etc. Conf. Claud. c. 10. Ern.

Cap. 18. *Maiora et triſtiora*] Lectionem hanc omnium vett. edd. usque ad Caſaubonum, reſtitutam a Burmanno, et ipſe revocavi. Ern. Nempe pro *maiora* alii codd. praebent *manifeſtiora*, quod longe facilius corrumpi potuit, quam contra.

Erepturam et ipſam] *Ipſa* de coniectura corrigit Oudendorpius, ſine cauſſa et ratione.

cidiſſe; auſpicanti pullos avolaſſe; adoptionis die neque milites allocuturo caſtrenſem ſellam de more poſitam pro tribunali, oblitis miniſtris, et in Senatu curulem perverſe collocatam.

19 Prius vero, quam occideretur, ſacrificantem mane haruſpex identidem monuit, caveret periculum: non longe percuſſores abeſſe. Haud multo poſt cognoſcit, teneri caſtra ab Othone: ac plerisque, ut eodem quam primum pergeret, ſuadentibus, (poſſe enim auctoritate et praeſentia praevalere:) nihil amplius, quam continere ſe, ſtatuit; et legionariorum firmare praeſidiis, qui multifariam diverſeque tendebant. Loricam tamen induit linteam, quamquam haud disſimulans, parum adverſus tot mucrones profuturam. Sed extractus rumoribus falſis, quos conſpirati, ut eum in publicum elicerent, de induſtria disſiparant, paucis temere affirmantibus transactum negotium, oppreſſos qui tumultuarentur, advenire frequentes ceteros gratulabundos, et in omne obſequium paratos; his ut occurreret, prodiit tanta fiducia, ut militi cuidam, occiſum a ſe Othonem glorianti, *Quo auctore?* reſponderit, atque in forum usque proceſſit. Ibi equites, quibus mandata

Avolaſſe] Recepi in contextum, pro vulgato *evolaſſe*; etſi improbat illam lectionem Burmannus. Nam primo eſt in optimo Memmiano, Cuiac., Lyſer. et Voſſ., qui ſunt ſatis idonei auctores: deinde res poſtulat: nam pulli e cavea emittuntur data opera, ad paſcendum; et quo celerius exeunt, hoc melius eſt auſpicium. Itaque in evolando nullum eſt portentum, ſi modo non avolant. Portentum fuit, quod, quum paſcere deberent pulli, avolarent. Ern. . H. e. *aufugerent*. Alterum eſt, *in altum volarent*. Ut *avehi* et *evehi* etc.

caedes erat, quum per publicum dimota paganorum turba equos adegiſſent, viſo procul eo, parumper reſtiterunt: deinde rurſum incitati, deſertum a ſuis contrucidarunt.

Sunt, qui tradant, ad primum tumultum 20
proclamaſſe eum, *Quid agitis, commilitones? ego veſter ſum, et vos mei:* donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtuliſſe ultro iugulum: et, *ut hoc agerent, ac ferirent, quando ita videretur,* hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neque praeſentium quemquam opem Imperatori ferre conatum: et omnes, qui arceſſerentur, ſpreviſſe nuntium, excepta Germanicianorum vexillatione. Hi, ob recens meritum, quod ſe aegros et invalidos magno opere foviſſet, in auxilium advolaverunt: ſed ſerius, itinere devio per ignorantiam locorum retardati. Iugulatus eſt ad lacum Curtii, ac relictus ita, uti erat, donec gregarius miles a frumentatione rediens, abiecto onere caput ei amputavit: et, quoniam capillo prae calvitie arripere non poterat, in gremium abdidit; mox, inſerto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis calonibus-

Cap. 19. *Per publicum*] Dundas legendum cenſebat, *Publicium*, intelligebatque *vicum*. Vide Drakenborchium ad Liv. 27, 37. Sed et ipſe hic locus, et multo magis Plutarchus, docent, in medio foro Equites fuiſſe, ubi non fuit vicus Publicius. Qui plura deſideret, adeat Oudendorpium ad h. l. Ern.

Cap. 20. *Ac ferirent*] Pro gloſſa τοῦ *agerent*, habent Lipſius et Torrentius. Sane et Plutarchus, Δρᾶτε, εἰ τοῦτο τῷ δήμῳ Ῥωμαίων ἄμεινόν ἐστι. Sed tamen et Tacitus Hiſt. 1, 41. *agerent ac ferirent.* Ern.

Quoniam capillo prae calvitie arripere non poterat] Oudendorpio non placet *capillo*: mihi *prae calvitie*. Alterutrum videtur eſſe ſpurium. Ern.

que donavit, qui haſta ſuffixum, non ſine ludibrio circum caſtra portarunt, acclamantes identidem, *Galba, cupide fruaris aetate tua:* maxime irritati ad talem iocorum petulantiam, quod ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam ſuam, ut adhuc floridam et vegetam, reſpondiſſe eum: *Ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν.* Ab his Patrobii Neroniani libertus, centum aureis redemptum, eo loco, ubi iuſſu Galbae animadverſum in patronum ſuum fuerat, abiecit. Sero tandem dispenſator Argius, et hoc, et ceterum truncum in privatis eius hortis Aureliae viae ſepulturae dedit.

21 Statura fuit iuſta, capite praecalvo, oculis caeruleis, adunco naſo, manibus pedibusque articulari morbo distortiſſimis: ut neque calceum perpeti, nec libellos evolvere, aut tenere omnino valeret. Excreverat etiam in dexteriore latere eius caro, praependebatque adeo, ut aegre faſcia ſubſtringeretur.

Cupide fruaris aetate tua] Codd. Memm. et Copeſ. *Cupido*; quod probant Turnebus et Caſaubonus, ut referatur ad iactationem formae. Burmannus autem *cupide* defendit et ad libidinem refert. Mihi illud argutius videtur: hoc frigidius ſuſpectumque. Ern. An igitur prorſus delendum? Quis crediderit? Mihi quidem placet *Cupido*, i. e. deus amoris, et frigidas argutias iocorum lixis ignoſcendas puto. De *aetate* vide Gesnerum ad Cic. Har. reſponſ. p. 586., ubi hoc et ſimilibus locis uti debebat Roſſius ad turpem ſignificationem tuendam.

In patronum ſuum] *Suum* reperi etiam in Mſ. Lyſer., et Latinitate poſtulante recepi: nam et Cicero in tali contextu ſemper addit. Recepit et Oudendorpius. Ern.

Hortis Aureliae viae] Torrentius coniecit *Aurelia via.* Placet Oudendorpio et mihi, ut vitetur frequentia eiusdem terminationis. Ern. Haec non eſt iuſta cauſſa mutandi.

Cap. 21. *In dexteriore latere eius*] A gloſſatore eſſe puto *eius*. Mox magis placet

Cibi plurimi traditur, quem tempore hiberno etiam ante lucem capere confuerat: inter coenam vero usque eo abundantis, ut congeſtas ſuper manus reliquias circumferri iuberet, ſpargique ad pedes ſtantibus: libidinis in mares pronioris, et eos non niſi praeduros, exoletosque. Ferebant, in Hiſpania Icelum e veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem, non modo artiſſimis osculis palam exceptum ab eo, ſed, ut ſine mora velleretur, oratum, atque ſeductum. 22

Periit tertio et ſeptuageſimo aetatis anno, imperii menſe ſeptimo. Senatus, ut primum licitum fuit, ſtatuam ei decreverat, roſtratae columnae ſuperſtantem in parte fori, qua trucidatus eſt. Sed decretum Veſpaſianus abolevit, percuſſores ſibi ex Hiſpania in Iudaeam ſummiſiſſe opinatus. 23

vetus lectio *propendebat,* quam et Oudendorpius non damnat. Ern.

Cap. 22. *Usque eo abundantem*] Mſſ. plerique habent *abundanti;* unde recte faciunt Viri docti *abundantis,* ut ad *cibi* referatur. Recepi. Item ante *conſuerat* pro *conſueverat,* e libris. Ern. Hunc locum non intelligo, nec lectio certa eſſe videtur in verbis, *abund. — iuberet;* ne *abundantis* quidem, etſi non displicet ea correctio. Nam nonnulli Mſſ. habent *abundans,* et mox omnes *pronior:* quod poſterius mutari non debebit, ſi *libidini* vel *libidinibus* legas. Quae a Viris doctis huc nuper allatae ſunt coniecturae vel interpretationes, earum nulla eſt, quam ſatis probare poſſim, et lucem a felicioribus ingeniis exſpecto.

Libidinis in mares pronioris] Non animadverſum eſt, hoc cohaerere cum antecedente. Scripſi ante *libidinis* colon, et *pronioris:* nam refertur ad *cibi plurimi. Libidinis pronior* nihili eſt. Ern.

SUETONII
LIBER SEPTIMUS.
M. SALVIUS OTHO.

1 Maiores Othonis orti ſunt oppido Ferentino, familia vetere et honorata, atque ex principibus Etruriae. Avus M. Salvius Otho, patre Equite Romano, matre humili, incertum an ingenua, per gratiam Liviae Auguſtae, in cuius domo creverat, Senator eſt factus, nec praeturae gradum exceſſit. Pater L. Otho, materno genere praeclaro, multarum et magnarum propinquitatum, tam carus, tamque non abſimilis facie Tiberio principi fuit, ut plerique procreatum ex eo crederent. Urbanos honores, proconſulatum Africae, et extraordinaria imperia, ſeveriſſime adminiſtravit. Auſus etiam eſt in Illyrico milites quosdam, quod motu Camilli ex poenitentia praepoſitos ſuos, quaſi defectionis adverſus Claudium auctores, occiderant, capite punire, et quidem ante principia, ſe coram: quamvis ob id ipſum promotos in ampliorem gradum a Claudio ſciret. Quo facto, ſicut gloriam auxit, ita gratiam minuit: quam

Cap. 1. *Multarum — propinquitatum*] Plures codd. habent *multarumque et propinquitatium*, eaque vulgatis recte praetulit Oudend. Omnino has formas genitivorum perſaepe oblitterarunt indocti librarii.

tamen mature recuperavit, detecta Equitis Romani fraude, quem prodentibus ſervis necem Claudio parare compererat. Namque et Senatus honore rariſſimo, ſtatua in Palatio poſita, proſecutus eſt eum: et Claudius allectum inter patricios collaudans ampliſſimis verbis, hoc quoque adiecit: *Vir, quo meliores liberos habere, ne opto quidem.* Ex Albia Terentia ſplendida femina duos tulit filios, L. Titianum, et minorem Marcum cognominem ſibi. Tulit et filiam, quam vixdum nubilem Druſo, Germanici filio, deſpondit.

Otho Imperator IV. Kalendas Maii natus 2
eſt, Camillo Arruntio, Domitio Aënobarbo, Conſulibus. A prima adoleſcentia prodigus ac procax, adeo ut ſaepe flagris obiurgaretur a patre; ferebatur et vagari noctibus ſolitus, atque invalidum quemque obviorum, vel potulentum corripere, ac distento ſago impoſitum in ſublime iactare. Poſt patris deinde mortem, libertinam aulicam gratioſam, quo efficacius coleret, etiam diligere ſimulavit, quamvis anum ac paene decrepitam. Per hanc

Splendida femina] Sic etiam, praeter codd. Caſaubono et Burmanno laudatos, Mſ. Lyſer. ERN. Olim vulg. *ſplendidiſſima.*

Vixdum] Sic in codd. reperit Caſaubonus. Sic Memm., Copeſ., Hulſ., Lyſer. Non dubitavimus ergo recipere, pro vulgato *nondum.* Imitatus eſt Oudendorpius. ERN.

Cap. 2. *Camillo Arruntio*] De Arruntio dubitant Viri docti, quod *Camilli* cognomen proditur ab aliis *Scriboniani.* Noriſius Epiſt. Conſ. p. 864. (T. II. Opp.) putat etiam *Arruntium* dictum cognomine, quod ab illis temporibus non alienum, quibus plura cognomina habere uſitatiſſimum fuit. ERN. Bene docuerunt Intpp., errorem iſtum eſſe Scriptoris, notandum, non corrigendum. Annum U. dicit 785.

inſinuatus Neroni, facile ſummum inter amicos locum tenuit congruentia morum; ut vero quidam tradunt, et conſuetudine mutui ſtupri: ac tantum potentia valuit, ut damnatum repetundis conſularem virum, ingens praemium pactus, prius quam plane reſtitutionem ei impetraſſet, non dubitaret in Senatum ad agendas gratias introducere.

3 Omnium autem conſiliorum ſecretorumque particeps, die, quem necandae matri Nero deſtinaverat, ad avertendas ſuſpiciones coenam utrique exquiſitiſſimae comitatis dedit. Item Poppaeam Sabinam, tunc adhuc amicam eius, abductam marito, demandatamque interim ſibi, nuptiarum ſpecie recepit. Nec corrupiſſe contentus, adeo dilexit, ut ne rivalem quidem Neronem aequo tulerit animo. Creditur certe, non modo miſſos ad arceſſendam non recepiſſe ſed ipſum etiam excluſiſſe quondam pro foribus adſtantem, miſcentemque fruſtra minas et preces, ac depoſitum repoſcentem. Quare diducto matrimonio, ſepoſitus eſt per cauſſam legationis in Luſitaniam. Id ſatis viſum, ne poena acrior mimum omnem divulgaret; qui tamen ſic quoque hoc diſticho enotuit:

Cur Otho mentito ſit, quaeritis, exul honore?
Uxoris moechus coeperat eſſe ſuae.

Provinciam adminiſtravit quaeſtorius per de-

Damnatum repetundis] Suſpecta nonnullis viſa eſt haec conſtructio, ut I. G. Voſſio de Conſtruct. c. 26., quum analogia ſe tueatur ſatis bona. Mox recte Salmaſ. *dubitarit.*

Cap. 3. *Sepoſitus*] Verbum apud Suetonium alias eſt de exulibus, Aug. c. 65. Tib. c. 15. Ern.

Mentito — honore] Intell. ficto legati. Illuſtrat Burmannus Sec. Anthol. T. I. p. 236. Ern.

cem annos, moderatione atque abstinentia singulari.

Ut tandem occaſio ultionis data eſt, conatibus Galbae primus acceſſit: eodemque momento et ipſe ſpem imperii cepit, magnam quidem et ex conditione temporum, ſed aliquanto maiorem ex affirmatione Seleuci mathematici. Qui quum eum olim ſuperſtitem Neroni fore ſpopondiſſet, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevi repromittens. Nullo igitur officii aut ambitionis in quemquam genere omiſſo, quoties coena principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat: nec eo minus alium alia via militem demerebatur. Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit emancipavitque: ut iam vix ullus eſſet, qui non et ſentiret et praedicaret, ſolum ſucceſſione imperii dignum. 4

Speraverat autem fore, ut adoptaretur a Galba: idque in dies exſpectabat. Sed poſtquam, Piſone praelato, ſpe decidit, ad vim converſus eſt: inſtigante ſuper animi dolorem etiam magnitudine aeris alieni. Neque enim diſſimulabat, *niſi principem, ſe ſtare non* 5

Cap. 4. *Seleuci*] Plutarchus et Tacitus *Ptolemaeum* vocant. Ab iis, qui eiusdem hominis diverſa nomina putant, recte disſentit Burmannus, plus tamen Suetonio tribuens, quam illis. Ern. Fortaſſe, quod Suetonium tum quum maxime edebat. Nam maior eſt illorum auctoritas.

Nec eo minus] Arridet lectio cod. Cuiac. *nec minus.* Ern.

Emancipavitque] Guietus et Torrentius malebant, *eique mancipavit.* Non eſt neceſſe. Per ſe intelligitur, redemtionem in eius gratiam factam, adeoque et ei mancipatum agrum. Ern.

Cap. 5. *Niſi principem, ſe ſtare non poſſe*] Recte Brouk-

posse; nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Ante paucos dies servo Caesaris pro impetrata dispensatione decies sestertiûm expresserat. Hoc subsidium tanti coepti fuit. Ac primo quinque speculatoribus commissa est res, deinde decem aliis, quos singuli binos produxerant: omnibus dena sestertia repraesentata, et quinquagena promissa. Per hos sollicitati reliqui, nec adeo multi; haud dubia fiducia, in ipso negotio plures affuturos.

6 Tulerat animus, post adoptionem statim castra occupare, coenantemque in Palatio Galbam aggredi: sed obstitit respectus cohortis, quae tunc excubabat, ne oneraretur invidia, quod eiusdem statione et Caius fuerat occisus, et desertus Nero. Medium quoque tempus religio et Seleucus exemit. Ergo destinata die, praemonitis conscii, ut se in foro sub aede Saturni ad milliarium aureum opperirentur, mane Galbam salutavit; utque consuerat, osculo exceptus, etiam sacrificanti interfuit, audivitque

huius comparavit illud Cic. in Pison. c. 6. *sine provincia stare non posse.* Similis est locus alter pro Flacco c. 6. *qui domi stare non poterant* etc. Ern.

Cap. 6. *Statione*] Intell. excubiis, dum ipsa excubias ageret. Vide ad Ner. c. 46. Alias de ipsis militibus dicitur. Ern.

Medium tempus religio etc.] *Medium tempus* est sex dierum, quod inter adoptionis Pisonianae et interfecti Galbae tempus effluxit. *Religionem* intellige ex Ner. c. 8. *Inter horam sextam septimamque processit ad excubitores: quum ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur.* Eius religionis monitor et interpres Seleucus. *Tempus* denique *eximi* antiqua Latinitate dicitur, quo agi res proposita non potest. Sic saepe Cicero, Livius. Ern.

Sacrificanti interfuit] Merito dubitat de hac forma loquendi Burmannus. Suspicor, a

praedicta haruſpicis. Deinde liberto adeſſe architectos nuntiante, quod ſignum convenerat, quaſi venalem domum inſpecturus abſceſſit: proripuitque ſe poſtica parte Palatii ad conſtitutum. Alii febrem ſimulaſſe aiunt, eamque excuſationem proximis mandaſſe, ſi quaereretur. Tunc abditus propere muliebri ſella, in caſtra contendit: ac deficientibus lecticariis, quum deſcendiſſet, curſumque cepiſſet, laxato calceo reſtitit, donec, omiſſa mora ſuccollatus, et a praeſente comitatu Imperator conſalutatus, inter fauſtas acclamationes ſtrictosque gladios ad principia devenit; obvio quoque non aliter, ac ſi conſcius et particeps foret, adhaerente. Ibi miſſis, qui Galbam et Piſonem trucidarent, ad conciliandos pollicitationibus militum animos nihil magis pro concione teſtatus eſt, quam *id demum ſe habiturum, quod ſibi ipſi reliquiſſent.*

Deinde vergente iam die ingreſſus Sena- 7

Suetonio eſſe *ſuperfuit*, quod dicitur pro affuit. Vide ad Aug. c. 56. Gellium Noct. Att. 2, 22. Id verbum imperitus librarius mutavit in *interfuit*. Oudendorpius obiicit, id in bonam partem dici. Bene, et ſic h. l. eſt: nam per ſpeciem officii aderat. Ern. *Superfuit* propter notam ſignificationem huius verbi durius eſſet vulgato; quod bene ſic interpretantur, *inter alios affuit*. Certe non nimis offendere debet, quod *intereſſe* alias dicitur *rebus*, non *hominibus*. Dativus in hoc genere quaſi caſus commodi eſt, nec proprie pendet a verbo: ut dicitur *operam dare* alicuius *ſermoni*, et *narranti alicui*. Sed propior eſt ſimilitudo duplicis reginis in verbo *intervenire*.

Quod ſibi ipſi reliquiſſent] *Ipſi*, quod praeter codd. Burmanno laudatos etiam Lyſer. habet, editionesque omnes veteres, praeter Baſileenſem, recepi, Latinitate etiam poſtulante *ipſi*, non *illi*. Itaque miror, Burmannum non recepiſſe. Sed ille in hoc genere paullo inconſtantior erat. Contra male Mſ. Lyſer. in Vi-

tum, pofitaque brevi ratione, quafi raptus de publico, et fuscipere imperium vi coactus, gefturusque communi omnium arbitrio, Palatium petit. Ac fuper ceteras gratulantium adulantiumque blanditias, ab infima plebe appellatus NERO, nullum indicium recufantis dedit: immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primisque epiftolis fuis ad quosdam provinciarum Praefides, Neronis cognomen adiecit. Certe et imagines ftatuasque eius reponi paffus eft, et procuratores atque libertos ad eadem officia revocavit. Nec quidquam prius pro poteftate fubfcripfit, quam quingenties fes-

tell. c. 15. extr. pro *ipfum effe concordiam* habet *illum*. Recepit et Oudendorp. ERN.

Cap. 7. *Pofitaque brevi*] Hic quoque Burmannus reliquit *ratione*, quum *oratione* Memmianus pluresque alii codd. omnesque vett. edd. usque ad Bafileenfem habeant. Sic etiam Lyfer. Turbavit Viros doctos rarus loquendi modus, quum *ponere rationem* facilius concoquatur; quamquam et huius formae exempla defiderat Burmannus. Arbitror, Suetonium in mente habuiffe loca Ciceronis, ubi *ponere* dicitur de dicente, proferente, commemorante aliquid, quae loca vide in Clave Ciceronis, e quibus etiam planiffime defendi poteft *ponere rationem*, pro afferre. Atque non nego, *ponere rationem* mihi per fe magis placere, quam *ponere orationem*. Sed codd. et edd. vett. audiendae. Maxime autem haec forma loquendi illuftrari poteft loco Afinii Pollionis, epiftola ad Ciceronem inter Epp. ad Div. 10, 32. *Ludis, praetextam de fuo itinere ad L. Lentulum Proconfulem follicitandum pofuit*; ubi *praetexta* eft fabula praetextata. Si Latine dici poteft *fabulam ponere* pro edere, agendam dare, cur non etiam *orationem ponere*, pro orationem habere? ERN. Mirum eft, etiam Perizonio hoc placere potuiffe. *Ponitur littera* in fcribendo, *quaeftio* in disputando; nusquam *oratio*. Si *pofita* displiceat, fimplex verbum pro compofito, praeferam potius hoc ipfum *propofita*, quod proprium eft hac in re. Conf. Cal. c. 16. pr.

Pro poteftate fubfcripfit] Ut

tertium ad peragendam auream domum. Dicitur ea nocte per quietem pavefactus gemitus maximos edidiſſe: repertusque a concurſantibus humi ante lectum iacens, per omnia piaculorum genera manes Galbae, a quo deturbari expellique ſe viderat, propitiare tentaſſe: poſtridie quoque in augurando tempeſtate orta graviter prolapſum, identidem obmurmuraſſe:

Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς.

Sub idem vero tempus Germaniciani exercitus in Vitellii verba iurarant. Quod ut comperit, auctor Senatui fuit mittendae legationis, quae doceret, electum iam principem, quietem et concordiam ſuaderet: Et tamen per internuntios ac litteras, conſortem imperii, generumque ſe Vitellio obtulit. Verum haud dubio bello, iamque ducibus et copiis, quas Vi- 8

Imperator, pro imperio iuſſit ſ. conceſſit erogari. *Subſcribere* eſt verbum pecuniarium, quod de erogationibus dicitur, quae per ſubſcriptionem probantur rataeque fiunt. Vide de hoc verbi huius ſenſu Gronovium in Mantiſſa pec. vet. p. 452. 453. ERN.

Peragendam] Mſ. Lyſer. et ed. Rom. *peragendum*. Sic nonnulli Galba c. 18. *ad ornandum fortunam ſuam*. Nec dubium eſt hodie, ſic dixiſſe veteres. ERN.

Prolapſum] Sic omnes fere codd. et edd. Et poteſt defendi: partim, quod *dicitur* etiam cum accuſativo apud optimos ſcriptores, nominatim Livium, non raro reperitur; partim, quia nonnumquam optimi ſcriptores, negligentia quadam, conſtructione diverſa in eadem periodo utuntur, ut docuere, quos laudat Burmannus, aliique. ERN. Ea negligentia prope ceſſit in morem et regulam. Par exemplum infra c. 12. *Fuiſſe traditur — conſuetum.*

Μακροῖς αὐλοῖς] H. e. re viribus meis maiore. Ductum e loco Sophoclis, quem multi paullum mutatum et ad conſilium ſuum accommodatum uſurparunt. Vide Interpp. ad Longinum ſect. 5. ERN.

Cap. 8. *Iamque*] Sic e plu-

tellius praemiſerat, appropinquantibus, animum ſidemque praetorianorum erga ſe paene internecione ampliſſimi ordinis expertus eſt. * Et placuerat per claſſiarios arma transferri, remittique navibus. Ea quum in caſtris ſub noctem promerentur, inſidias quidam ſuſpicati, tumultum excitaverunt: ac repente omnes, nullo certo duce, in Palatium cucurrerunt, caedem Senatus flagitantes: repulſisque tribunorum, qui inhibere tentabant, nonnullis et occiſis,

ribus codd. et edd. vett. quibusdam Burmannus. Sic etiam Lyſer. Ern.

Placuerat per etc.] Valde ſe torſerunt in h. l. Interpretes, inprimisque Burmannus. Exiſtimavi aliquando, rem intelligendam e loco in Galba c. 12. ſic: Nero claſſiarios quosdam iuſtos milites fecerat, ut legionem conficerent, haberentque aquilam; eos ad priſtinum ſtatum redegerat, adeoque arma ademerat, Galba. Otho reddere decreverat claſſiariis arma et iuſtam militiam, et remittere arma navibus Oſtiam. Atque hinc neceſſariam putabam emendationem Glareani, ſed alia de cauſſa, *ad claſſiarios.* Ita omnia plana putabam. Atque militiam iuſtam iis claſſiariis reſtitutam, auctor etiam Tacitus Hiſt. 1, 87. *Reliquos caeſorum ad pontem Milvium et ſaevitia Galbae in cuſtodia habitos, in numeros legionis compoſuerat: facta et ceteris (claſſiariis) ſpe honoratioris in poſterum militiae.* Sed tempora non conſentiunt: nam illam iuſtae militiae reſtitutionem ante factam eſſe, certum eſt, quam res, de qua hic ſermo eſt, fieret. Ergo magis placet, locum ſic capere. Otho decreverat, claſſe inprimis uti adverſus Vitellium, quae valida eſſet, et partibus ſuis fida, iis, quibus ante diximus, cauſſis. Ei claſſi additae urbanae cohortes, et plerique e praetorianis militibus, auctore Tacito l. c. Ergo arma erant ex armamentario in naves, quae Oſtiae ſtarent, transferenda. In eo uti placuerat opera claſſiariorum. Pro *remitti* aut cum Burmanno legam *praemitti,* aut intelligam *mitti.* Vide ad Aug. c. 78. Ceterum haec explicatio non conſentit iis, quae Tacitus l. c. c. 80. de hoc tumultu tradit. Sed non quaeritur, quid Taciti narratio deſideret, ſed

ſicut erant cruenti, ubinam Imperator eſſet, requirentes, perruperunt in triclinium usque, nec niſi viſo deſtiterunt. Expeditionem autem impigre atque etiam praepropere inchoavit: nulla, ne religionum quidem, cura, ſed et motis necdum conditis ancilibus, quod antiquitus infauſtum habetur; et die, quo cultores deûm matris lamentari et plangere incipiunt; praeterea adverſiſſimis auſpiciis. Nam et victima Diti patri caeſa litavit; quum tali ſacrificio contraria exta potiora ſint. Et primo egreſſu inundationibus Tiberis retardatus, ad viceſimum etiam lapidem ruina aedificiorum praecluſam viam offendit.

Simili temeritate, quamvis dubium nemini eſſet, quin trahi bellum oporteret, quando et fame et anguſtiis locorum urgeretur hoſtis, quam primum tamen decertare ſtatuit: ſive impatiens longioris ſollicitudinis, ſperansque, ante Vitellii adventum profligari plurimum poſſe: ſive impar militum ardori, pugnam depoſcen- 9

quid Latinitas et res. Tacitus quidem etiam in alitud tempus rem ponit, neque in aliis ſemper cum Suetonio conſentit: ſed vix hic aliquid certi eſt. Ern. Oudendorpius hic erat audiendus, qui coni. *demittique,* ſc. *ſecundo fluvio devehi Oſtiam;* reliqua defendit merito, et fictum iudicat disſenſum Suetonii cum Tacito et Plutarcho.

Habetur] Sic reſcripſimus e Memmiano, Exc. Cuiac. et Palatino, pro vulgato *haberetur.* Nam primo nihil eſt, unde imperfectum coniunctivi pendeat: deinde in ſequentibus etiam eſt praeſens, *et die, quo — — incipiunt;* item mox, *litavit, quum — — ſint.* Non igitur videmus, quare non ſequamur illos codd., quum Burmannus mox Memm. et Cuiac. auctoritate, recte quidem, receperit *victima caeſa,* pro vulgato *victimas caeſas.* Dicitur autem illud *habetur,* ut cetera, e perſona Suetonii, et ſupra ſimile quid Claud. c. 34, ubi vide. Ern.

tium. Nec ulli pugnae affuit, fubfititque Brixelli. Et tribus quidem, verum mediocribus proeliis, apud Alpes, circaque Placentiam, et ad Caftoris, quod loco nomen eft, vicit: noviffimo maximoque apud Betriacum fraude fuperatus eft; quum fpe colloquii facta, quafi ad conditionem pacis militibus eductis, ex improvifo, atque in ipfa confalutatione, dimicandum fuiffet. Ac ftatim moriendi impetum cepit: ut multi, nec fruftra, opinantur, magis pudore, ne tanto rerum hominumque periculo dominationem fibi asferere perfeveraret, quam defperatione ulla, aut diffidentia copiarum: quippe refiduis integrisque etiam nunc, quas fecum ad fecundos cafus detinuerat, et fupervenientibus aliis e Dalmatia, Pannoniaque et Moefia: ne victis quidem adeo afflictis, ut non in ultionem ignominiae quidvis discriminis ultro, et vel folae fubirent.

Cap. 9. *Nec ulli*] Recte hoc e Memm. recepit Graevius, quod etiam Lyfer., Voff. et Exc. Cuiac. habent, maleque repudiavit Burmannus, fervata vulgari lectione *illi*, quod verbum nihil habet, ad quod referatur. *Ulli pugnae* intellige ex quatuor illis, quae mox commiffae funt. Ern. Rectiffime. Contra male Urfinus ex cod. fuo affert *ille*, cui pronomini hic non erat aptus locus.

Quafi ad conditionem pacis militibus eductis] Burmannus haeret fine cauffa in verbo *eductis*, et legere tentat *reductis*. Sed quae loquendi ratio foret haec, *milites reducere in caftra ad conditionem pacis*? Milites educti illi quidem erant caftris, fed non in aciem collocati, nec pugnam cogitantes. Etenim rumor erat, exercitum a Vitellio defeciffe. Itaque omiffo ardore pugnae ultro falutavere Vitellianos. Vide Tac. Hift. 1, 42. Ern.

Confalutatione] Graevio placet *confultatione*, quod Memm. aliique codd. habent: nec repugnem magnopere. Sed ceterorum nemo *confultatio-*

Interſuit huic bello pater meus Suetonius 10
Lenis, tertiae decimae legionis tribunus anguſticlavius. Is mox referre crebro ſolebat, Othonem etiam privatum usque adeo deteſtatum civilia arma, ut, memorante quodam inter epulas de Caſſii Brutique exitu, cohorruerit: nec concurſurum cum Galba fuiſſe, niſi confideret ſine bello rem transigi poſſe: tunc ad deſpiciendam vitam exemplo manipularis militis concitatum, qui, quum cladem exercitus nuntiaret, nec cuiquam fidem faceret, ac nunc mendacii, nunc timoris, quaſi fugiſſet ex acie, argueretur, gladio ante pedes eius incubuerit. Hoc viſo, proclamaſſe eum, aiebat, *non amplius ſe in periculum tales tamque bene meritos*

nis, omnes *ſalutationis* mentionem faciunt. Plane ſic, ut h. l. de conſalutatione eſt apud Livium 7, 42. Ern. Conf. Tac. Ann. 15, 16. Certum videtur, hic optimos codd. vitioſos eſſe.

Cap. 10. *Anguſticlavius*] Tribunatus erat tum militia equeſtris, ut Suetonius docet ipſe in Aug. c. 38. Sed interdum etiam non Equites ad hunc gradum fortitudine venere, et propterea in Equitum numerum relati, ut hic Suetonius Lenis. Sed hi uſi ſunt veteri Equitum inſigni, anguſto clavo, quum ii, qui clara equeſtri gente eſſent, *illuſtres* dicerentur, uterenturque lato clavo. Ern.

Concurſurum cum Galba] Ita omnes codd. et edd. Eſt autem certamen cum Galba de imperio ſuſcepturum. Nam ut *certare* et *pugnare* dicuntur ii, qui vel idem petunt, ut magiſtratum etc., vel quorum alter alteri aliquid eripere conatur, quod alter defendit, etiamſi nullum bellum intercedit: ſic etiam *concurrere* eodem ſenſu dici poſſe, non eſt dubitandum, etiamſi exempla minus obvia ſunt. Quod Burmannus e Senecae Conſol. ad Helviam c. 2. laudavit *concurrere cum dolore*, non ſatis convenit. Nam dicitur ibi alia uſitatiore metaphora; potuiſſetque etiam dicere *confligere*, et alia bellantibus propria verba, quae hic locum non haberent, adhibere. Ern.

coniecturum. Fratrem igitur, fratrisque filium, et singulos amicorum cohortatus, ut sibi quisque pro facultate consuleret, ab amplexu et osculo suo dimisit omnes, secretoque capto, binos codicillos exaravit, ad sororem consolatorios; sed et ad Messalinam Neronis, quam matrimonio destinarat, commendans reliquias suas et memoriam. Quidquid deinde epistolarum erat, ne cui periculo aut noxae apud victorem forent, concremavit. Divisit et pecunias domesticis ex copia praesenti.

Fratrem] Solius fratris filii mentionem faciunt Plutarchus et Tacitus. Ern.

Secretoque captato] *Capto* e codice optimo Memmiano et Exc. Cuiac. rescripsimus, quod etiam Latinitas postulat. *Captare secretum* est, occasionem solitudinis speculari, ut forte oblata utare. Id alienum est ab hoc loco: nam in principis potestate est, secretum agere, ubi lubeat. Non opus erat ergo Othoni, captare secretum: neque temporis angustiae hoc patiebantur, quum statim mori vellet; statimque secretum ab eo actum esse, totus contextus docet. Tacitus Hist. 2, 49. *dimotis omnibus.* Sic Domit. c. 3. Domitianus dicitur *quotidie secretum horarium sumsisse.* Ac Plinius quidem in Panegyr. c. 48. dicit, Domitianum tenebras semper secretumque captasse. Sed id aliter dictum est, nec huic loco simile, estque, omni tempore et loco fugere homines, et quaerere solitudinem. Recepit et Oudendorpius. Ern.

Exaravit ad s. consolatorios. Sed et ad M.] Totus hic locus nondum satis est constitutus, laboratque partim interpunctione, partim lectione reliqua. Primo, post *consolatorios* male est punctum: etenim non binos scripsit codicillos ad sororem, sed unos, alteros autem ad Messalinam. Codicilli ad sororem habebant consolationem, ad Messalinam commendationem reliquiarum suarum et memoriae. Porro *et* abest a Memmiano, Harlemensi, plurimisque edd. Itaque locus sic legendus: *binos codicillos exaravit: ad sororem consolatorios, sed ad Messalinam Neronis — — commendans reliquias suas et memoriam.* Possis etiam coniicere *commendantes,* ut re-

Atque ita paratus, intentusque iam morti, tumultu inter moras exorto, ut eos, qui discedere et abire coeptabant, corripi quasi desertores, detinerique sensit: *Adiiciamus*, inquit, *vitae et hanc noctem*, his ipsis totidemque verbis, vetuitque vim cuiquam fieri: et in serum usque patente cubiculo, si quis adire vellet, potestatem sui praebuit. Post hoc, sedata siti gelidae aquae potione, arripuit duos pugiones, et explorata utriusque acie, quum alterum pulvino subdidisset, foribus adopertis artissimo somno quievit. Et circa lucem demum expergefactus, uno se traiecit ictu infra laevam papillam: irrumpentibusque ad primum gemitum, modo celans, modo detegens plagam, exanimatus est, et celeriter (nam ita praeceperat) funeratus, tricesimo et octavo aetatis anno, et nonagesimo et quinto imperii die. 11

feratur ad *codicillos*, et respondeat τῷ *consolatorios*; sed Suetonius mutavit constructionem propter *reliquias*, ut elegantes scriptores faciunt, et ipse saepe. Nec repugnem, si quis pro *sed* malit *et* legere. Ex *et* fieri potuit *sed* propter finalem antecedentis verbi, quod saepe factum esse, satis constat. Vide Lipsium ad Vespas. c. 2. Ita placebat Torrentio. Ern.

Cap. 11. *Coeptabant*] Nonnulli codices habent *captabant*; quam lectionem sensus non fert: nam si tantum *captabant* abitum, nondum poterant ut desertores corripi. Forte melius sit *coeptarant*; sed non necesse est. Ern.

Adopertis] Haec est lectio optimorum codicum. Neque Burmannus, qui *adapertis* recepit, codices laudavit, sed tantum editiones nonnullas. Sed lectio *adapertis* ita manifeste vitiosa est, ut non possim satis mirari, quomodo cuiquam placere potuerit. Consideret modo quis contextum. Vetuit Otho, vim cuiquam facere, et in serum usque, *patente cubiculo*, sui adeundi potestatem fecit. *Posthaec*, quid facit? pugionem tentatum pulvino subiicit. Quid amplius? *fores cubiculi aperit?* atqui pate-

12 Tanto Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competiit. Fuiſſe enim traditur et modicae ſtaturae, et male pedatus ſcambusque: munditiarum vero paene muliebrium, vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo, ut nemo dignoſceret: quin et faciem quotidie raſitare, ac pane madido linere conſuetum: idque inſtituiſſe a prima lanugine, ne barbatus umquam eſſet: ſacra etiam Iſidis ſaepe in lintea religioſaque veſte propalam celebraſſe. Per quae factum putem, ut mors eius, minime congruens vitae, maiori miraculo fuerit. Multi praeſentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes iacentis exoſculati, *fortiſſimum virum, unicum Imperatorem,* praedicantes, ibidem ſtatim nec procul a rogo vim ſuae vitae attulerunt. Multi et abſentium, accepto nuntio, prae dolore armis inter ſe ad internecionem concurrerunt. Denique magna pars hominum, incolumem graviſſime deteſtata, mortuum laudibus tulit: ut vulgo iactatum ſit etiam, *Galbam ab eo, non tam dominandi, quam reipublicae ac libertatis reſtituendae cauſſa interemptum.*

bant. Non certe addidiſſet hoc Suetonius, ſi per totam noctem patuiſſent fores. Ergo clauſit potius fores. Qui talia meditantur, obſerant etiam, ne intervenire quis poſſit. Itaque etiam *irrumpunt* ad primum gemitum; quod eſt vim foribus afferentium. Qui locum Plutarchi huc pertinentem legent, multo magis videbunt, *adopertis* verum eſſe. Ern.

SUETONII
LIBER SEPTIMUS.

A. VITELLIUS.

Vitelliorum originem alii aliam, et quidem di- 1
verſiſſimam, tradunt; partim veterem et nobilem, partim vero novam et obſcuram atque etiam ſordidam: quod ego per adulatores obtrectatoresque Imperatoris Vitellii eveniſſe opinarer, niſi aliquanto prius de familiae conditione variatum eſſet. Exſtat Q. Eulogii ad Q. Vitellium, divi Auguſti Quaeſtorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno, Aboriginum rege, et Vitellia, quae multis locis pro numine coleretur, ortos, toto Latio imperaſſe. Horum reſiduam ſtirpem ex Sabinis transiſſe Romam, atque inter patricios allectam: indicia ſtirpis diu manſiſſe, viam Vitelliam ab Ianiculo ad mare usque; item coloniam eiusdem nominis, quam gentili copia adverſus Aequiculos tutandam olim depopoſciſſent: tempore deinde Samnitici belli praeſidio in Apuliam miſſo, quosdam ex Vi-

Cap. 1. *Exſtat Q. Eulogii*] Mſſ. et edd. vett. omnes *Exſtatque Elogii*. Lectio iam recepta eſt a Caſauboni coniectura. Ern. Eaque ſatis bona eſt, copula autem ab h. l. aliena.

Toto Latio imperaſſe] Mſ. Lyſer. et quidam alii *imperitaſſe*. Non diſplicet. Ern.

telliis ſubſediſſe Nuceriae; eorumque progeniem longo poſt intervallo repetiſſe Urbem atque ordinem ſenatorium.

2 Contra, plures auctorem generis libertinum prodiderunt. Caſſius Severus, nec minus alii, eundem et ſutorem veteramentarium: cuius filius ſectionibus et cognituris uberius compendium nactus, ex muliere vulgari, Antiochi cuiusdam ſurnariam exercentis filia, Equitem Romanum genuerit. Sed, quod discrepat, ſit in medio: ceterum P. Vitellius, domo Nuceria, ſive ille ſtirpis antiquae, ſive pudendis parentibus atque avis, Eques certe Romanus, et rerum Auguſti procurator, quatuor filios ampliſſimae dignitatis cognomines, ac tantum praenominibus diſtinctos, reliquit, Aulum, Quintum, Publium, Lucium. Aulus in conſulatu obiit, quem cum Domitio, Neronis

Cap. 2. *Sectionibus et cognituris*] *Cognituris* eſt praemiis delationum, *ſectionibus*, redimendis bonis damnatorum, ſub haſta venditis. Haec late demonſtrat Gronovius de pecunia 3. et 4, 3. Lectio Mſſ., ut Lyſer., *conſuturis*, e *ſutoris* verbo nata eſt. Ern.

Muliere vulgari] Non, humilis loci; id vel patris mentio docet, nec *vulgaris* de hominibus ſic dicitur, quod ſciam: ſed, quaeſtum corpore faciente, ut docuere ſatis Torrentius et Goeſius. Ern. Ad prius inclinat Oudendorp. Et in patris quidem nomine adiecta nihil momenti eſt.

Furnariam] Negotiationem intelligo, cum Caſaubono, non artem, ut Lexica interpretantur; piſtoris filiam dixiſſet Suetonius. Analogia vocis ita accipere iubet. Ern. *Furn. exercere* eſt ex furnis vulgo locandis quaeſtum facere, ut moris erat Romae: quod non continuo eſt piſtorem agere.

Rerum Auguſti procurator] Rei ſcilicet privatae. *Procuratores* novi, et *Auguſti procuratores*: *rerum Auguſti* nondum reperi alibi. Vereor, ne *rerum* ſpurium ſit. Ern.

Quem cum Domitio — inierat] Non, ut ipſe et Domitius una eodemque die, in-

Caesaris patre, inierat: praelautus alioqui, famosusque coenarum magnificentia. QUINTUS caruit ordine, quum auctore Tiberio secerni minus idoneos Senatores removerique placuisset. PUBLIUS, Germanici comes, Cn. Pisonem inimicum et interfectorem eius, accusavit condemnavitque; ac post praeturae honorem inter Seiani conscios arreptus, et in custodiam fratri datus, scalpro librario venas sibi incidit: nec tam mortis poenitentia, quam suorum obtestatione, obligari curarique se passus, in eadem custodia morbo periit. LUCIUS ex consulatu Syriae praepositus, Artabanum, Parthorum regem, summis artibus, non modo ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionum signa pellexit. Mox cum Claudio princi-

ierint consulatum, quomodo Graevius capit: falsum hoc esse, certum est: sed ut inierit, collega Domitio, qui iam ante consulatum adierat. Solent scriptores Romani annum, quo quis consulatum gessit, per collegam definire, ut satis notum est, in eoque utuntur verbo *cum;* quod semper est *collega hoc*, vel *illo*. ERN.

Praelautus alioqui] Quia multi codd. habent *praelatus*, nonnulli etiam *eloquio*, Burmannus suspicatur, latere in *eloquio* nomen viri, cui praelatus sit, forte *Claudio*, qui sub Tiberio frustra consulatum petierit. Sed primo hoc nimis commune foret: omnes enim praelati Claudio. Deinde non patitur sequens, *famosusque coenarum magnificentia.* Ceterum *alioqui* durum h. l. mihique suspectum est, quia in verbo *praelautus* nihil est, quod correctionem habeat, cui illud verbum inservire solet. ERN. Nullus hic locus est suspicioni. *Alioqui* bene refertur ad quotidianae vitae rationem et consuetudinem: plane sic negligenter additum, ut nostrum *sonst, übrigens, d'ailleurs.*

Condemnavitque] Vide ad Tib. c. 8. ERN.

Arreptus] *Arripere* pro reum facere, dixit etiam Cicero pro Plancio c. 23. ERN. Conf. Caes. c. 23.

Ad veneranda legionum signa] Eumen. Paneg. Con-

pe, duos insuper ordinarios consulatus censuramque gessit. Curam quoque imperii sustinuit, absente eo, expeditione Britannica: vir innocens, et industrius, sed amore Libertinae perinfamis, cuius etiam salivis melle commixtis, ne clam quidem aut raro, sed quotidie ac palam, arterias et fauces pro remedio fovebat. Idem miri in adulando ingenii, primus C. Caesarem adorare ut deum instituit; quum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens. Claudium, uxoribus libertisque addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere a Messalina petit, ut sibi pedes praeberet excalciandos: detractumque socculum dextrum inter togam tunicasque gestavit assidue, nonnunquam osculabundus. Narcissi quoque et Pallantis imagines aureas inter Lares coluit. Huius et illa vox est, *Saepe facias*, quum seculares ludos edenti Claudio gratularetur.

Stant. c. 15. *ubi vultus vestri, ubi signa colerentur.* Sed res nota. Conf. Calig. c. 14. f.

Nec clam quidem] *Ne*, quod Copes. et Voss. codex et alii habent, recepitque Iac. Gronovius, rectum est: saepe in hoc peccatum est a librariis. Ern.

Adorare ut deum instituit] Vulg. *adorari*. Sed *adorare* unice verum est, quod praeter Memmianum etiam Isser. et alii apud Oudendorpium habent. Itaque recte recepit Burmannus: etiam Graevius probat, etsi non recipit. Contextus necessario ita legi iubet: non enim ab aliis adorari voluisse dicit, sed ipsum primum adorasse, initium adorandi fecisse. Huc respexit Philo Legat. ad Caium p. 1008. Ἔνιοι δὲ καὶ τὸ βαρβαρικὸν ἔθος εἰς Ἰταλίαν ἤγαγον, τὴν προσκύνησιν etc. Conf. Dio lib. 59. p. 661. Recepit et Oudendorpius. Ern.

Circumvertensque se] De hoc ritu adorantium multa ad

Deceſſit paralyſi, altero die quam correptus eſt, duobus filiis ſuperſtitibus, quos ex Sextilia probatiſſima nec ignobili femina editos Conſules vidit, et quidem eodem ambos, totoque anno, quum maiori minor in ſex menſes ſucceſſiſſet. Defunctum Senatus publico funere honoravit: idem ſtatua pro roſtris cum hac inſcriptione, PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM. Aulus Vitellius L. filius IMP. natus eſt octavo Kalendas Octobris, vel, ut quidam, ſeptimo Idus Septembris, Druſo Caeſare, Norbano Flacco, Conſulibus. Genituram eius, praedictam a mathematicis, ita parentes exhorruerunt, ut pater magno opere ſemper contenderit, ne qua ei provincia vivo ſe committeretur; mater et miſſum ad legiones, et appellatum Imperatorem pro afflicto ſtatim lamentata ſit. Pueritiam primamque adoleſcentiam Capreis egit inter Tiberiana ſcorta, et ipſe perpetuo ſpintriae cognomine notatus, exiſtimatusque corporis gratia initium et cauſſa incrementorum patri fuiſſe. 3

Sequenti quoque aetate omnibus probris contaminatus, praecipuum in aula locum tenuit: Caio per aurigandi, Claudio per aleae ſtudium familiaris. Sed aliquanto Neroni acceptior, quum propter eadem haec, tum peculiari merito; quod praeſidens certamini Ne- 4

hunc locum Viri docti. Conf. Liv. 6, 21. extr. et Dorvillium ad Charitonem p. 362. ERN.

Cap. 3. *Norbano Coſſ.*] A. U. 768. Mortuus eſt Decembri a. 822. Conf. c. 18. Itaque vixit 54 annos et duo menſes. Vide Pagium p. 62. ſeq.

Inter Tiberiana ſcorta] Ambigua eſt horum verborum relatio. Nam vel ante illa, vel poſt *ſcorta*, deleri poteſt interpunctio. Sed non multum refert.

roneo, cupientem inter citharoedos contendere, nec, quamvis flagitantibus cunctis, promittere audentem, ideoque egreſſum Theatro, revocaverat, quaſi perſeverantis populi legatione ſuſcepta, exorandumque praebuerat.

5 Trium itaque principum indulgentia, non ſolum honoribus, verum et ſacerdotiis ampliſſimis auctus, proconſulatum Africae poſthaec, curamque operum publicorum adminiſtravit, et voluntate diſpari, et exiſtimatione. In provincia ſingularem innocentiam praeſtitit biennio continuato, quum ſuccedenti fratri legatus ſubſtitiſſet. At in urbano officio dona atque or-

Cap. 4. *Exorandumque praebuerat*] Secutus ſum lectionem edd. et codd. eam, quae maxime veritati accedit: nam et copula neceſſaria eſt, et plusquamperfectum. Sed praeterea pro *exorandumque* legendum puto *exoratumque*. *Praebere* autem eſſe verbum proprium ſpectaculorum, plurimis exemplis Suetonianis intelligitur. Neque enim *exoratum praebuerat* intelligo ſic, ut dictum ſit pro *exoraverat*, ſed potius, effecerat, ut exoratus a ſe copiam vocis ſuae audire volentibus, h. e. populo, faceret: ut *praebuerat* non referatur tantum ad *exoratum*, ſed ut etiam intelligatur *populo*, audire cupienti. Ceterum ſi quis malit, *quaſi, perſeverantis populi legatione ſuſcepta, exoratum praebuerit*, non repugnem. Ern. Vanae ſunt iſtae coniecturae. *Praebet exorandum*, ſc. *populo*, is qui reduxit aliquem, et hominibus exorandi eius poteſtatem facit. Oudendorpii ſuſpicio, ultimam vocem una cum copula delentis, nec neceſſaria eſt neque alioqui probabilis.

Cap. 5. *Curam quoque*] Si haec interpunctio recte ſe habet, minime dubium mihi eſt, quin *curamque* legendum ſit, cum codd. et edd., quas Burmannus laudavit; idque et ipſe ſecutus ſum: nam *quoque*, ut hic eſt, ſolet demum poni, ubi plura commemorata ſunt. Hic unus proconſulatus anteceſſit. Sed poſſis etiam interpunctionem mutare, ſic: *Proconſulatum Africae, poſthaec curam quoque operum publicorum, adminiſtravit*. Ern.

Subſtitiſſet] Hoc potius ſecutus ſum, quam *ſubſtitutus*

namenta templorum ſurripuiſſe, et commutaſſe quaedam ferebatur, proque auro et argento ſtannum et aurichalcum ſuppoſuiſſe.

Uxorem habuit Petroniam, conſularis viri 6
filiam, et ex ea filium Petronianum, captum altero oculo. Hunc heredem a matre ſub conditione inſtitutum, ſi de poteſtate patris exiſſet, manu emiſit; brevique, ut creditum eſt, interemit, inſimulatum inſuper parricidii, et quaſi paratum ad ſcelus venenum ex conſcientia hauſiſſet. Duxit mox Galeriam Fundanam praetorio patre. Ac de hac quoque liberos utriusque ſexus tulit: ſed marem titubantia oris prope mutum et elinguem.

A Galba in inferiorem Germaniam contra 7
opinionem miſſus eſt. Adiutum putant T. Vinii

eſſet, quia id meliores codices, nominatim Memmianus, et editiones veteres habent. Fratri ſuccedenti praeſtitit, quod olim Africanus Aſiatico, ut ei ſe ſubmitteret et eius legatus fieret. Turbavit librarios dativus *fratri*, ad quem verbum referendum putarunt, quum pendeat a *legatus*. Coniectura Graevii, *decedenti fratri ſubſtitutus eſſet*, contextui repugnat. Suetonius ait, in provincia innocentiam praeſtitiſſe, biennio continuato: cauſſam deinde reddit continuationis; ea eſt, quod, legatione apud fratrem ſuſcepta, in provincia manſit. Continuatio provinciae non eſt, quum ante, quam annus tuus veniat, in ea adminiſtranda verſaris, ſed quum, anno tuo et tempore legitimo exacto, in proviuciae adminiſtratione permanes, quacumque de cauſſa. Ern. De uſu dativi conf. ſupra Tib. c. 12. Ner. c. 5. et ſimilia exempla Cic. p. L. Manil. c. 19. Liv. 38. 58. Ceterum et nobis placet *ſubſtitiſſet*, ac nondum credo, *ſubſiſtere* de eo tantum uſurpari, qui in itinere conſiſtat et moram agat, ut putabat Burm.: nec crediſſe videtur Periz.

Cap. 6. *Manu emiſit*] Mſſ. quidam *manumiſit*. Mox Lyſer. pro *hauſiſſet* melius *hauſerit*: hoc enim tempore fere utitur Suetonius poſt *quaſi*. Placet etiam Oudendorpio. Ern.

ſuffragio, tunc potentiſſimi, et cui iam pridem per communem factionis Venetae ſavorem conciliatus eſſet: niſi quod Galba prae ſe tulit, nullos minus metuendos, quam qui de ſolo victu cogitarent, ac poſſe provincialibus copiis profundam eius expleri gulam: ut cuivis evidens ſit, contemptu magis, quam gratia electum. Satis conſtat, exituro viaticum defuiſſe, tanta egeſtate rei familiaris, ut uxore et liberis, quos Romae relinquebat, meritorio coenaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret: utque ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad itineris impenſas. Creditorum quidem praeſtolantium ac detinentium turbam, et in his Sinueſſanos Formianosque, quorum publica vectigalia interverterat, non niſi terrore calumniae amovit: quum libertino cuidam acerbius debitum repoſcenti, iniuriarum formulam, quaſi calce ab eo percuſſus, intendiſſet, nec aliter quam extortis quinquaginta ſeſtertiis remiſiſſet. Advenientem male animatus erga principem exercitus, pronusque ad res novas, libens ac ſupinis manibus excepit, velut dono deûm oblatum ter Conſulis

Cap. 7. *Factionis Venetae*] Cui addictus erat Vitellius, ut diſcimus e c. 14. Lectionem hanc, et Perizonio et Oudend. probatam, dedimus pro *ſuae*, ex optimis codd.

Contemptu] Quod ab eo nihil timendum eſſet. Vide Veſp. c. 4. extr. Sic eleganter *contemnere* et *contemni*, pro, non metuere et metui, paſſim dicuntur. Vide Clav. Cic. in h. v. Ern.

Et in iis] Correxi e Mſſ. *et in his*: ſic enim ſolet et ipſe Suetonius et alii. Sed etiam delendum videtur *et*. Ern. Conf. ad Aug. c. 13.

Libens ac ſupinis manibus excepit] Sublatis ad caelum manibus, reſpicit ad donum de caelo miſſum. Ern.

filium aetate integra, facili ac prodigo animo. Quam veterem de se persuasionem Vitellius recentibus etiam experimentis auxerat, tota via caligatorum quoque militum obvios exosculans, perque stabula ac deversoria mulionibus ac viatoribus praeter modum comis: ut mane singulos, iamne ientassent, sciscitaretur, seque fecisse, ructu quoque ostenderet.

Castra vero ingressus nihil cuiquam po- 8
scenti negavit: atque etiam ultro ignominiosis notas, reis sordes, damnatis supplicia dempsit. Quare, vixdum mense transacto, neque diei, neque temporis habita ratione, ac iam vespere, subito a militibus e cubiculo raptus, ita ut erat, in veste domestica, Imperator est consalutatus: circumlatusque per celeberrimos vicos, strictum divi Iulii gladium tenens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum sibi a quodam: nec ante in praetorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini: quum quidem consternatis, et quasi omine ad-

Caligator. quosque] Memm. aliique scripti et editi *quoque*. Difficile est, decernere, utrum melius sit. Sed propter Memm. cod. auctoritatem *quoque* praefero. Ern. Ipsa Latinitas postulat hanc scripturam: inest nota brevitas, q. d. Non tantum nobiliores milites, sed *caligatos quoque* exosc.

Iamne ientassent] Mss. Lysser. et Vindob. *anne*, quod recepi. Itemque mox *quoque* post *ructu* ex iisdem delevi: nam quanam alia re ostendere potuit? Ern. Nutu vel verbo. Sed addidit *ructum*. Duo isti codd., a ceteris deserti, videntur mendosi esse in utroque vocabulo, et in priore maxime evidens est mendum.

Cap. 8. *Neque diei, neque* etc.] An dies faustus, et tempus sive hora diei auspicata esset. Vide Ner. c. 8. Ern.

Quum quidem] Sic e Mem., Copes., Lyser. etc. et ed. Rom. recepi, quod imitatus est Oudend., pro *tum quidem*, quod ab hoc contextu alienum est

verſo anxiis omnibus, *Bono*, inquit, *animo eſtote*, *nobis alluxit;* nullo ſermone alio apud milites uſus. Conſentiente deinde etiam ſuperioris provinciae exercitu, qui prius a Galba ad Senatum defecerat, cognomen Germanici, delatum ab univerſis, cupide recepit: Auguſti distulit: Caeſaris in perpetuum recuſavit.

9 Ac ſubinde caede Galbae annuntiata, compoſitis Germanicis rebus, partitus eſt copias, quas adverſus Othonem praemitteret, quasque ipſe perduceret. Praemiſſo agmini laetum evenit auſpicium: ſiquidem a parte dextra repente aquila advolavit, luſtratisque ſignis, ingreſſos viam ſenſim anteceſſit. At contra ipſo movente, ſtatuae equeſtres, quum plurifariam ei ponerentur, fractis repente cruribus pariter corruerunt: et laurea, quam religioſiſſime circumdederat, in profluentem excidit. Mox Viennae pro tribunali iura reddenti, gallinaceus ſupra humerum, ac deinde in capite adſtitit. Quibus oſtentis par reſpondit exitus: nam confirmatum per legatos ſuos imperium per ſe retinere non potuit.

10 De Betriacenſi victoria et Othonis exitu, quum adhuc in Gallia eſſet, audiit: nihilque cunctatus, quidquid praetorianarum cohortium

Tum vel *tunc* in tali contextu initium eſt novae ſententiae, et longe aliter accipitur, quam hoc loco, velut Caeſ. c. 32., ubi poſt cunctationem et dubitationem, felici demum omine oblato, ſubiicit: *Tunc Caeſar, eatur, inquit*, etc. Ern. Sic et Perizon. et alii.

Etiam iam] *Iam* et ipſe delendum cum Lipſio cenſui, abeſtque a multis libris. Ern.

Caeſaris — recuſavit] Immo, ad extremum accepit. Tac. Hiſt. 3. 58.

Cap. 9. *Per legatos*] Qui Othonis copias vicerant ad Betriacum. Ern.

ſuit, ut peſſimi exempli, uno exauctoravit edicto, iuſſas tribunis tradere arma. Centum autem atque viginti, quorum libellos Othoni datos invenerat, expoſcentium praemia, ob editam in caede Galbae operam, conquiri, et ſupplicio affici imperavit: egregie prorſus, atque magnifice, et ut ſummi principis ſpem oſtenderet, niſi cetera magis ex natura, et priore vita ſua, quam ex imperii maieſtate geſſiſſet. Namque, itinere inchoato, per medias civitates ritu triumphantium vectus eſt: perque flumina delicatiſſimis navigiis, et variarum coronarum genere redimitis, inter profuſiſſimos opſoniorum apparatus, nulla familiae aut militis diſcipplina, rapinas ac petulantiam omnium in iocum vertens, qui non contenti epulo ubique publice praebito, quoscumque libuiſſet, in libertatem aſſerebant, verbera et plagas, ſaepe vulnera, nonnumquam necem repraeſentantes adverſantibus. Utque campos, in quibus pugnatum eſt, adiit, abhorrentes quosdam cadaverum tabem, deteſtabili voce confirmare auſus eſt: *Optime olere occiſum hoſtem, et melius civem.* Nec eo ſecius ad leniendam gravitatem odoris plurimum meri propalam hauſit, paſſimque diviſit. Pari vanitate atque inſolentia lapidem, memoriae Othonis inſcriptum, intuens, *dignum eo Mauſoleo*, ait: pugionemque, quo is ſe occiderat, in Agrippinenſem

Cap. 10. *Magnifice*] Exquiſite dictum, pro, magno animo, ut non ſemel Cicero. Ern.

Et melius civem] Aut delendum eſt *et*, aut corrigendum *at*. Illud magis placet. Ern. Simili negligentia ſaepe ponitur haec copula, impr. apud Tacitum, ut 1, 13. et alibi. Hic ſuppl. *quidem*.

coloniam miſit, Marti dedicandum. In Apennini quidem iugis etiam pervigilium egit.

11 Urbem denique ad claſſicum introiit, paludatus ferroque ſuccinctus, inter ſigna atque vexilla, ſagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis. Magis deinde ac magis omni divino humanoque iure neglecto, Allienſi die pontificatum maximum cepit: comitia in decem annos ordinavit, ſeque perpetuum Conſulem. Et ne cui dubium foret, quod exemplar regendae reipublicae eligeret, medio Martio campo, adhibita publicorum ſacerdotum frequentia, inferias Neroni dedit: ac ſollemni convivio citharoedum placentem palam admonuit, ut aliquid et de Dominico diceret: inchoantique Neroniana cantica, primus exſultans etiam plauſit.

12 Talibus principiis magnam imperii partem non niſi conſilio et arbitrio viliſſimi cuiusque hiſtrionum et aurigarum adminiſtravit, et maxime Aſiatici liberti. Hunc adoleſcentulum mutua libidine conſtupratum, mox taedio profugum, quum Puteolis poſcam vendentem reprehendiſſet; coniecit in compedes, ſtatimque ſol-

Cap. 11. *Detectis commilitonum armis*] Malim *retectis.* Saepe illa ſyllaba *re* in *de* mutata, nominatim etiam in Mſ. Memm. aliisque, ut infra *declamantibus* pro *reclamantibus*, etc. Ern. Conf. ad Caeſ. c. 57.

De Dominico diceret] Recte hoc, poſt alios recepit Burmannus. Intelligitur liber canticorum Neronis. Ern. Iam *Domini* dicti, ab asſentatoribus certe. Nam publice id nomen primo exemplo ſibi ſumpſit Domitianus, ut notum eſt.

Diceret] De citharoedo etiam alibi Suetonius. Ern.

Cap. 12. *Talibus principiis*] Abſolute capiendum, quum talia fuiſſent principia. Mox in *et maxime, et* languet. Ern.

Reprehendiſſet] Mſſ. plerique et edd. vett. *deprehendiſ-*

vit, et rurſus in deliciis habuit: iterum deinde ob nimiam contumaciam et ferocitatem gravatus, circumforaneo laniſtae vendidit, dilatumque ad finem muneris repente ſurripuit, et provincia demum accepta manumiſit: ac primo imperii die aureis donavit anulis ſuper coenam, quum mane, rogantibus pro eo cunctis, deteſtatus eſſet ſeveriſſime talem equeſtris ordinis maculam.

Sed vel praecipue luxuriae ſaevitiaeque de- 13
ditus, epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam dispertiebat, in ientacula, et prandia, et coenas, comiſſationesque; facile omnibus ſufficiens, vomitandi conſuetudine. Indicebat autem aliud alii eadem die: nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadringenis millibus nummûm conſtiterunt. Famoſiſſima ſuper ceteras fuit coena data ei adventicia a fratre, in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium, appoſita traduntur. Hanc quoque exſuperavit ipſe dedicatione patinae, quam ob immenſam magnitudinem *clypeum Minervae* πολιούχου dictitabat. In hac ſcarorum iocinora, phaſianorum et pavonum cerebella, linguas phoenicopterum, muraenarum lactes a Parthia usque fretoque Hiſpaniae, per navarchos

ſet: at Mſ. Memm. et alii, item edd. pr., *reprehendiſſet;* quod quia rarius eſt hoc ſenſu, receptum eſt. Nec tamen mihi in S. placet. Vide ad c. 11. Ern. *Reprehendere* h. l. proprium eſt. Conf. Calig. c. 45.

Cap. 13. *Aliud alii*] Vide ad Ner. c. 27. Mox pro *minus* veniat in mentem *minoris,* ut alibi eſt. Ern. Etiam adverbium recte ponitur in ea locutione.

Clypeum Minervae πολιούχου] Delevi αἰγίδα, quod a Mſſ. fere abeſt et edd. Rom., Steph. deleveruntque et Oudendorpius. Ern.

A Parthia usque fretoque] I. e. ab utroque imperii Roma-

ac triremes petitarum, commiſcuit. Ut autem homo non profundae modo, ſed intempeſtivae quoque ac ſordidae gulae, ne in ſacrificio quidem umquam, aut itinere ullo temperavit, quin inter altaria ibidem ſtatim viſcus et farra paene rapta e foco manderet, circaque viarum popinas fumantia opſonia vel pridiana, atque ſemeſa.

14 Pronus vero ad cuiusque et quacumque de cauſſa, necem atque ſupplicium, nobiles viros,[1] condiſcipulos et aequales ſuos, omnibus blanditiis tantum non ad ſocietatem imperii alliceſactos, vario genere fraudis occidit; etiam unum veneno manu ſua porrecto in aquae frigidae potione, quam is affectus febre

ni fine. Nomen regionis mediterraneae turbavit Viros doctos, ut corruptum crederent. Burmannus quidem etiam coniecturas *a Carpathio* Budaei, et *Carpetano* Heinſii reiicit, quod hic de aquis agatur, unde piſces petantur. Sed quae ratio eſt, quare Suetonius dicere voluerit, unde piſces Vitellius petierit, et non etiam, unde aves? Immo, quia de utrisque dicere voluit, dixit *a Parthia usque,* unde aves Romam perlatas, docuere dudum Viri docti. Si quid pro *Parthia* reponendum eſſet, propter phaſianos potius reſcriberem, *a Phaſide usque.* Sed non eſt neceſſe. Si de ſolis piſcibus dixiſſet, ſane a Propontide potius aut Ponto dixiſſet, ut faciunt, qui fines maris interfluentis Europam, Africam et Aſiam exprimere volunt. Quod autem dicit, *per navarchos et triremes petitarum,* non ſic intelligendum, quaſi iuſſu eius petierint navarchi, quamquam non excludo hunc ſenſum. Etenim tum eae res ſolebant ab iſtis locis advehi. Neque, quia *petitarum,* propter genus, proprie ad *muraenarum* refertur, de ſolis muraenis ultimum hoc intelligendum. Etenim ubi diverſorum generum nomina concurrunt, non modo neutrum, ſed et id genus ponitur, quod ultimo convenit: id quod nemo ignorat. Ern. Optime coni. Oudend. *a Carteia usque.*

Cap. 14. *Unum veneno*] De Iunio Blaeſo, ut ſuperiora de

popofcerat. Tum feneratorum et ftipulatorum publicanorumque, qui umquam fe aut Romae debitum, aut in via portorium flagitaffent, vix ulli pepercit. Ex quibus quendam in ipfa falutatione fupplicio traditum, ftatimque revocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici iuffit, *velle fe*, dicens, *pafcere oculos:* alterius poenae duos filios adiecit, deprecari pro patre conatos. Sed et Equitem Romanum proclamantem, quum raperetur ad poenam, *Heres meus es*, exhibere teftamenti tabulas coegit: utque legit, coheredem fibi libertum eius adfcriptum, iugulari cum liberto imperavit. Quosdam et de plebe ob id ipfum, quod Venetae factioni clare maledixerant, interemit; contemptu fui, et nova fpe id aufos, opinatus. Nullis tamen infenfior, quam vernaculis et mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat; exacerbatus, quod poft edictum fuum, quo iubebat intra Kalendas Octobris Urbe Italiaque mathematici exce-

Dolabella, capit Lipfius ad Tac. Hift. 3, 39. Ern.

Stipulatorum] Quibus pecuniam ex ftipulatione debebat, ut loquitur Cicero de Legibus 2, 21. Ern.

Flagitaffent] De exactoribus debiti et portorii dixit etiam Cicero pro Domo c. 20. Ern.

Nova fpe] Ut *novae res* his temporibus dicuntur de converfione imperii, defectione ducum etc., fic *nova fpes* eft fpes novarum rerum. Sic Horat. 4, 12. vinum dicit *novas fpes donare*, i. e. fpem melioris, novae fortunae. Supra in Tib. c. 11. *occafio maioris fpei*, ubi vide notam. Ern.

Opinatus] Eft, pro cauffatus, interpretatus. Ern.

Vernaculis] I. e. fcurris, qui dicteriis carperent dicta, facta, mores etc. hominum, eoque nomine noti vulgo effent. Ern.

derent, ſtatim libellus propoſitus eſt; *et Chaldaeos dicere, bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem usquam eſſet.* Suſpectus et in morte matris fuit, quaſi aegre praeberi cibum prohibuiſſet; vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquieſcebat, *ita demum firmiter ac diutiſſime imperaturum, ſi ſuperſtes parenti exſtitiſſet.* Alii tradunt, ipſam taedio praeſentium, et imminentium metu, venenum a filio impetraſſe, haud ſane difficulter.

15 Octavo imperii menſe deſciverunt ab eo exercitus Moeſiarum atque Pannoniae: item ex transmarinis Iudaicus et Syriacus: ac pars in absentis, pars in praeſentis Veſpaſiani verba iurarunt. Ad retinendum ergo ceterorum hominum ſtudium ac favorem, nihil non publice pri-

Eſt propoſitus, et etc.] Quidam codd. *propoſitus eſt. Eſt* cum *et* permutatum ſaepe a librariis, paſſim notant Viri docti. Arbitror, *et* vel *eſt* hic ortum e compendio τοῦ *erat* aut *eſſet;* ſic enim legi ratio Latinitatis poſtulat. Paullo ante, *quod maledixerant, intercmit:* et ſic centies. *Eſſet, eſt; et* a librariis confundi, paſſim ad Livium obſervavit Drakenborchius. Ern. Mox probabilius eſt *edicere.* Sicut edixerat Vitellius, etiam Chaldaeos edicere. Alterum ſubdubie eſt.

In morte] Sic Memm. aliique codices et ed. Steph., quos merito ſecutus ſum, illuſtratum ſatis a Burmanno, pro vulgato *in mortem.* Ern.

Et alii] *Et* Caſaubonus et Gronovius omiſerunt. Sane alienum eſt ab hoc loco, ortum vel ex ultima ſyllaba praecedentis verbi, aut e *ſed:* nam haec verba permutantur ſaepe in codd. Vide ad Othon. c. 10. Quia abeſt a Mſ. Lyſer., cui et alii conſentiunt, delevi. Sic fecit et Oudendorpius. Ern.

Cap. 15. *Et Syriaticus*] E lege Critices hoc recepimus e cod. Memm. aliisque ſcriptis et editis, exemplo Virorum doctorum, qui eandem lectionem Floro intulerunt, 2, 9., ubi vide Salmaſium et Graevium. Sed tamen mihi dubiam fecit

vatimque nullo adhibito modo largitus est. Delectum quoque ea conditione in Urbe egit, ut voluntariis non modo missionem post victoriam, sed etiam veteranorum iustaeque militiae commoda polliceretur. Urgenti deinde terra marique hosti, hinc fratrem cum classe ac tironibus et gladiatorum manu opposuit: hinc et Betriacenses copias et duces. Atque ubique aut superatus, aut proditus, salutem sibi et millies sestertiûm a Flavio Sabino, Vespasiani fratre, pepigit; statimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites, cedere se imperio, quod invitus recepisset, professus, cunctis reclamantibus, rem distulit: ac nocte interposita, primo diluculo sordidatus descendit ad rostra, multisque cum lacrimis eadem illa, verum e libello, testatus est. Rursus interpellante milite ac populo, et, ne deficeret, hortante, omnemque operam suam certatim pollicente, animum resumpsit, Sabinumque et reliquos Flavianos, nihil iam metuentes, vi subita in Capitolium compulit; succensoque templo Iovis optimi maximi oppres-

eam lectionem hoc, quod alibi Suetonius habet usitatiorem formam *Syriacus*. Ern.

Iustaeque militiae] Hic non sic, ut alibi, dicitur, de legionaria militia, ut in Galba c. 12. *iusti milites* dicuntur: sed de tempore iusto et ordinario militiae, seu de iusto numero stipendiorum, quibus emeritis commoda certa missionis constituta erant. *Iusta commoda* Lipsii recte quidem dicuntur, sed non necesse est, hic ea reponere. Ern.

Eadem illa] Olim lèg. *eadem verba*. Illud vero e MSS. recepit Iac. Gronovius, quem secuti sumus. Idem reperit in Exc. Cuiac., Voss., Copes. Burmannus, probavitque. Sic habet etiam Lyser. *Testari verba* Latine dici, non credo; dixisset *iisdem verbis*. Ern.

Metuentes] Melius hoc, quam vulgatum *metuens*. Itaque cum Gronovio et Burmanno recepi. Ern.

ſit. Quum et proelium et incendium e Tiberiana proſpiceret domo inter epulas, non multo poſt poenitens facti, et in alios culpam conferens, vocata concione iuravit, coegitque iurare ceteros, *nihil ſibi antiquius quiete publica fore.* Tunc ſolutum a latere pugionem, Conſuli primum, deinde, illo recuſante, magiſtratibus, ac mox Senatoribus ſingulis porrigens; nullo recipiente, quaſi in aede Concordiae poſiturus, abſceſſit. Sed quibusdam acclamantibus, *ipſum eſſe Concordiam,* rediit: nec ſolum retinere ſe ferrum affirmavit, verum etiam Concordiae recipere cognomen.

16 Suaſitque Senatui, ut legatos cum virginibus Veſtalibus mitterent, pacem, aut certe tempus ad conſultandum petituros. Poſtridie reſponſa opperienti, nuntiatum eſt per exploratorem, hoſtem appropinquare. Continuo igitur abstruſus geſtatoria ſella, duobus ſolis comitibus, piſtore et coquo, Aventinum et paternam domum clam petiit, ut inde in Campaniam fugeret. Mox, levi rumore et incerto, tamquam pax impetrata eſſet, referri ſe in Palatium paſſus eſt: ubi quum deſerta omnia reperiſſet, dilabentibus et, qui ſimul erant, zona ſe aureorum plena circumdedit; confugitque in cellulam ianitoris, religato pro foribus cane, lectoque et culcita obiectis.

17 Irruperant iam agminis anteceſſores; ac

Conſuli primum] Caecilius Simplex erat. Vide Tac. Hiſt. 3, 68. Ern.

Cap. 16. *Suaſitque*] Sic codd. fere, non *ſuaſit.* Vide ad Ner. c. 38. Ern. Nonnulli Mſſ. et vett. edit. *Senatoribus,* ex correctione propter verbum pluralis numeri.

Cap. 17. *Irrup. autem iam*] *Autem* delevi, quod abeſt pluribus et melioribus libris. Ern.

nemine obvio rimabantur, ut fit, fingula. Ab his extractus e latebra, fcifcitantes, *quis effet* (nam ignorabatur) et *ubi effe Vitellium fciret*, mendacio elufit: deinde agnitus rogare non defiitit, quafi quaedam de falute Vefpafiani dicturus, ut cuftodiretur interim vel in carcere: donec religatis poft terga manibus, iniecto cervicibus laqueo, vefte difciffa, feminudus in forum tractus eft, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viae facrae fpatium, reducto coma capite, ceu noxii folent, atque etiam mento mucrone gladii fubrecto, ut vifendam praeberet faciem, ne-

Ab iis] Mf. Lyfer. *Ab his*, quod hic fane melius eft: recepique, etfi ille codex faepe pro *iis* habet *his*, etiam alienis locis. Mox ex eodem dedi *quis* pro *quisnam*, ut et alii meliores habent. Ern.

Reducta coma a capite] Haec eft lectio plurimorum codd. et omnium prope veterum editionum; eamque hactenus praetuli alteri, *reducto coma capite*, non, quod usquequaque probo. *Reducto coma capite* propterea non fatis placet, quod *coma*, feu *e coma reducere caput*, non dici arbitror, fed *reducere* vel *retorquere* aut *refupinare caput*, fimpliciter, fine tali adiectione, quae per fe intelligitur. Etiam dicendum fuiffet, *capillis*, ut opinor, non *coma*. Sed fi comam denfam habuit Vitellius, potuerunt reducere comam, ne vultum tegeret. Verum et fic remanet fcrupulus, quare *a capite* addiderit, non potius omiferit, aut addiderit *e facie*, vel *ab ore*. Itaque valde inclino in eam fententiam, ut putem, a Suetonio effe *reducto capite*, propter illud, quod additur, *ceu noxii folent*, fcil. trahi, aliquis interpretamenti loco addiderit *coma*, ut indicaret, ea apprehenfa reductum caput; aut, *reducta coma et capite*. De re ipfa vide etiam Cuperum Obff. 1, 12. Ern.

Subrecto] Recte hanc optimorum codd. lectionem pro vulgata *fubiecto* recepit Burmannus. Et alibi in hoc verbo lapfi funt librarii. Vide Viros doctos ad Liv. 8, 8. Ern. Et eft *mento fubrecto* per *mucronem* gladii, ut ordo verborum arguit. Antea delevi particulam *a*, in multis codd. non

ve ſummitteret; quibusdam ſtercore et coeno inceſſentibus, aliis *incendiarium* et *patinarium* vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante (erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinolentia, venter obeſus, alterum femur ſubdebile, impulſu olim quadrigae, quum auriganti Caio miniſtratorem exhiberet) tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus atque confectus eſt, et inde unco tractus in Tiberim.

18 Periit cum fratre et filio, anno vitae ſeptimo et quinquageſimo: nec fefellit coniectura eorum, qui augurio, quod factum ei Viennae oſtendimus, non aliud portendi praedixerant, quam venturum in alicuius Gallicani hominis poteſtatem: ſiquidem ab Antonio Primo adverſarum partium duce oppreſſus eſt; cui Toloſae nato cognomen in pueritia *Becco* fuerat. Id valet gallinacei roſtrum.

comparentem; ibique *coma* intell. *per comam.* Mox coniectura Caſauboni non inelegans eſt, *ceu notiis ſolet,* et probavit Perizon.

Subdebile] Intellige, paullum claudicans: nam *debilitati* Suetonio, atque etiam aliis, ſunt aliquo membro capti. Vide Graevium ad Cic. Agrar. 2, 33. Ern.

Miniſtratorem exhiberet] Improbat Burmannus codices, qui addunt *ſe,* quod eſt etiam in Mſ. Lyſer. Ern. Ex gloſſemate. Nam uſus cadentis linguae, etſi durior et poeticus, in hoc verbo et in ſimili *praebere,* reſpuit pronomen illud.

Cap. 18. *Coniectura*] Sic etiam Lyſer., unde, poſt Burmannum, recepimus. Ern. *Coniecturam* olim edebant, vitioſe. Dicitur Latine, *coniectura fallit,* ut *alea fallit.*

SUETONII

LIBER OCTAVUS.

T. FLAVIUS VESPASIANUS.

Rebellione trium principum et caede incertum diu, et quaſi vagum imperium, ſuscepit firmavitque tandem gens Flavia: obſcura illa quidem, ac ſine ullis maiorum imaginibus; ſed tamen reipublicae nequaquam poenitenda; conſtet licet, Domitianum cupiditatis ac ſaevitiae merito poenas luiſſe. Titus Flavius Petro, municeps Reatinus, bello civili Pompeianarum partium centurio, an evocatus, profugit ex Pharſalica acie, domumque ſe contulit: ubi 1

Cap. 1. *Quaſi vagum*] Quod nullo certo loco conſiſteret, ſed modo penes hunc, modo alium eſſet. *Vagum* opponitur *ſtabili.* Cicero de Nat. deor. 2, 1. *de diis habere, non errantem et vagam, ut Academici, ſed, ut noſtri, ſtabilem certamque ſententiam.* Ern.

Gens Flavia] Gentis Flaviae ſtemma eſt in T. Flavii Clementis, viri conſularis, tumulo illuſtrato, ed. Urbini a. 1727. p. 40. Ern.

Cupiditatis] Intelligo avaritiam et rapinas. Sic apud Ciceronem pro Cluent. c. 55. *qui ſine cupiditate vixerunt,* ſunt homines integri, neque avaritiae, pecuniarumve, contra leges captarum, rei aut ſuſpecti. Intelligi etiam de libidine Venerea poſſet; ſed illud huic loco aptius puto. Ern.

Centurio, an evocatus] Dubitatio inde orta, quod centuriones et evocati iisdem ſtipen-

deinde, venia et miſſione impetrata, coactiones argentarias factitavit. Huius filius, cognomine Sabinus, expers militiae (etſi quidam eum primipilarem; nonnulli, quum adhuc ordines duceret, ſacramento ſolutum per cauſſam valetudinis, tradunt) publicum quadrageſimae in Aſia egit. Manebantque imagines a civitatibus ei poſitae ſub hoc titulo, καλῶς τελωνήσαντι. Poſtea fenus apud Helvetios exercuit, ibique diem obiit, ſuperſtitibus uxore Veſpaſia Polla, et duobus ex ea liberis: quorum maior Sabinus ad praefecturam Urbis, minor Veſpaſianus ad principatum usque proceſſit. Polla Nurſiae honeſto

diis fruerentur, eademque dignitate eſſent: quare, quum de dignitate et ſtipendio conſtaret, incertum fuit, quo nomine meruiſſet. Ern.

Publicum quadrageſimae in Aſia egit] Qui *publicanum* defendunt, non cogitant, publicanos ſimpliciter dici, non addito vectigalis conducti nomine. *Agere* autem eſt *exercere*. Vectigalia porro exercere proprie quidem ipſi publicani dicuntur, neque tamen dubitem, etiam de iis, qui honeſtiorem ſocietati publicanorum operam navarent, ut pro magiſtris, dici poſſe: de vulgaribus operis, veluti portitoribus, non credo. Magis autem pronus ſum in eam partem, ut Sabinum publicanum fuiſſe putem; quippe qui etiam fenus apud Helvetios exercuit, adeoque negotiator fuit, quod ipſum olim, ut conductio publicorum, Equitibus fere proprium fuit. Nam qui negotiator eſſe potuit, haud dubie etiam publicanus eſſe potuit. Quod autem ei ſtatua poſita eſt, cum inſcriptione: καλῶς τελωνήσαντι, id factum eſſe poteſt, quod ſocietatis nomine in provincia eſſet et res ſocietatis curaret. Magiſtrum quidem ſocietatis non putem; quod, eum Romae fere fuiſſe, e Ciceronis Verrinis patet. Τελωνῆσαι in Gloſſis non modo de *portitore* explicatur, ſed etiam de *publicano*; quem verbum hoc proprie indicat. Ern.

Manebantque] Sic omnes ſcripti et editi, nec mutandum in *manentque*, aut *manent hodieque*. Referendum autem eſt τὸ *manebant* ad tempora

genere orta, patrem habuit Vespasium Pollionem, ter tribunum militum, praefectumque castrorum; fratrem Senatorem praetoriae dignitatis. Locus etiam nunc ad sextum milliarium a Nursia Spoletium euntibus in monte summo appellatur Vespasiae; ubi Vespasiorum complura monumenta exstant, magnum indicium splendoris familiae, et vetustatis. Non negaverim, iactatum a quibusdam, Petronis patrem e regione Transpadana fuisse mancipem operarum, quae ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare soleant; subsedisse autem in oppido Reatino, uxore ibidem ducta. Ipse ne vestigium quidem de hoc, quamvis satis curiose inquirerem, inveni.

Vespasianus natus est in Sabinis ultra Reate, vico modico, cui nomen est Phalacrine, quintodecimo Kalendas Decembris, vesperi, Q. Sulpicio Camerino, C. Poppaeo Sabino, Consulibus, quinquennio ante quam Augustus excederet: educatus sub paterna avia Tertulla, in praediis Cosanis. Quare princeps quoque et locum incunabulorum assidue frequentavit, manente villa, qualis fuerat olim, ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret: et aviae 2

Vespasiani, non Suetonii. Nec tamen *manentque* alienum est, si modo libri faverent. Ern.

Praefectumque castrorum] De hoc genere praefecti vide Lipsium ad Tac. Ann. lib. 1. Excurs. H. Mox e Mss. delevi *que* in *fratrem*. Ern.

Monumenta] Non tantum de sepulcris capienda, sed omni genere aedificiorum et operum, quae ab iis nomen haberent, iisve inscripta essent. Ern.

Quae — commeare solerent] Libri scripti aliquot habent *soleant*, male: nam imperfectum requirunt *iactatum, fuisse*. Nec inde colligendum, commeatum illum Scriptoris tempore desiisse. Ern.

memoriam tanto opere dilexit, ut sollemnibus ac festis diebus pocillo quoque eius argenteo potare perseveraverit. Sumpta virili toga, latum clavum, quamquam fratre adepto, diu aversatus est; nec ut tandem appeteret, compelli nisi a matre potuit. Ea demum extudit, magis convicio, quam precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat. Tribunus militum in Thracia meruit. Quaestor Cretam et Cyrenas provinciam sorte cepit. Aedilitatis ac mox praeturae candidatus, etiam non sine repulsa, sextoque loco vix adeptus est. Ac prima statim petitione, et in primis Praetor, infensus Sena-

Cap. 2. *Sollemnibus — diebus*] Scil. privata sollemnitate, ut nuptiarum, natalitiorum, tirocinii etc. Vide Aug. c. 53. Etiam festi dies sunt sollemnes, sed publice, in honorem deorum: a quibus hic dies sollemnes distinguuntur. Ern.

Tribunatu militum — meruit] I. e. quum tribunus militum esset. Sic noster Caes. c. 5. Exempla plura congessit Graevius ad Aug. c. 13. Pro hac lectione Graevius et Burmannus reposuere e codd. et edd vett. *tribunatum;* quam Graevius sic interpretatur, ut tribunatum nactus sit, quo in Thracia fungeretur. Sed primum, loca, ubi quis tribunus militet, non ad nomen dignitatis referuntur, sed ad verbum, ut pateat, ubi quis honore functus sit: vide Tib. c. 9. init. et Titum c. 4. init.: deinde dubito, Latinos dicere *tribunatum merere.* Melius alii, Torrentius et Dukerus, *tribunus militum.* Sic alibi solet Suetonius dicere in tali re, et id bene consentit sequenti, *Quaestor — cepit.* Ern. Hoc in ipso textu correxi propter evidentiam, quam optime demonstravit Bremius.

Provinciam] Recte; non provincias: nam Creta et Cyrenaica una provincia, communem magistratum et Quaestorem habuit, ut dudum docuere Viri docti. Vide Lipsium ad Tac. Ann. 3, 70. Ern.

Aedilitatis etc.] Palmaria corrupti loci emendatio facta est a Dukero: *Aedilitatis ac mox praeturae candidatus, illam non sine repulsa sextoque loco vix adeptus est;*

tui, Caium ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios pro victoria eius Germanica depopoſcit, poenaeque coniuratorum addendum cenſuit, ut inſepulti proiicerentur. Egit et gratias ei apud ampliſſimum ordinem, quod ſe honore coenae dignatus eſſet.

Inter haec Flaviam Domitillam duxit uxo- 3
rem, Statilii Capellae Equitis Romani Sabratenſis ex Africa delicatam olim, Latinaeque conditionis, ſed mox ingenuam et civem Romanam recuperatorio iudicio pronuntiatam, patre asſerente Flavio Liberali Ferenti genito, nec quidquam amplius quam quaeſtorio ſcriba. Ex hac liberos tulit, Titum et Domitianum et Domitillam. Uxori ac filiae ſuperſtes fuit: atque utramque adhuc privatus amiſit. Poſt uxoris exceſſum, Caenidem, Antoniae libertam et a manu, dilectam quondam ſibi, revocavit

hanc prima ſtatim petitione, et in primis. Praetor etc. Iam vide Erneſtii Excurſum ad h. l.

Cap. 3. *Latinaeque conditionis*] Verba ſequentia, *mox ingenuam pronuntiatam*, facile indicant, eam libertinam fuiſſe, manumiſſamque manumiſſione minus iuſta, per quam Latinitatem tantum conſequeretur. Ern.

Recuperatorio iudicio] Hunc locum illuſtrat, ex eoque oſtendit, cauſſas liberales ordinarii iuris, non cognitionis (vide ad Claud. c. 15.) fuiſſe, et a Diocletiano demum et Maximiano „extraordinarii iuris ſ. cognitionis factas, Noodt de Iurisdict. lib. 1. c. 9. Cauſſa autem haec in provincia acta videtur, non modo, quod recuperatores eam iudicarunt, qui in provincia iudicabant cauſſas, quas Romae Centumviri: vide Noordkerkium de Lege Petron. §. 18.: ſed etiam, quod adſerenda femina in Africa erat. Ceterum, etiam Romae iudices, recuperatores in quibusdam cauſſis dictos, e Cicerone clarum. Vide Clav. Cic. in h. v. Atque ii ſunt ipſi Centumviri, qui, ut Cicero l. c. ait, omnino quid ſuum, quid alienum, civis, an peregrinus etc. iudicabant. Ern.

in contubernium, habuitque etiam Imperator paene iuſtae uxoris loco.

4 Claudio principe, Narciſſi gratia legatus legionis in Germaniam miſſus eſt: inde in Britanniam translatus, tricies cum hoſte conflixit. Duas validiſſimas gentes, ſuperque viginti oppida, et inſulam Vectem Britanniae proximam, in ditionem redegit, partim Auli Plautii legati conſularis, partim Claudii ipſius ductu. Quare triumphalia ornamenta, et in brevi ſpatio duplex ſacerdotium accepit: praeterea conſulatum, quem geſſit per duos noviſſimos anni menſes: medium tempus ad proconſulatum usque in otio ſeceſſuque egit, Agrippinam timens potentem adhuc apud filium, et defuncti quoque Narciſſi amicos peroſam. Exin ſortitus Africam, integerrime, nec ſine magna dignatione adminiſtravit: niſi quod Adrumeti ſeditione quadam, rapa in eum iacta ſunt. Rediit certe nihilo opulentior, ut qui, prope labefacta iam fide, omnia praedia fratri obligarit, neceſſarioque ad mangonicos quaeſtus ſuſtinendae dignitatis cauſſa deſcenderit: propter quod vulgo Mulio vocabatur. Convictus quoque di-

Contubernium] Ut eſſet concubina, cuius eſt contubernium; quod opponitur iuſto matrimonio. Id eſſe civi cum libertina non poſſe, notum eſt. Ern.

Cap. 4. *Obligarit*] Multi codd. et edd. habent *obligaret*: ſic etiam Lyſer., qui et mox *deſcenderet* habet. Ern.

Mulio] Torquent ſe Viri docti in cauſſa huius nominis reperienda. Lucem affert locus in Ciceronis Epiſtolis ad Div. 10, 18., ubi Ventidius a Planco Mulio vocatur: collato loco Plinii Hiſt. Nat. 7, 45., ubi idem dicitur vocatus fuiſſe a Cicerone *mulio caſtrenſis ſuffarraneus;* quod nomen accepit a quaeſtu, e ſubvehendo per mulos in caſtra frumento, aliisque rebus neceſſariis, item, ut Gellius habet Noct. Att. 2, 4., quod mulos et

citur ducenta ſestertia expreſſiſſe iuveni, cui latum clavum adverſus patris voluntatem impetrarat, eoque nomine graviter increpitus. Peregrinatione Achaica inter comites Neronis, quum cantante eo aut discederet ſaepius, aut praeſens obdormiſceret, graviſſimam contraxit offenſam: prohibitusque non contubernio modo, ſed etiam publica ſalutatione, ſeceſſit in parvam ac deviam civitatem, quoad latenti, etiamque extrema metuenti, provincia cum exercitu oblata eſt. Percrebruerat Oriente toto vetus et conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum poſtea eventu paruit, praedictum Iudaei ad ſe trahentes, rebella-

vehicula magiſtratuum ſupellectili avehendae locaret. Ergo et hic mangonicus quaeſtus, mancipem eſſe mulorum et vehiculorum, per quae res neceſſariae ſubvehantur, vel, quocunque velit aliquis, aſportentur. Ern.

Potirentur] Idem Ioſephus de Bello Iud. lib. 5. c. 5. tradit. Caſaubonus autem putat, reſpici ad oraculum Michae, de Meſſia. Sed ibi tantum de ἡγουμένῳ Iſraelis ſermo, nec quicquam de tempore. Quamquam autem conſtat, Iudaeos exiſtimaſſe, Meſſiam in omnes populos regnaturum: tamen nullum veſtigium in illo loco eſt, unde potuerint Iudaei colligere, quo tempore Meſſias venturus eſſet. Ergo arbitror, totum hoc, unde ortum ſit, ignorari: niſi fortaſſe e Daniele hauſtum eſt, aut e libro alio, in templo repoſito, et inter ſacros, etſi non canonicos, habito, qui interiit. Sane Ioſephus et alia habet, quorum nullum in libris noſtris veſtigium, quae ille tamen ex ſacris Hebraicisque libris ſumta, ſanctiſſime confirmat, non uno loco. Sed de hoc alio loco, ſi deo videbitur. Ceterum hoc oraculum potius pertinuiſſe puto ad Apoſtolos, qui paullo ante ab Oriente profecti terrarum orbem impleverant doctrina ſua, et ita rerum potiti erant, ſtilo prophetico et Hebraico. Ern.

Paruit, praedictum] Sic repoſuimus, poſtulante Latinitatis ratione, et codicis non unius auctoritate. Ern.

runt: caesoque Praeposito, legatum insuper Syriae consularem suppetias ferentem, rapta aquila fugaverunt. Ad hunc motum comprimendum quum exercitu ampliore, et non instrenuo duce, cui tamen tuto tanta res committeretur,

Caesoque Praeposito] I. e. procuratore Iudaeae Gessio Floro, ut recte Casaubonus. Burmannus aliud egit, quum scriberet, non Gessium Florum cum Casaubono, sed Cestium intelligendum, docere Pagium ad a. 66. et Marcilium ad h. l.: nam uterque Florum procuratorem intelligendum tradit, et est res ex elementis historiae veteris notissima. *Caedere* autem h. l. est fugare cum magna militum caede, non *fugare* simpliciter, neque de uno Floro, sed simul exercitu capiendum: quo observato, evanescunt omnes argutatiolae Burmanni de verbo *caedere,* an, apud historicum, pro *fugare* accipi possit. Sane quum *exercitus caesus* apud Livium dicitur, ut 22, 56. *Consulem L. Aemilium exercitumque caesum,* non aliter accipitur, quam, eum cum magna clade ac caede fugatum esse. Nec contra est locus Taciti Hist. 1, 51. *caeso cum omnibus copiis Iulio Vindice:* nam Vindex quidem tum est interfectus in proelio, sed non omnis exercitus. Conf. et Domit. c. 6. Ern. Huius animadversionis partem posteriorem iure improbat Oudendorp. Praepositum *caesum* esse, proprio significatu vocis, dicit S., quamvis unus historicorum.

Legatum insuper etc.] Legatus Syriae est Cestius. Ern.

Rapta aquila fugaverunt] Wormius de corruptis Antiquitatum Hebr. vestigiis apud Tacitum et Martialem lib. 2. ep. 4. interpretatur, non de aquila legionaria, sed de magna aurea aquila, quam, in signum Romani imperii, super maiorem templi portam, suspendi curaverat Herodes: hanc enim, non sine ingenti tumultu, a plebe Iudaica deiectam esse, auctore Iosepho de B. Iud. 1, 33.; quo nihil absurdius vidi. Etenim illa aquila deiecta est paullo ante Herodis M. mortem, neque ad haec tempora trahi potest. Omnino legionaria aquila intelligenda, cuius amissio magnitudinem cladis et effusam fugam indicat. Cestium aliquoties a Iudaeis caesum et fugatum docet Iosephus l. c. lib. 2. c. 18. 19. Ibi potuit etiam aquila amissa esse, etsi Iosephus non commemorat. Ern.

opus eſſet, ipſe potiſſimum delectus eſt: ut et induſtriae expertae, nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis ac nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, atque inter legatos maiore filio aſſumpto, ut primum provinciam attigit, proximas quoque convertit in ſe, correcta ſtatim caſtrorum diſciplina, unoque et altero proelio tam conſtanter inito, ut in oppugnatione caſtelli lapidis ictum genu, ſcutoque ſagittas aliquot exceperit.

Poſt Neronem Galbamque, Othone atque 5
Vitellio de principatu certantibus, in ſpem imperii venit, iam pridem ſibi per haec oſtenta conceptam. In ſuburbano Flaviorum quercus

Et ut induſtriae expertae] Recte hanc lectionem defendit Burmannus codd. auctoritate. Latinae etiam conſuetudinis ratio fert, ut diverſae conſtructionis praedicata eidem ſubiecto addantur. Itaque nihil eſt, quod cogat, *expertae* mutare in *expertus*. Sic ſentit etiam Dukerus ad Liv. 24, 22. Ern.

Cohortibus] Intell. ſociorum. Tironum cauſſa dictum eſto. Ern.

Unoque et altero proelio] Sic pro *uno quoque* dedi e Mſſ. pluribus, in his Lyſer. Sic et Oudendorpius. Ern.

Lapidis ictum genu — exceperit] Lipſius non reperiebat, quomodo hic conciliaret Suetonium cum Ioſepho B. I. lib. 3. c. 7., qui plantam pedis ſagitta leviter vulneratam dicit. Sed eſt de diverſis rebus et temporibus ſermo. Lapidem hunc et ſagittas ſine vulnere excepit, ut contextus facile docet. Saepe, ut alibi diximus, Viri docti ſimilitudine quadam conturbati, res diverſas pro iisdem habent, et fruſtra in iis conciliandis laborant. Ern.

Cap. 5. *Spem — ſibi per haec oſtenta conceptam*] Illud *ſibi* me ſuboffendit, quod Suetonius nusquam huic formae loquendi addit: venique aliquando in ſuſpicionem, pro *conceptam* forte legendum *concitam*, vel *concitatam*, vel *commotam:* nec nunc omnino alienus ſum ab hac opinione, quod haec verba aptiora ſunt formae, *in ſpem venit.* Cete-

antiqua, quae erat Marti ſacra, per tres Veſpaſiae partus, ſingulos repente ramos a frutice dedit, haud dubia ſigna futuri cuiusque ſati: primum, exilem et cito areſactum; ideoque puella nata non perannavit: ſecundum, praevalidum ac prolixum, et qui magnam felicitatem portenderet: tertium vero, inſtar arboris. Quare patrem Sabinum ferunt haruſpicio inſuper confirmatum renuntiaſſe matri, *nepotem ei Caeſarem genitum:* nec illam quidquam aliud, quam cachinnaſſe, mirantem, *quod adhuc ſe mentis compote deliraret iam filius ſuus.* Mox, quum Aedilem eum C. Caeſar, ſuccenſens curam verrendis viis non adhibitam, luto iuſſiſſet oppleri, congeſto per milites in praetextae ſinum, non defuerunt, qui interpretarentur, quandoque proculcatam deſertamque rempublicam civili aliqua perturbatione in tutelam eius,

rum non nego, dativi huic verbo adiuncti exempla, quamquam raro, occurrere. Cicero Act. 1. in Verr. c. 16. *concepta huic ordini macula.* Columella R. R. 9, 14, 12. *agricolis concepta opinio.* Ern. Ne verbum quidem movendum eſſe, oſtendit locus Tib. c. 14. princ. Quatenus *concipimus ſpem,* incerta eſt et dubia; quum *in eam venimus,* iam certa et explorata eſſe incipit.

Quae erat Marti ſacra] Sic cum Burmanno lego, quia τὸ *erat* in omnibus libris eſt: alioqui magis placeret et dignius Suetonio foret, *quercus antiqua, Marti ſacra, per* etc. Ern.

A frutice] Burmanni coniecturam, *a radice,* unice veram puto. *A frutice* corruptum quidem eſſe, ſole clarius eſt. Ern. Vulgatum bene exponit Oudendorpius: arborem ab ea parte, qua frutex e radice circa trunci infima pullularat, novos ramos edediſſe. Burmanni coniectura nec neceſſaria eſt, nec elegans.

Succenſens propter curam etc.] *Propter* abeſt libris ſcriptis pluribus, delevitque Oudendorpius. Mihi *ſuccenſens* h. l. non ſatis placet, lenius opinor, quam pro re. Ern. Mirificum acumen.

Deſertamque] Miror Bur-

ac velut in gremium, deventuram. Prandente eo quondam canis extrarius e trivio manum humanam intulit, menſaeque ſubiecit. Coenante rurſus, bos arator, decuſſo iugo, triclinium irrupit, ac fugatis miniſtris, quaſi repente defeſſus, procidit ad ipſos accumbentis pedes, cervicemque ſummiſit. Arbor quoque cupreſſus in agro avito ſine ulla vi tempeſtatis evulſa radicitus atque proſtrata, inſequenti die viridior ac firmior reſurrexit. At in Achaia ſomniavit, initium ſibi ſuisque felicitatis futurum, ſimul ac dens Neroni exemptus eſſet: evenitque, ut ſequenti die progreſſus in atrium medicus dentem ei oſtenderet tantum quod exemptum. Apud Iudaeam Carmeli dei oraculum conſu-

manno ſuſpectam hanc vocem, quia *luto* non conveniat. Enimvero ea eſt interpretatio τοῦ *proculcatam*, et opponitur *tutelae*, quae eſt interpretatio *gremii*. Ern.

Intulit] . *Triclinio*, quod, quamquam codd. quidam, edd. autem veteres prope omnes habent, recte a Viris doctis ſublatum, etiam hoc nomine locum non habere videtur, quod non probabile eſt, Veſpaſianum, hominem ſeverum et parcum, quum adhuc privatus eſſet, in triclinio prandium cepiſſe. Etenim tales homines prandebant ſeparatim, ciboſque eos, poſt quos manus non lavarentur. Ad id triclinio non opus. Ern. Ineptum vitium, ortum ex corrupto *trivio*.

Progreſſus in atrium medicus] E cubiculo principis Neronis. Referendum ad medicum; intelligendum autem Neronis atrium. Vulgati male hunc locum interpungunt, quaſi *progreſſus* ad Veſpaſianum referretur; quod ſi eſſet, dixiſſet *progreſſo*. Ern.

Carmeli dei oraculum] Iovem alii, Δία Graeci, vocant. Eſt proprie nomen montis, in quo oraculum fuit, et quidem eius, qui eſt inter Palaeſtinam et Syriam. Duo praeterea alii hoc nomine montes in Palaeſtina fuere; e quibus fuit is, in quo Nabal habitavit in Iudaea, non procul Ziphenis et Aſphaltite lacu, confuſus cum noſtro hoc a Lipſio: omninoque ea res non animadverſa plurimum

lentem ita confirmavere ſortes, ut, quidquid cogitaret volveretque animo, quamlibet magnum, id eſſe proventurum pollicerentur. Et unus ex nobilibus captivis Ioſephus, quum coniiceretur in vincula, conſtantiſſime asſeveravit, fore ut ab eodem brevi ſolveretur, verum iam Imperatore. Nuntiabantur et ex Urbe praeſagia, Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut tenſam Iovis optimi maximi e ſacrario in domum Veſpaſiani, et inde in Circum deduceret: ac non multo poſt, comitia ſecundi conſulatus ineunte Galba, ſtatuam Divi Iulii ad Orientem ſponte converſam: acieque Betria-

turbarum dedit, ut facile animadvertent. qui attendere volent. Noſtri inſtituti non eſt, hic animadverſa in ea re peccata doctorum Virorum indicare. Quomodo cultus deus ſit, Tacitus docet Hiſt. 2, 78.; unde ille cultus et oraculum originem duxerit, non dixerim. Ern.

Ita confirmavere] Scil. ad magna ſperanda. Similiter paullo ante, *patrem Sabinum ferunt haruſpicio inſuper confirmatum*, intell. ut praeclaram de filio ſpem haberet. Ern.

Id eſſe proventurum] H. e. bene ſucceſſurum. Similiter hoc verbo uſus eſt Plinius Hiſt. Nat. 18, 3. *honeſtis manibus omnia laetius proveniunt, quoniam et curioſius fiunt.* Ern.

Et inde in Circum deduceret] Sic e codd. reſtituere Viri docti, et ita etiam Lyſer. habet. Sed quia tamen quidam libri *inde* plane non habent, arbitror, lectionem veram eſſe, *et in Circum inde duceret.* Ultima littera verbi *Circum* abſorpſit *in*, ut alibi factum: inde ortum *et in Circum deduceret:* animadverſo mox, *inde* neceſſarium eſſe, poſitum eſt poſt *et. Thenſae duci* proprie dicuntur, non *deduci:* nam et Aug. c. 43., ubi eſt *thenſas deduceret*, ſuſpectum eſt *deduceret.* Ern.

Comitia ſecundi conſulatus] Valde contortae ſunt coniecturae Burmanni de hoc loco emendando, qui medicina non eget. *Comitia inire* dicitur, ut *ſpectacula inire*, et ſimilia. Ceterum, quia Plutarchus tradit in Othone, ſtatuam Caeſaris eam converſam eſſe, quae in inſula Tiberina ſtaret, in-

censi, prius quam committeretur, duas aquilas in conspectu omnium conflixisse; victaque altera, supervenisse tertiam ab solis exortu, ac victricem abegisse.

Nec tamen quidquam ante tentavit, promptissimis atque etiam instantibus suis, quam sollicitatus quorundam et ignotorum et absentium fortuito favore. Moesiaci exercitus bina e tribus legionibus millia, auxilio missa Othoni, postquam ingressis iter nuntiatum est, victum eum, ac vim vitae suae attulisse, nihilo secius Aquileiam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent. Ibi per occasionem ac licen- 6

telligo sollemnia comitiorum, quae dicis caussa in Campo Martio usurpabantur, post creationem in curia factam, de quibus vide Vopiscum in Tacito c. 7. Conf. Domit. c. 10. Haec igitur comitia quum iniret de more Galba, eo ipso tempore statua illa, in conspectu, est conversa. Si de comitiis in curia sermo esset, intelligi deberet statua Caesaris in curia, quod Plutarchus non finit. Quum autem Tiberina illa statua intelligenda sit, quomodo potuit animadverti, eam illo ipso tempore conversam esse, quo Galba ad comitia veniret, si comitia in Senatu habita intelligantur? Neque sic evidens adeo ostentum fuisset. Ceterum etiam legendum necessario, *statuam conversam*, ut habet codex Periz. nonnullaeque edd. vett. pro *statua conversa*. Nam enim praeclare scio, constructiones interdum mutari; cuius generis non unum exemplum est etiam apud nostrum: tamen illa exempla non sunt huic similia. Si ultimo loco poneretur hoc, ferrem: nunc accusativi cum infinitivo praecedunt et sequuntur. Ernst. Verum hoc. Priora autem, si Tacitum Hist. 1, 86. et Plutarchum inspexeris, incertissima videbuntur, et verba Scriptoris graviore aliquo vitio laborare. Ne multa: mihi quidem totum hoc glossemata sapit, *comitia* — *Galba*, et assentior Oudendorpio, qui in formula *intre comitia* usum et certam analogiam desiderat. Ipse coniecit: *Ac non multo post initia sec. consulatus, intereunte Galba.*

tiam omni rapinarum genere grassati, quum timerent, ne sibi reversis reddenda ratio ac subeunda poena esset, consilium inierunt eligendi creandique Imperatoris: *Neque enim deteriores esse, aut Hispaniensi exercitu, qui Galbam, aut praetoriano, qui Othonem, aut Germaniciano, qui Vitellium fecissent.* Propositis itaque nominibus legatorum consularium, quot ubique tunc erant, quum ceteros, alium alia de caussa, improbarent; et quidam e legione tertia, quae sub exitu Neronis translata ex Syria in Moesiam fuerat, Vespasianum laudibus ferrent; assensere cuncti, nomenque eius vexillis omnibus sine mora inscripserunt. Et tunc quidem compressa res est, revocatis ad officium numeris parumper. Ceterum, divulgato facto, Tiberius Alexander, praefectus Aegypti, primus in verba Vespasiani legiones adegit Kalendis Iulii: qui principatus dies in posterum observatus est. Iudaicus deinde exercitus quinto Idus Iulias apud ipsum iuravit. Plurimum

Cap. 6. *Numeris*] Simplicissimum est, interpretari *cohortibus*. Etenim quia non totae legiones, sed tantum bina millia e singulis erant, in cohortes descripti milites fuere de more. Vide Clav. Cic. in v. *numerus*. Ern.

Tiberius Alexander] Iudaeus natione, filius Tib. Alexandri, qui Alabarcha Alexandriae fuerat. Iosephus Antt. Iudd. 20, 5, 2. Is relictis sacris Iudaicis, Eques, ut res docet, Romanus factus, deinde primum procurator Iudaeae, Ioseph. l. c., ac mox praefectus Aegypti. Ern.

Observatus est] Ut ab illo initium imperii Flaviani repeteretur, eoque γενέσια imperii, quinquennalia etc. celebrarentur. Ern.

Quinto Nonas Iulias] Non dubitavimus recipere *Nonas*, quod Torrentio et Lipsio placebat, pro vulgato *Idus*. Etenim V. Nonas rem factam esse, tradit Tacitus Hist. 2, 79. atque pluribus demonstrat Pagius Crit. Baron. ad. a. C. 79., ut

coeptis contulerunt, iactátum exemplar epiſtolae, verae, ſive falſae, defuncti Othonis ad Veſpaſianum, extrema obteſtátione ultionem mandantis, et ut reipublicae ſubveniret, optantis: ſimul rumor disſipatus, deſtinaſſe victorem Vitellium permutare hiberna legionum, et Germanicas transferre in Orientem ad ſecuriorem mollioremque militiam: praeterea ex praeſidibus provinciarum Licinius Mucianus, et e regibus Vologeſus Parthus; ille, depoſita ſimul-

dubitare non liceat. Iam videmus, facile poſſe nobis hoc opponi, Suetonium per errorem poſſe V. Idus poſuiſſe, nec ſine librorum auctoritate recipiendum V. Nonas fuiſſe. Enimvero nullo modo credi poteſt, Suetonium, tam diligentem ſcriptorem, in tali tamque inſigni re, quam facile reperire poſſet, erraſſe. Dedi et *Iulias* pro *Iulii* e Mſ. Medic. cum Oudendorpio. Ern. In *Idus* conſpirant libri omnes, et Suetonii error ſubeſſe poteſt.

Iactatum] Vulgatum per exercitum. *Iactata* eleganter dicuntur, quae in plurimorum manus veniunt. Cicero Muren. c. 12. *vulgata atque in manibus iactata* etc. Paullo poſt Mſſ. quidam *hortantis* pro *optantis*, quod recepit bene Burmannus: nam rei melius convenit. Cur enim tantum *optarit*, et non potius *hortatus ſit?* Ern. Utrumque facere potuit Otho, vel potius utriusque verbi eadem fere vis eſt in tali loco. Sequenda ergo eſt ſpectata fides codicum.

Molioremque militiam] Mihi non dubium eſt, quin legendum ſit *melioremque*, ut non modo edd. Rom. habent, ſed etiam Mſ. Lyſer. et alii. *Molliorem militiam* polliceri militibus offenſionem habiturum fuiſſet, neque aliud poſſet ſignificare, quam *ſecuriorem*. *Meliorem* autem *militiam* pollicendo capere animos poterat. *Melior militia* eſt fructuoſior, quippe quae in provincia locupletiori, quam Germanica erat, ageretur. Oudendorpius defendit *molliorem*, et ad caeli aërisque temperiem refert. Non bene. Noſtram ſententiam plane firmat Tacitus Hiſt. 2, 80., qui habet *opulentam quietamque*. Itaque recipere *melioremque* non dubitavimus. Ern. Hic quoque a vero aberraſſe Erneſtium, facile apparet. Ex feſtinatione

tate, quam in id tempus ex aemulatione non obſcure gerebat, Syriacum promiſit exercitum; hic quadraginta millia ſagittariorum.

7 Suſcepto igitur civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam praemiſſis, interim Alexandriam tranſiit, ut clauſtra Aegypti obtineret. Hic quum de firmitate imperii capturus auſpicium, aedem Serapidis ſummotis omnibus ſolus intraſſet, ac, propitiato multum deo, tandem ſe convertiſſet, verbenas coronasque, et panificia, ut illic asſolet, Baſilides libertus obtuliſſe ei viſus eſt: quem neque admiſſum a

id factum eſſe diceres, niſi tantum operae poſuiſſet in defendendis erroribus.

Cap. 7. *Tandem ſe convertiſſet*] Neque de adorationis ritu capiendum, de quo eſt Vitell. c. 2., ut Lipſio placebat: etenim adoratio iam praeceſſerat, et finita erat, ut recte monuit Burmannus; neque de abitu e templo cum illo ipſo Burmanno, ſed de ritu ominis (ſ. auſpicii) capiundi. Precibus finitis, quum exiſtimaret ſatis ſibi placatum deum, tandem ſe convertit, ad capiendum auſpicium: nam quod converſus primum vel videret, vel audiret, id ominis loco erat futurum. Vide Cic. Div. 1, 46. Acceſſit ſententiae noſtrae Oudendorpius. Ern.

Baſilides libertus obtuliſſe] Valde arriſit Viris doctis opinio Torrentii, vocem *libertus* inſititiam eſſe, quia Tacitus e primoribus Aegypti dicit fuiſſe Hiſt. 4, 82. Burmannus etiam forma ſuſpectum verbum facit, dicendum fuiſſe *libertinum*: nam probabile non eſſe, Veſpaſianum habuiſſe tum libertum e primoribus Aegypti. Ego arbitror, locum eſſe ſanum, intelligendumque Veſpaſiani libertum. Disſenſum ita fateor eſſe inter Tacitum et Suetonium: ſed eſt et aliis locis, quae propterea non ſollicitantur. Suetonii autem narratio melior et vero ſimilior eſt. Moveor autem hac ratione, ut opinor, non levi. Si ille Baſilides fuit e primoribus Aegypti, et iam pridem captus pedibus; ignotus fuit Veſpaſiano, tum primum Aegyptum ingreſſo. Unde ergo norat, ſpeciem ſibi oblatam eſſe illius Baſilidis, quum ſolus templum ingreſſus eſſet, neminemque interrogare poſſet. Debuit ſane

quoquam, et iam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abesse constabat. Ac statim advenere litterae, fusas apud Cremonam Vitellii copias, ipsum in Urbe interemptum nuntiantes. Auctoritas et quasi maiestas quaedam, ut scilicet inopinato et adhuc novo principi deerat: haec quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini, demonstratam a Serapide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Quum vix fides esset, rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet: extremo hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit. Per idem tempus Tegeae in Arcadia, instinctu vaticinantium effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in ijs assimilis Vespasiano imago.

esse hominis species notissimi, quem statim per se agnosceret. Id convenit optime in libertum Vespasiani. Ceterum omen est, primo in nomine hominis: deinde in eo, quod libertus est, cui ipse libertatem dedisset perpetuam; unde exoritur spes, ipsum et reipublicae oppressae perpetuam libertatem daturum: nam hoc boni principes post tyrannidem dicebantur praestare: vide Galb. c. 9. 10.: tertio, in eo, quod pedes hominis, dudum podagrici, firmati, ut ingredi posset. Ern. Neminem movebunt, opinor, hae ratiunculae, praesertim comparato Tac. Hist. 4, 81. princ. Pereleganter, immo vere fortasse, Oudend. coniecit *liberius*. Minus probabile commentum affert Cannegieter de mutata nominum ratione sub princc. p. 70.

Ut scilicet] Mihi placet, ut Torrentio, lectio codd. duorum, qui habebant, *ut solet*. Etenim Suetonius non solet addere *scilicet* τῷ *ut*, neque est elegantis scriptoris. Ern.

Demonstratam a Serapide] Vide Cic. de Divin. 2, 59. et Fabrettum Inscriptt. p. 469. Ern.

8 Talis, tantaque cum fama in Urbem reverſus, acto de Iudaeis triumpho, conſulatus octo veteri addidit. Suscepit et cenſuram: ac per totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemque rempublicam ſtabilire primo, deinde et ornare. Milites, pars victoriae fiducia, pars ignominiae dolore, ad omnem licentiam audaciamque proceſſerant. Sed et provinciae, civitatesque liberae, nec non et regna quaedam tumultuoſius inter ſe agebant. Quare Vitellianorum quidem et exauctoravit plurimos, et coercuit: participibus autem victoriae adeo nihil extra ordinem indulſit, ut etiam legitima praemia non niſi ſero perſolverit. Ac, ne quam occaſionem corrigendi diſciplinam praetermitteret, adoleſcentulum fragrantem unguento, quum ſibi pro impetrata praefectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam graviſſima increpuit, *Maluiſſem allium oboluiſſes:* litterasque revocavit. Claſſiarios vero, qui ab Oſtia et Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes, *conſtitui aliquid ſibi calciarii nomi-*

Cap. 8. *Pars victoriae — pars ignominiae*] Neſcio, quomodo haerere potuerint in his nonnulli, quum ſequentia planiſſime oſtendant, illud ad Veſpaſiani milites, hoc ad Vitellianos pertinere. Ignominia autem non ad notas militares cum Burmanno referenda; etenim his demum affecti poſtea ſunt: ſed ad cladem ab exercitu Veſpaſiani acceptam, quum vincerentur. Vitell. c. 16. *Ignominiam accipere* de iis dici, qui victi ſunt, vel pueri norunt. Ern.

Non niſi ſero perſolverit] *Niſi ſero* abeſt Mſſ. quibusdam et edd. vett. malletque deleri Oudendorpius: ſed ita iniuſte feciſſe videatur Veſpaſianus. Ern.

Litterasque revocavit] Intellige codicillos, (Tib. c. 42.) ſeu diploma, quo praefecturam dederat. Ern.

ne: quaſi parum eſſet, ſine reſponſo abegiſſe, iuſſit poſthaec excalciatos curſitare: et ex eo ita curſitant. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, libertate adempta, item Thraciam, Ciliciam et Commagenen, ditionis regiae usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit. Cappadociae propter asſiduos barbarorum incurſus legiones addidit, conſularemque rectorem impoſuit, pro Equite Romano. Deformis Urbs veteribus incendiis ac ruinis erat: vacuas areas occupare et aedificare, ſi poſſeſſores ceſſarent, cuicumque permiſit. Ipſe reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac ſuo collo quaedam extulit: aerearumque tabularum tria millia, quae ſimul conflagraverant, reſtituenda ſuscepit, undique inveſtigatis exemplaribus, inſtrumentum imperii pulcherrimum ac vetuſtiſſimum: quo continebantur paene ab exordio Urbis Senatus conſulta, plebiſcita de ſocietate et foedere ac privilegio cuicumque conceſſis.

Fecit et nova opera, templum Pacis foro 9
proximum, Divique Claudii in Coelio monte,

Thraciam] Hanc lectionem Eutropii (7, 19.) aetate in libris Suetonii fuiſſe, manifeſtum eſt. Tutiſſimum igitur eſt, eam retinere. Poteſt aliqua pars Thraciae adhuc regem habuiſſe. Suetonium *Trachaeam Ciliciam*, et non potius *aſperam* dixiſſe, quae Turnebi, multis probata, coniectura eſt, vix credo. Ern.

Vetuſtiſſimum conſecit] Suſtulimus *conſecit*, auctoribus plurimis et optimis codd., quibus et Lyſer. adſtipulatur, ſublato etiam, poſt *ſuscepit*, colo. Ita longe melior eſt oratio. Tria illa millia tabularum conflagratarum erant *vetuſtiſſimum imperii inſtrumentum*, non quod ipſe confecit. Qui autem *confecit* ſervare malent, addent *et;* verum non poſt *ſuscepit*, ut Burmannus volebat, ſed poſt

coeptum quidem ab Agrippina, ſed a Nerone prope funditus deſtructum: item Amphitheatrum Urbe media, ut deſtinaſſe compererat Auguſtum. Ampliſſimos ordines, et exhauſtos caede varia, et contaminatos veteri negligentia, purgavit ſupplevitque, recenſo Senatu et Equite: ſummotis indigniſſimis, et honeſtiſſimo quoque Italicorum ac provincialium allecto. Atque, uti notum eſſet, utrumque ordinem non tam libertate inter ſe, quam dignitate differre, de iurgio quodam Senatoris Equitisque Romani ita pronuntiavit: *Non oportere maledici Senatoribus, remaledici civile faſque eſſe.*

10 Litium ſeries ubique maiorem in modum excreverant, manentibus antiquis, intercapedine iurisdictionis, accedentibus novis, ex conditione tumultuque temporum. Sorte elegit, per quos rapta bello reſtituerentur; quique iudicia centumviralia, quibus peragendis vix ſuffectura litigatorum aetas videbatur, extra ordi-

exemplaribus. Sic placuit et Dukero, imitatusque eſt Oudendorpius. Ern.

Cap. 9. *Libertate — quam dignitate*] *Libertas* h. l. ſumitur eo ſenſu, quo Cicero ſaepe *liberos* dixit, hoc eſt, qui iniuriam facientibus, maledicentibus, audent reſpondere paribus verbis et factis, omni metu omiſſo. Epp. ad Div. 12, 28. *liber in ulciſcendo.* Sic etiam ipſam *libertatem* dixit pro Plancio c. 38. *tamenne tu libertatem requires meam?* Nempe ſervis non licet hiſcere contra iniurias dominorum, propter metum: liberis licet. Sic fere c. 13. *amicorum libertas* dicitur. Similiter vero utramque iunxit Livius 7, 33., etſi paullo alio ſenſu, de Valerio Corvo: *factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienae, quam ſuae dignitatis memor.* Ern.

Civile etc.] Convenire iis, qui eiusdem civitatis cives, adeoque quodammodo aequales ſint, ut nemo ſibi aliquid ſumere in alterum debeat, quod non et alteri in ſe liceat. Ern.

nem diiudicarent, redigerentque ad breviſſimum numerum.

11 Libido atque luxuria, coercente nullo, invaluerat. Auctor Senatui fuit decernendi, ut, quae ſe alieno ſervo iunxiſſet, ancilla haberetur; neve filiorum familiarum feneratoribus exigendi crediti ius umquam eſſet; hoc eſt, ne poſt patrum quidem mortem. Ceteris in rebus ſtatim ab initio principatus usque ad exitum, civilis et clemens.

12 Mediocritatem priſtinam neque disſimulavit umquam, ac frequenter etiam prae ſe tulit. Quin et conantes quosdam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, comitemque Herculis, cuius monumentum exſtat via Salaria, referre, irriſit ultro. Adeoque nihil ornamentorum extrinſecus cupide appetivit, ut triumphi die, fatigatus tarditate et taedio pompae, non reticuerit, *merito ſe plecti, qui triumphum, quaſi aut debitum maioribus ſuis, aut ſperatum umquam ſibi, tam inepte ſenex concupiſſet.* Ac ne tribuniciam quidem poteſta-

Cap. 10. *Diiudicarent*] Mſ. Lyſer. *iudicarent. Iudicium iudicare* pro exercere, vel adminiſtrare dicitur, ut apud Ciceronem Verr. 1, 53. *iudicium vincere* de litigatore, pro, in iudicio vincere. Ceterum *iudicia centumviralia* poſita ſunt pro cauſſis centumviralibus. Ern.

Cap. 11. *Auctor*] Has duas Veſpaſiani conſtitutiones Claudio deberi, disputant ICti. Sed vide, quae diximus in ſimili re ad Ner. c. 7. Ern. Conf. ſaltem Lipſ. ad Tac. Ann. 11, 13.

Cap. 12. *Neque*] Mſ. Lyſer. *non.* Librarius non concoquebat, poſt *neque* poni *ac.* Liv. 7, 2. *ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, et ſtipendia faciant.* Sed ſimilia loca dudum obſervavere Viri docti, et frequentia ſatis ſunt apud noſtrum. Ern.

tem, et Patris patriae appellationem niſi ſero recepit. Nam conſuetudinem ſcrutandi ſalutantes, manente adhuc bello civili, omiſerat.

13 Amicorum libertatem, cauſſidicorum figuras, ac philoſophorum contumaciam leniſſime tulit. Licinium Mucianum notae impudicitiae, ſed meritorum fiducia minus ſui reverentem, numquam niſi clam, et hactenus retaxare ſuſtinuit, ut apud communem aliquem amicum querens, adderet clauſulae: *Ego tamen vir ſum.* Salvium Liberalem in defenſione divitis rei auſum dicere, *Quid ad Caeſarem, ſi Hipparchus ſeſtertiûm millies habet?* et ipſe laudavit. Demetrium Cynicum, in itinere obvium ſibi poſt damnationem, ac neque asſurgere, ne-

Niſi ſero recepit] Etſi utraque ei una cum imperio decreta eſt a Senatu, ut e numis et inſcriptionibus patet; in quibus ſtatim ab imperio ſuſcepto utraque occurrit. Sed ipſe nomen utrumque non niſi ſero uſurpavit. Vide Tillemont Hiſtoire des Empereurs in Veſpaſ. not. 8. ERN.

Cap. 13. *Cauſſidicorum figuras*] Scommata in Caeſarem tecta et involuta, de quo genere egit Quintilianus 9, 2. Similiter in Domit. c. 10. *in hiſtoria figurae* ſunt loci ita dicti, ut appareret, tecte peti Domitianum. Conf. infra Vit. Iuvenal. ERN.

Leniſſime tulit] *Leviſſime* etiam eſt in Mſ. Lyſer.; ſed *leniſſime* unice verum eſt. ERN. Alii, ne quid verum quidem ſit, ſciunt; nedum, quid unice. Quum dicatur *graviter ferre*, probabile eſt *leviter;* at dicitur etiam *acerbe ferre*, cui oppoſitum eſt τὸ *leniter.*

Adderet clauſulae] Dukerus corrigit *clauſulam*, probante Oudendorpio. Rectiſſime. ERN.

Poſt damnationem] Hoc nos quoque alteri *poſt dominationem* praetulimus: non, quod Suetonium ita dicturum non fuiſſe putemus, ut Burmanno videbatur; etenim et aliis locis *dominationem* honeſte dixit, de more illius ſeculi, ut Caeſ. c. 76. *ut abuſus dominatione exiſtimetur:* ſed quod dicturus erat *in dominatione* ſ. *dominatione ſuſce-*

que ſalutare ſe dignantem, oblatrantem etiam neſcio quid, ſatis habuit *canem* appellare.

Offenſarum inimicitiarumque minime memor exſecutorve, Vitellii hoſtis ſui filiam ſplendidiſſime maritavit, dotavitque etiam et inſtruxit. Trepidum eum interdicta aula ſub Nerone, quaerentemque, quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio admiſſionis ſimul expellens, *abire Morboniam* iuſſerat. In hunc poſtea deprecantem haud ultra verba excanduit, et quidem totidem fere, atque eadem. Nam, ut ſuſpicione aliqua vel metu ad perniciem cuiusquam compelleretur, tantum afuit, ut, monentibus amicis cavendum eſſe Metium Pompoſianum, quod vulgo crederetur geneſin habere imperatoriam, inſuper Conſulem fecerit, ſpondens, quandoque beneficii memorem futurum. 14

Non temere quis punitus inſons reperietur, niſi abſente eo et ignaro, aut certe invito atque decepto. Helvidio Priſco, qui et reverſum ſe ex Syria ſolus, privato nomine Veſpaſia- 15

pta, non *poſt dominationem*. Ern.

Cap. 14. *Dotavitque etiam et inſtruxit*] *Que*, quod a Memm. aliisque codd. abeſſe notavit Burmannus, in Lyſer. quoque non eſt. Sed et alibi haec forma occurrit. *Inſtruxit* refer ad ſupellectilem et mundum muliebrem, praeter dotem, datum. Ern.

Morboniam] Non eſt tanti, de huius loci lectione quaerere. Tantum dicam, Gronovianum et Marcilianum, *Macariam*, ut ſit a proverbio Graecorum εἰς Μακαρίαν, quod eſt perniciem optantis, idemque quod εἰς κόρακας (vide Ariſtophan. Equit. v. 1148.) mihi hoc nomine dubium videri, quod Dio, Graece prolatum, ſervaturus haud dubie erat. Atqui eius Epitomator habet εἰς κόρακας. Ern.

Cap. 15. *Privato nomine* etc.] Expreſſimus hunc locum ad exemplar Burmanni. Cete-

num ſalutaverat, et in praetura omnibus edictis ſine honore ac mentione ulla transmiſerat, non ante ſuccenſuit, quam altercationibus inſolentiſſimis paene in ordinem redactus. Hunc quoque, quamvis relegatum primo, deinde et interfici iuſſum, magni aeſtimavit ſervare quoquo modo, miſſis qui percuſſores revocarent: et ſervaſſet, niſi iam periſſe falſo renuntiatum eſſet. Ceterum neque caede cuiusquam umquam laetatus, iuſtis ſuppliciis illacrimavit etiam et ingemuit.

16 Sola eſt, in qua merito culpetur, pecuniae cupiditas. Non enim contentus, omiſſa ſub Galba vectigalia revocaſſe, nova et gravia addidiſſe, auxiſſe tributa provinciis, nonnullis et duplicaſſe: negotiationes quoque, vel privato pudendas, propalam exercuit, coemendo quaedam tantum, ut pluris poſtea distraheret. Ne candidatis quidem honores, reisve, tam innoxiis, quam nocentibus, abſolutiones venditare cunctatus eſt. Creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo *pro ſpongiis* dicebatur *uti*, quod quaſi

rum quod ille laborare hunc locum putat ex eo, quod Veſpaſiani nomen etiam Imperator retinuerit: id nihili eſt. *Caeſarem* debebat appellare vel *Imperatorem;* haec tum erant nomina imperatoria: cetera oblitterata, ſaltem in allocutionibus non uſurpata, ut docent orationes et epiſtolae veterum. Sic et explicat Dukerus, probatque Oudendorpius. Ern. Conf. Cannegieter. Diſſ. ad Avian. c. 5.

Cap. 16. *Omiſſa ſub Galba vectigalia*] Intell. quae deſiſſent exigi ſub Galba, adeoque ſublata eſſent. Sic *omitti vectigalia* dicuntur apud Tacitum Ann. 13, 50. Ern.

et ſiccos madefaceret, et exprimeret humentes. Quidam natura cupidiſſimum tradunt, idque exprobratum ei a ſene bubulco, qui, negata ſibi gratuita libertate, quam imperium adeptum ſuppliciter orabat, proclamaverit, *Vulpem pilum mutare, non mores.* Sunt contra, qui opinentur, ad manubias et rapinas neceſſitate compulſum, ſumma aerarii fiſcique inopia: de qua teſtificatus ſit initio ſtatim principatus, profeſſus, *quadringenties millies opus eſſe, ut respublica ſtare poſſet.* Quod et veriſimilius videtur, quando et male partis optime uſus eſt.

In omne hominum genus liberaliſſimus, 17
explevit cenſum Senatorum: Conſulares inopes quingenis ſestertiis annuis ſustentavit: plurimas per totum orbem civitates, terrae motu aut incendio afflictas, reſtituit in melius.

Ingenia et artes vel maxime fovit: primus 18
e fiſco Latinis Graecisque Rhetoribus annua centena conſtituit: praeſtantes poetas, nec non

Gratuita libertate] Sive, pro qua nihil de peculio daretur, ſive, pro qua vectigal viceſimae non ſolveretur. Sed illud tantum locum habet, ſi Veſpaſiani ſervus fuit; quod non videtur. Itaque alterum magis placet h. l. Ern.

Quadringenties millies] Veriſſima eſt profecto Budaei ſententia legentis *quadragies,* probantibus Lipſio aliisque: nam et quadragies millies efficit CXXXIII milliones uncialium amplius. Tiberius tot annis, tanta avaritia, ſepties et vicies millies tantum potuit corradere. Calig. c. 37. Ern.

Cap 17. *In omne hominum* etc.] Perizon. putat, haec male disiuncta eſſe a ſuperioribus, et, mutato capitis initio, ſic ſcribendum: *Quod et veri — uſus eſt, in omne — liberaliſſimus. Explevit* etc.

Cap. 18. *Annua centena*] Efficiunt noſtra moneta tria millia uncialium cum trecentis amplius. Ern.

et artifices, Coae Veneris, item Colossi refectorem, insigni congiario magnaque mercede donavit: mechanico quoque, grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, praemium pro commento non mediocre obtulit, operam remisit, praefatus, *Sineret se plebeculam pascere.*

19 Ludis, per quos scena Marcelliani Theatri restituta dedicabatur, vetera quoque acroamata revocaverat. Apollinari tragoedo quadringenta: Terpno, Diodoroque citharoedis, ducena: nonnullis centena: quibus minimum, quadragena sestertia super plurimas coronas aureas dedit. Sed et convivabatur assidue, ac saepius recta et dapsile, ut macellarios adiuvaret. Dabat sicut Saturnalibus viris apophoreta, ita per Kalendas Martias feminis: et tamen ne sic quidem pristinae cupiditatis infamia caruit.

Coae Veneris] Hanc lectionem a Graevio e Memmiano restitutam, et I. F. Gronovio mirifice probatam, recepi: est enim certissima. Lipsii *artifices scenae* non sunt huius loci. De iis dixisset capite sequenti. ubi de tragoedis et citharoedis loquitur. Tum, vere Graevius vidit, τὸ *item* tale quid desiderare: non enim refertur ad *refectorem;* nam et is artifex est: sed ad *colossum.* De *colosso* vide Ner. c. 31. Ern. Memm. habuit *coeveneris* seu *coevenerit;* unde alii fecere *coemit,* quod et Oudend. servavit, circumspecto iudicio. Coniecturam, sive Graevii, sive Perizonii, quam palmariam vocare solebat summus Gronovius, valde probabilem esse, quis neget? nec tamen omnes habere videtur numeros veritatis.

Cap. 19. *Quadringenta*] Hoc Latinitatis legitima ratio postulat, non *quadringena.* Atque id habere etiam codd. suos et vett. edd., testatur Burmannus. Mox *ducena* rectum est, quia de duobus sermo. Librarii prius illud huic conformandum putarunt. Ern.

Recta et dapsili] Bene *recta* receptum e Mf. Memm. pro *recte.* Sed non bene a Iac. Gronovio *ac dapsili,* quod

Alexandrini *Cybioſacten* eum vocare perſeveraverunt, cognomine unius e regibus ſuis turpiſſimarum ſordium. Sed et in funere Favor archimimus perſonam eius ferens, imitansque, ut eſt mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, *quanti funus et pompa conſtaret?* ut audiit, *ſeſtertio centies*, exclamavit, *Centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim proiicerent.*

Statura fuit quadrata, compactis firmisque 20
membris, vultu veluti nitentis. De quo quidam urbanorum non infacete: ſiquidem petenti, *ut et in ſe aliquid diceret: Dicam*, inquit,

et nos ante ſecuti ſumus. *Dapſile* eſt adverbium, ut recte Perizonius ad Sanctium 2, 7, 6. Sic et Oudendorpius. Ern.

Cybioſacten] Qui ſalſamenta componit et vendit. Rex Aegypti hoc nomine appellatus fuit, quem Ptolemaei Auletae filia maxima, patre expulſo, arceſſivit in matrimonium, mox ob ſordes expulit. Vide Caſaubonum ad Strabonem lib. 17. p. 796. Ern.

Centum ſibi ſeſtertia etc.] Hoc eſt, vel centeſimam illius ſummae partem. Gronovius volebat *centies ſeſtertiûm* reponi, quia ſic praecedit. Sed mihi videtur hoc magis exprimi magnitudo avaritiae, ſi, vel parva ſumma accepta, in Tiberim maluit proiici, quam funerari honeſte. Atque hoc etiam Graevio placebat. Tum non arbitror, repetiturum fuiſſe numerum, ſi eundem dicere voluiſſet, ſed ſimpliciter *ſibi darent* etc. Ern.

Cap. 20. *Statura quadrata*] Eſt et iuſtae longitudinis et amplitudinis, inter longitudinem et brevitatem, item pinguedinem et tenuitatem intermedia, adeoque ad quadratam figuram proxime accedens. Sic Graeci vocant ῥῖνα τετράγωνον, ut Philoſtratus in Heroicis, in Palamede et Proteſilao. Sic in Vit. Apoll. 8, 42. ῥῖνα τετραγώνως ἔχοντα vocat; isque eſt in laude. Ern.

Siquidem] Suſpecta eſt haec vox Burmanno. Malim certe et ipſe abeſſe. Sed ſi ſic interpungitur locus, ut nos fecimus, ferri poteſt. Ac videor mihi ſimilia loca apud optimos ſcriptores legiſſe. Burmanni coniectura, *quidem* ortum eſſe e praecedente *quidam*, et e *ſi*

quum ventrem exonerare desieris. Valetudine prosperrima usus est; quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces ceteraque membra sibimet ad numerum in sphaeristerio defricaret, inediamque unius diei per singulos menses interponeret.

21 Ordinem vitae fere hunc tenuit. In principatu maturius semper ac de nocte evigilabat: dein perlectis epistolis, officiorumque omnium breviariis, amicos admittebat: ac dum salutabatur, et calciabat ipse sese, et amiciebat: postque decisa, quaecumque obvenissent, nego-

faciendum *ei,* non placet. Non est Suetonianum *ei petenti.* Ern.

Cap. 21. *Evigilabat*] Miror, Burmannum hoc recepisse, quod nec scripti nec editi, praeter Casaub. et Graev. edd., habent, contra illam suam vocem: sed codices sunt audiendi, quum alibi neget etiam unius et alterius codicis auctoritate standum. Ceterum recte eum fecisse arbitror. Neque vero hoc me movet, quod ille ait, *vigilare* dici, qui somnum non admittat prima nocte, sed vigil maneat: id quod falsissimum esse, permulta exempla docent, neque debebat tali viro excidere. Vigiliae Demosthenis apud Ciceronem Tusc. 4, 9. nonne sunt antelucanae lucubrationes post somnum brevissimum? Porro maiorum vigiliarum opus in Paradox. prooem. itidem de lucubrationibus talibus ante lucem capiendum. *Vigilant* omnes, qui somni et noctis tempore non dormiunt, sive corporis vitio, sive ut agant aliquid: velut milites, quibus tertia vel quarta vigilia obeunda est. Sed cur *evigilabat* hic probem, et necessarium putem, caussa haec est: quod *vigilabat* significaret non modo ipsum vigilandi actum, sed etiam res, per vigiliam actas, quarum caussa vigilaretur; sed de iis sequitur deinde perlegebat epistolas etc. Hoc igitur *deinde* facit, ut *evigilabat* legendum sit; alioqui nullus idoneus sensus existeret. Probavit hanc nostram rationem Oudendorpius. Ern. At ex iis, quae sequuntur, non potest prioris verbi vis declarari, ut apud malos scriptores. Neque h. l. *evigilare* sic dictum est, ut *rem evigilare, opus,* v. c. librum quem *elu-*

tia, geſtationi, et inde quieti vacabat, accubante aliqua pallacarum, quas in defunctae locum Caenidis plurimas conſtituerat: a ſecreto in balineum tricliniumque transibat. Nec ullo tempore facilior, aut indulgentior traditur: eaque momenta domeſtici ad aliquid petendum magno opere captabant.

22 Et ſuper coenam autem, et ſemper alias, communiſſimus, multa ioco transigebat. Erat enim dicacitatis plurimae, et ſic ſcurrilis ac ſordidae, ut ne praetextatis quidem verbis abstineret. Et tamen nonnulla eius facetiſſima exſtant; in quibus et haec. Meſtrium Florum Conſularem, admonitus ab eo, *plauſtra* potius, quam *ploſtra* dicenda, poſtero die *Flaurum* ſalutavit. Expugnatus autem a quadam, quaſi amore ſui deperiret, quum perductae pro concubitu ſestertia quadraginta donaſſet, admonente dispenſatore, quemadmodum ſummam rationibus vellet inferri, *Veſpaſiano*, inquit, *adamato*.

cubramus. Simpliciter dicitur ut *expergiſci*, neutraliter. Cf. Aug. c. 78. f.

Cap. 22. *Super c. autem, et ſuper aleas*] Vulgatum hoc ipſe Graevius tenuit, recte improbante Oudend. Nam nihili eſt pluralis *aleae;* quaſi dixeris *ſuper coenas*: neque ea, quae ſequuntur, ad unum ludum et coenam pertinent. *Semper alias* legitur et Tib. c. 18. At *communiſſimus* minime certum eſt, et ex paucis libris editum; nec displicet *comiſſimus*, olim vulgatum.

Perductae] Sic omnes ſcripti atque editi, itemque margo libri, qui fuit apud Chriſtium, niſi quod quidam, ut Lyſer., vitioſe *productae*. Burmannus iterum, praeter morem ſuum, recepit. de Caſauboni coniectura, *perducta*. Eam coniecturam refutavimus et vulgatam defendimus in Excurſu. Mox *inferri*, quod e libris ſcr., etiam Lyſer., recepimus, eſt in eodem illo margine. Ern.

23 Utebatur et versibus Graecis tempestive satis, et de quodam procerae staturae, improbiusque nato:

Μακρὰ βιβὰς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Et de Cerulo liberto, qui dives admodum ob

Cap. 23. *Improbiusque nato*] Obscoeno sensu de homine bene peculiato accipit I. F. Gronovius de Pecun. vet. 4, 1., eumque sensum hic adeo necessarium putarunt Viri docti, ut quidam etiam legerent *vasato*, in his Burmannus Sec. Anthol. T. II. p. 240., vel *mutoniato*. Sane concedo, τὸ ἔγχος δολιχόσκιον in versu Homerico tale quid innuere. Verum quae necessitas est, propterea improbius natum intelligi valde vasatum? Si hic sensus est horum verborum, Vespasianus scire debuit, eum hominem bene peculiatum esse. Id vero curet Imperator tam bonus, tam publicae rei curiosus, quis bene vasatus sit? idque ei narret aliquis? Ridiculum sane est, hoc existimare, eum hominem illo nomine notum fuisse Imperatori. Suspicio illa fuit Imperatoris iocantis, quum hominem magnum validique corporis videret strenue ingredi, ideoque ad illum hunc versum traduxit. Non dicam plura; absurditas rei per se lucet. *Improbius natus* est homo praeter modum magni et robusti corporis. Addit hoc Suetonius, quia sola proceritas non sufficere creditur ad hanc suspicionem. Berneggerus suspicabatur *nasato*, e quo per compendium scripturae fieri potuerit *nato*. Id notores talium rerum non absurdum dicent: si improbior nasus talem suspicionem praebere potest. Sed *nasutum* potius velim ex Horat. Sat. 1, 2. quam *nasutum*. Ceterum falsum est illud quoque, quod Gronovius dicit, esse hoc exemplum praetextatorum verborum in iocando a Vespasiano usurpatorum. Etenim nullum hic praetextatum verbum, sed versuum in loco usurpatorum potius exemplum est. Ern. · Post tot verba tamen certissima est Gronov. sententia. *Improbum* quid sit, vel Lexica docent; *natus* autem alludit ad obscoenam significationem vocis *natura*. Ceterum apud principes, etiam bonos, militares ioci et fabulae super coenam vigent hodie quoque in tanta morum sive orationis pudicitia: alia res est apud gravem et eruditum hominem, praesertim theologum.

Liberto] Si ita Suetonius scripsit, intelligendus Vespasia-

ſubterſugiendum quandoque ius fiſci, ingenuum ſe et Lachetem mutato nomine coeperat ferre, ὦ Λάχης, Λάχης, ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ Κήρυλος. Maxime tamen dicacitatem affectabat in deformibus lucris; ut invidiam aliqua cavillatione dilueret, transferretque ad ſales.

ni ipſius libertus; alioqui dixiſſet *libertino*. Atque ita placere video Viris doctis. Sed non diſſimulabo, mihi legendum videri *libertino*, his de cauſſis. Primo non eſt credibile, libertum Veſpaſiani potuiſſe tam impudentem eſſe, ut ſe ingenuum ferret, et nomen mutaret, quum Caeſarum libertos omnes noſſent, maximeque Caeſares ipſi, neque ullo modo talis homo ſperare poſſet, latere poſſe fraudem ſuam. Porro melius opponuntur *libertinus* et *ingenuus*. Denique non dixiſſet *ob effugiendum ius fiſci*, ſed *patroni* vel *patronatus*. Etenim quod dicunt, cavere voluiſſe illum hominem, ne cogeretur patrono aliquid relinquere, id plane alienum eſt. Etenim id cepiſſet Veſpaſianus, qua patronus, non qua Imperator. Itaque nullum ibi ius fiſci fuiſſet: nam etſi ad fiſcum ea pecunia rediſſet, quia patronus Imperator, tamen fiſcus eam non, qua fiſcus, cepiſſet. In Ner. c. 27. non ſcriptum eſt, *ut pro ſemiſſe dextans cogeretur fiſco*, ſed *ei*, Neroni, i. e. patrono vel quaſi patrono. Atque ea res facit, ut putem, tum conſtitutum aliquid novi de hereditatibus libertinorum fuiſſe, per quod inde aliquid fiſco inferri debuerit, quod quale fuerit, nos latet. Suetonius quidem ipſe c. 16. dicit nova et gravia vectigalia a Veſpaſiano conſtituta fuiſſe. Ern.

Ferre] Recepimus hanc lectionem unice veram, quam codd. plures et edd. vett. habent, probatque Burmannus, neque tamen recipit. *Efferre* quidem ſcio eſſe *pronuntiare*: ſed hoc locum tantum haberet, ſi nomen ſuum aliter, quam alii, pronuntiaſſet, verum ſimpliciter, pro *vocare* et *nominare*, numquam *efferre* dicitur, ſed *ferre*. Ern.

Κήρυλος] Vidit Caſaubonus eſſe verſum Menandri (ap. Stobaeum tit. 106. in Collect. Clerici p. 248.) Ergo reſcripſi, ut ibi eſt, praeſertim adiuvante Memmiano et Urſini codice. Ern.

Maxime] *Et* delevi auctoritate Memm. pluriumque aliorum codd.: eſt enim h. l. ineptiſſime inculcatum. Ern.

Quendam e caris miniſtris, diſpenſationem cuidam, quaſi fratri, petentem quum distuliſſet, ipſum candidatum ad ſe vocavit; exactaque pecunia, quantam is cum ſuffragatore ſuo pepigerat, ſine mora ordinavit. Interpellanti mox miniſtro, *Alium tibi, ait, quaere fratrem: hic, quem tuum putas, meus eſt.* Mulionem in itinere quodam ſuſpicatus ad calciandas mulas deſiluiſſe, ut adeunti litigatori ſpatium moramque praeberet, interrogavit, *Quanti*

Distuliſſet] Cum accuſativo perſonae etiam dixit Cic. ad Div. 5, 12. *ſin autem differs me in aliud tempus:* item Liv. 7, 14. *differri non poſſe adeo concitatos animos.* Noſter autem pluribus aliis locis. Ern.

Ordinavit] I. e. diſpenſatorem fecit. Sequioris aevi Latinitatem redolere videtur Burmanno. Sed rationem huius dicendi formae planius expediemus. Poſtquam comitia verbo ad Senatum, re ad Caeſares translata ſunt, coeptum eſt dici: *Conſules,* omninoque *magiſtratus ordinare,* item, *provincias;* cuius generis exempla crebro apud noſtrum aliosque occurrunt. Cauſſa fuit haec, quod creatio magiſtratuum eſt pars adminiſtrandae reipublicae, *res publica* autem dicitur *ordinari.* Horat. Carm. 2, 1. *mox, ubi publicas res ordinaris.* Poſt, quum inprimis etiam *candidati* nomen, quod olim magiſtratibus urbanis proprium fuerat, ad omnes tranſiiſſet, qui aliquid publici muneris peterent, ut ſupra Galba c. 14. de Praefecto praetorio, et hoc ipſo loco, de diſpenſationis petitore, dicitur, etiam verbum ordinandi dictum eſt de omni genere hominum, quibus munus publicum daretur, eiusdemque adeo aetatis eſt *candidatus diſpenſationis* et *ordinare diſpenſatorem.* Sic Aug. c. 46. *equeſtrem militiam petentes ordinabat.* Dictumque eſt omnino *ordinare* pro creare, eligere, χειροτονεῖν. Ern. Non ſimpliciter pro *creare,* ut docet Oudend., ſed locutione deſumpta a militari re, ubi milites gradu ornati vel centuriones facti *ordinari* dicuntur, ut ap. Liv. 29, 1. Ergo eſt: locum ſeu ordinem ei dedit inter diſpenſatores. Sic et *ordinatio* eſt Domit. c. 4.

Interpellanti] Dictum pro appellanti de re, in qua dilatus erat, aut roganti adeo. Tib.

calciasset? pactusque est lucri partem. Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinae vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans, *num odore offenderetur*, et illo negante, *Atqui*, inquit, *e lotio est.* Nuntiantes legatos, *decretam ei publice non mediocris summae statuam colossseam*, iussit vel continuo ponere, cavam manum ostentans, et paratam basin dicens. Ac ne in metu quidem ac periculo mortis extremo abstinuit iocis. Nam quum inter cetera prodigia, Mausoleum [Caesarum] derepente patuisset, et stella crinita in caelo apparuisset: alterum ad Iuliam Calvinam e gente Augusti pertinere dicebat; alterum ad Parthorum regem, qui capillatus esset. Prima quoque morbi accessione, *Vae*, inquit, *puto*, *deus fio.*

c. 75. *nemo exstabat, qui adiri, interpellarique posset.* Ern.

Prima pensione] Publicani vectigalis s. redemtores fuere, qui per diversas pensiones solverent summam, qua vectigal illud redemissent. Ern.

Iussit vel continuo ponere] Recte sic Burmannus e codd. melioribus. Oudendorpius vulgatum *ponerent* servavit, quod *iubere* etiam sic firmatur: at non apud meliores auctores, nec apud Suetonium. Ern. Aliter supra iudicavit ad Tib. c. 22. Recte: cf. Intpp. Liv. 25, 21: 32, 16. Et convenit structura verbi *monere*, ut Tib. c. 50. f. Immo *ponere* in nullo cod. legitur. Itaque vitium prudenter reliquit Oudendorp. quaerens illud in alia potius parte, et coni. *nuntiante legato*. Utcumque est, ἀνακόλουθον hic latere certum videtur.

Morbi accessione] Proprium medicorum verbum de paroxysmo febrili; et ipse Suetonius mox *motiunculas* commemorat. Vide Cuperum in Obss. 2, 15. Ern.

Vae, puto, deus fio] Repraesentavi lectionem optimi Memm., quam et Hulf. habet. Copesiani *ve* vitiose scriptum pro *vae*: nam haec diphthongus centies ita a librariis mutata. Vossiani *ure* itidem ex *vae* factum videtur. Atque est sane non invenuste dictum.

24 Consulatu suo nono tentatus in Campania motiunculis levibus, protinusque Urbe repetita, Cutilias ac Reatina rura, ubi aestivare quotannis solebat, petiit. Hic, quum super urgentem valetudinem creberrimo frigidae aquae usu etiam intestina vitiasset, nec eo minus muneribus imperatoriis ex consuetudine fungeretur, ut etiam legationes audiret cubans, alvo repente usque ad defectionem soluta, *Imperatorem*, ait, *stantem mori oportere.* Dumque consurgit, ac nititur, inter manus sublevantium exstinctus est IX. Kalendas Iul., annum gerens aetatis sexagesimum ac nonum, superque mensem, ac diem septimum.

25 Convenit inter omnes, tam certum eum de sua suorumque genitura semper fuisse, ut post assiduas in se coniurationes ausus sit affirmare Senatui, *aut filios sibi successuros, aut neminem.* Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram in media parte vestibuli Pala-

Non modo iocus est in eo, quod, pro *morior*, dixit, *deus fio*, sed etiam acumen in eo, quod dolentis voce utitur in re, quae, si proprie diceretur, felicitas esset. Ceterum tamen τὸ *puto* subfrigidum est: verum vulgatum *ut puto* multo frigidius. Burmanni *at puto* nullo modo placet. In loco Ovidii Am. 3, 7., quem affert,

At, puto, non votis saepe petita meis,

eo sensu dicitur τὸ *at puto*, qui ab hoc alienissimus est. Conf. Metam. 2, 566. Xiphilinus simpliciter ait, dixisse, θεὸς ἤδη γενήσομαι. Ern.

Cap. 24. *Consulatu suo nono*] *Suo* delendum puto. Nec solet ab elegantibus scriptoribus addi, ubi sponte intelligitur; nec in tirone feram. Ern. Mirifice errat Vir optimus. Conf. Octav. c. 100. fin. et Domit. c. 5.

Annum gerens] Codd. plures ac meliores habent *agens*; idque praetuli minus Latino *gerens*, quod non raro ab indoctis librariis substitutum est illi. Vide Drakenborchium ad Liv.

tinae domus positam examine aequo; quum in altera lance Claudius et Nero starent, in altera ipse ac filii. Nec res fefellit: quando totidem annis, parique temporis spatio utrique imperaverunt.

22, 28. Apud Livium 29, 23. in Ms. Cantabr. pro *hiemem egissent* est *gessissent*, ubi vide eundem Drakenb. ERN. Reposui rursus vulgatum, quod et alibi ab ipsis scriptoribus commutatur cum altero, etsi rarius, et vi paullo diversa.

SUETONII
LIBER OCTAVUS.

T. FLAVIUS VESPASIANUS.

1 Titus, cognomine paterno, amor ac deliciae generis humani, (tantum illi ad promerendam omnium voluntatem, vel ingenii, vel artis, vel fortunae ſuperfuit, et quod difficillimum eſt, in imperio, quando privatus, atque etiam ſub patre principe, ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit:) natus eſt III. Kalendas Ian. inſigni anno Caiana nece, prope Septizonium,

Cap. 1. *Cognomine paterno.*] Intell. qui cognomen cum patre commune haberet, et Veſpaſianus diceretur, quum frater a matre ſumſiſſet. Non poſuiſſem hoc, niſi vidiſſem, quosdam Viros doctos male intellexiſſe. Ern.

Superfuit] Burmannus reprehendit eos, qui *adfuit* interpretantur. Ipſe vult eſſe: prae reliquis praecipuum; et abundans, ac quaſi ſuperfluum habuit. Dicitur ſane *ſupereſſe* pro abundare: ſed ubi additur adverbium, aut adiectivum copiae, ut hic; et, quum apud Plinium dicitur *large ſupereſſe*, non male explicatur per *eſſe*. Vide ad Aug. c. 56. Ern. Burmannum recte iudicaſſe, facile quisque videt. De verbo conf. notum locum Gell. 1, 22.

Prope Septizonium] Aedificium e ſeptem molibus, quarum alia alii impoſita eſſet, conſurgens. Suetonii tempore unum erat: poſt Severus aliud aedificavit, ut ſepulcrum eſſet ſibi ac ſuis. De Septizonio optime egit Scaliger ad Euſebium p. 229. fatente Salmaſio ad Script. Hiſt. Aug. p. 641. Conf. Caſaub. ibid. p. 650. Va-

ſordidis aedibus, cubiculo vero perparvo et obſcuro: nam manet adhuc, et oſtenditur.

Educatus in aula cum Britannico ſimul; ac 2
paribus diſciplinis et apud eosdem magiſtros inſtitutus. Quo quidem tempore, aiunt, Metopoſcopum a Narciſſo, Claudii liberto, adhibitum, ut Britannicum inſpiceret, conſtantiſſime affirmaſſe: illum quidem nullo modo, ceterum Titum, qui tunc prope adſtabat, utique imperaturum. Erant autem adeo familiares, ut de potione, qua Britannicus hauſta periit, Titus quoque iuxta cubans guſtaſſe credatur, gravique morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox memor, ſtatuam ei auream in Palatio poſuit, et alteram ex ebore equeſtrem, quae circenſi pompa hodieque praeſertur, dedicavit, proſecutusque eſt.

leſ. ad Ammian. 15, 7., qui et ipſe, ut Scaliger, duplex Septizonium facit, vetus, de quo hic ſermo, et novum, Severi. Ern.

Sordidis aedibus] Tenuiter, nec pro dignitate aedificatis et cultis. Ern.

Cap. 2. *Iuxta cubans*] Viri doctiſſimi reprehendunt Suetonium, quod *cubantem* faciat Titum iuxta Britannicum, quum Tacitus Ann. 13, 16. tradat, ſediſſe utrumque. Sed ego potius erraſſe credo Tacitum. Quis credat, Neronem ea diſciplina continuiſſe fratrem annum XIV agentem, qua pater continuerat? Etenim ipſe Tacitus dicit, principum liberos (non fratres) ſedentes coenaſſe, quod etiam eſt apud noſtrum Aug. c. 64. et Claud. c. 22. Nihil igitur peccavit Suetonius, neque opus erat ea, qua Burmannus utitur, excuſatione. Quodſi tamen certis argumentis doceri poſſit, ante diem tirocinii neminem coenaſſe inter viros, concedam libenter, erratum a Suetonio. Tacitus autem ipſe 13. 15. indicat, Neronem proximis Saturnalibus cum Britannico coenaviſſe. Ern. Nullus hic error eſt, niſi Erneſtii. Verbo *cubandi* ſeu *accumbendi*, in univerſum proprio, uti poteſt ſcriptor, etſi nihil dubitans de re apud Tac. narrata. Sic et Perizon. ſentit.

3 In puero ſtatim corporis animique dotes exſplenduerunt: magisque ac magis deinceps per aetatis gradus, forma egregia, et cui non minus auctoritatis ineſſet, quam gratiae; quamquam neque procera ſtatura, et ventre paullo proiectiore; praecipuum robur, memoria ſingularis, docilitas ad omnes fere, tum belli, tum pacis artes. Armorum et equitandi peritiſſimus, Latine Graeceque, vel in orando, vel in ſin-

Cap. 3. *Praecipuum robur, quamquam* etc.] Certiſſimum arbitratus ſum, in hoc loco traiectionem a librariis eſſe factam: nam quid impedit, quo minus aliquis plurimum roboris habeat, etiamſi proceritas ſtaturae deſit, et proiectior venter ſit? Iſtae res ſpeciem externam minuunt. Ergo ſic hunc locum a Suetonio ſcriptum putavi: *quam gratiae, quamquam neque procera* etc., quum vulgo adhuc poſt *gratiae* ſequeretur *praecipuum robur*. Affert enim *procera ſtatura* auctoritatem, h. e. dignitatem formae, parva ſtatura detrahit: unde Auguſtus calceis altioribus utebatur, ut procerior videretur. Aug. c. 73. *Venter* autem *proiectior* deformitatem habet: unde in partibus deformitatis paſſim commemoratur, ut *planus* et *recedens* in partibus pulcritudinis. Vide Ner. c. 51. Iunius de Pictur. vet. p. 265. 272. Suetonius igitur dicere voluit, etſi duae res in corpore Titi fuerint, quarum auctoritatem altera, altera gratiam minueret, impediretque, tamen utramque in forma Titi fuiſſe, et dignitatem, et gratiam. Quia hanc emendationem in textum recepit Oudendorpius, idem nunc feci. Ern. Equidem invitis omnibus libris nihil transponere auſus eſſem, miror que id feciſſe Oudendorpium. Nam minus robuſti ſunt fere, quibus parva ſtatura eſt et venter obeſus. Etiam correctioni ſeu depravationi conſtare ſenſum videmus; ſed ipſa tamen membrorum compoſitio me ab ea retraxiſſet.

Armorum et equitandi peritiſſimus] Intellige, utriusque generis militiae, et pedeſtris, et equeſtris: nam hoc ſenſu *arma* et *equi* iungi ſolent. Vide inprimis Burmannum ad Virg. Aen. 8, 3. Ern. Conf. ad Caeſ. c. 57.

Latine Graeceque] Recte hoc pro *Latinae Graecaeque linguae* recepit Graevius, e

gendis poematibus, promptus, et facilis ad extemporalitatem usque: sed ne musicae quidem rudis, ut qui cantaret et psalleret iucunde scienterque. E pluribus comperi, notis quoque excipere velocissime solitum, cum amanuensibus suis per ludum iocumque certantem, imitarique chirographa, quaecumque vidisset, ac saepe profiteri, *se maximum falsarium esse potuisse.*

Tribunus militum, et in Germania, et 4
in Britannia meruit summa industriae, nec minore modestiae, fama: sicut apparet et

codd. Memm., Cuiac., aliis: nam etiam Latinitas hoc postulat. *Linguae promtum* Latine, ex imitatione tamen Graecorum, dici scio: *Latinae linguae promtos*, non credo. Ceterum et *Graece Latineque promtus* dicitur, ut *Graece doctus*: tum h. l. etiam aliqua ex parte refertur ad *orare*, et *fingere carmina*. Mox ad *extemporalitatem usque* abest a libris quibusdam scriptis et editis. Non displicet. Ern.

Cantaret et psalleret] *Psalleret* intelligendum de cantu ad fidium sonos, qualis est citharoedorum etc.; *cantaret* de cantu sine instrumentis musicis. Ern.

Cap. 4. *Industriae, nec minore modestiae, fama*] *Industria* de iis proprie dicitur, qui nullos labores fugiunt, sed eos alacriter capessunt, et iis summa contentione defunguntur: inprimisque de oratoribus et militibus. De oratoribus, loca Ciceronis notavimus in Clave Cic.; de militibus vide v. c. Nepotem in Agesil. c. 5. *Modestiam* Burmannus accipit de obedientia ducibus, e disciplina militari, ita praestita, ut nihil seditiose in ipsos faceret. Sic *modestiam* eleganter dici, scio. Sed haec virtus non est eiusmodi, ut provinciales propterea ei honores decreverint: quum ab ea nihil ad ipsos commodi redundarit. Intelligenda igitur est modestia erga provinciales, opponiturque avaritiae, rapacitati et insolentiae: nam *modesti* universe dicuntur, qui sunt potentes cupiditatum, ut irae, Cic. Verr. 1, 47., libidinis, idem Lael. c. 13. Tac. Hist. 2, 2., unde et *modestia* de temperantia, Tuscul. 3, 8. Similiter in Domit. c. 8. *provinciarum*

ſtatuarum et imaginum eius multitudine, ac titulis per utramque provinciam. Poſt ſtipendia foro operam dedit, honeſtam magis, quam asſiduam. Eodemque tempore Aricidiam Tertullam, patre Equite Romano, ſed Praefecto quondam praetorianarum cohortium, duxit uxorem: et in defunctae locum Marciam Furnillam ſplendidi generis; cum qua, ſublata filia,

praeſides modeſti et iuſti dicuntur: eademque virtus etiam *moderatio* dicitur a noſtro. Contra apud Tacitum 15, 50. eſt *immodeſtia publicanorum.* Ceterum exprimi iuſſi, quod Torrentius in vetuſti codicis fragmento reperit, et Iac. Gronovius etiam e Memmiano profert, pro vulgato, *induſtria — modeſtia,* niſi quod hic etiam ponit *ſummae,* quod Latinitas non patitur. Reſpondere enim hoc adiectivum debet τῷ *minore.* Vide etiam ad Domit. c. 9. Qui vulgatam defendunt, proferant, quaeſo, exemplum unum idoneum, ubi *fama* ſimpliciter ſic dicatur. Burmannus ipſe fatetur, nullum ſibi occurrere. Atqui is aliis multis in locis hoc argumento lectiones oppugnat. Scio quidem apud Livium eſſe: *malle magnae famae eſſe, quam bonae:* ſed id aliter eſt, neo huic loco convenit; nam univerſe quidem dicitur *magna, varia fama,* ſed non ubi de ſingulis virtutibus ſermo, et ſic, ut hic *ſumma induſtria, nec minore modeſtia, et fama.* Sic noſter Aug. c. 21. non dixit, *qua virtute, moderationeque, et fama,* ſed, *qua virtutis moderationisque fama.* Imitatus eſt exemplum noſtrum Oudendorpius. Ern.

Statuarum et imaginum eius] *Imagines,* intellige clypeos, de more illorum temporum. Calig. c. 16. Domit. c. 23. Conf. Veſp. c. 1. Ern.

Marciam Fulviam] Hoc exprimendum curavi pro *M. Furnillam,* quia codd. et edd. vett. plures habent *Fulviam, Fulvillam* vel *Furnillam,* quod poſtremum factum e *Fulvillam. Fulvia* autem et *Fulvilla* idem nomen eſt, ut *Livia,* Germanici filia, quam Tacitus vocat, eadem *Livilla* apud noſtrum in Tiberio et Caio dicitur. Graevius ſic reponi voluit, ſed operae vulgatum dederunt. Maxime autem cum Patino nititur nummo vetere, in quo eſt Φουλβια Σεβαστή. Sed non video, quomodo illa *Auguſta* vocari poſſit, quando diu ante imperium, non di-

divortium fecit. Ex quaeſturae deinde honore legioni praepoſitus, Taricheas et Gamalam, urbes Iudaeae validiſſimas, in poteſtatem redegit: equo quadam acie ſub feminibus amiſſo, alteroque inſcenſo, cuius rector circa ſe dimicans occubuerat.

Galba mox tenente rempublicam, miſſus 5
ad gratulandum, quaqua iret, convertit homines: quaſi adoptionis gratia arceſſeretur. Sed, ubi turbari rurſus cuncta ſenſit, rediit ex itinere; aditoque Paphiae Veneris oraculo, dum de navigatione conſulit, etiam de imperii ſpe

eam, mortuo patre, ſed vivo illo, per tribuniciae poteſtatis collegium, ſusceptum, dimiſſa eſt. Neque ſi tum, patre ſcilicet vivo, quum tribuniciae poteſtatis collega eſſet, adhuc habuiſſet. Σεβαστὴ dici potuiſſet: niſi dicamus, quod Chriſtio noſtro placebat, dictam ſic demum ſub Domitiano, in honorem filiae Iuliae, quam Domitianus amavit, quaeque Auguſta dicta eſt; quamquam eius rei nullum veſtigium in ſcriptoribus antiquis. Res quidem ipſa non abhorret a more vetere: nam et Antonia, Druſi uxor, Auguſta a Claudio appellata eſt, poſt mortem. Vide in Claud. c. 11. Quicquid ſit, illo quidem numo non confido, nec abhorreo ab eiusdem Chriſtii, ſuper eo a me conſulti, ſententia, qui ſibi ſuſpectum multis de cauſſis illum numum oſtendebat. Sed hoc iam vidit et docuit Spanhemius de uſu et praeſt. num. T. II. p. 286., ut monuit Oudendorpius. Ern. Igitur non recedendum erat a plurimorum codd. fide.

Taricheam et Gamalam] *Taricheam* editur e correctione Hermolai Barb. ad Plin. Hiſt. Nat. 2, 91. Initium fecit Aldus. Sed quia Mſſ. habent *Thracias* vel *Trachias*, edendum erat *Taricheas*, ut Oudend. fecit, et in vetere codice eſſe dixit Urſinus: nam ille numerus apud veteres uſitatior eſt. Ern.

Circa ſe] Vulgo *contra ſe*, ex libris minus bonis. Alterum, quod recepimus, bene Oudendorp. induxit.

Cap. 5. *Convertit*] Intell. in ſe, ut ſe intuerentur, de ſe loquerentur, tamquam adoptando a Galba. Calig. c. 35. *convertiſſe hominum oculos fulgore purpureae abollae:* Ern.

confirmatus est. Cuius brevi compos, et ad perdomandam Iudaeam relictus, novissima Hierosolymorum oppugnatione, XII propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus: cepitque eam natali filiae suae, tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione Imperatorem eum consalutaverint, et subinde decedentem provincia detinuerint, suppliciter, nec non et minaciter efflagitantes, *aut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret.* Unde nata suspicio est, quasi desciscere a patre, Orientisque regnum sibi vindicare tentasset. Quam

Cuius brevi compos, et etc.] Recte monuit Burmannus, durum esse, quod Lipsio placuit, *cuius* referri ad *spem.* Sed nec ipse locum expedit. Suspicatur, aliquid excidisse; quod illud *brevi* non in ipsum, sed in patrem conveniat. Ego hoc *brevi* facile concoquerem, referremque ad collegium tribuniciae potestatis, et nomen Caesaris, quod a patre, redux Romam, accepit: si modo cetera satis plana, et ad rectam rationem loquendi conformata essent. Sed qualis loquendi modus: *cuius brevi compos, et — relictus:* nam tum quidem, quum relinqueretur in Iudaea, nondum compos imperii erat. Ego sic legendum arbitror: *cuius brevi compos factus. Sed ad perdomandam* etc., sive: *compos factus est. Ad perdomandum* etc. Ern. Haec merito displicuerunt Viris doctis, qui ex Livio 29, 22. eandem locutionem afferunt, *spei conceptae compotem facere.* Inpr. autem iungendus est locus Vesp. c. 5. pr., ubi eadem res diverso modo exprimitur.

Cepitque eam] Sic omnes libri. *Eam* refertur ad *urbem,* quod verbum in Hierosolymorum nomine latet, per synesin, cuius exempla, inprimis in urbium nominibus, frequentia sunt. Ern.

Imperatorem consalutaverint] Accipe sensu antiquo, quum, de more vetere, libera iam republica usitato, post victoriam ab exercitu *Imperatores* dicti: non eo, quo patrem antea Imperatorem milites appellaverant, deficientes a Vitellio. Alia vi, anno post, Romae, a patre Imperator appellatus est, ut docet Pagius Crit. Baron. ad a. C. 71. Ern.

ſuſpicionem auxit, poſtquam Alexandriam petens, in conſecrando apud Memphim bove Api diadema geſtavit; de more quidem rituque priſcae religionis: ſed non deerant, qui ſecus interpretarentur. Quare feſtinans in Italiam, quum Rhegium, dehinc Puteolos, oneraria nave appuliſſet, Romam inde contendit expeditiſſimus; inopinantique patri, velut arguens rumorum de ſe temeritatem, *Veni*, inquit, *pater, veni.*

Neque ex eo deſiitit, participem atque 6
etiam tutorem imperii agere. Triumphavit cum patre, cenſuramque geſſit una. Eidem collega, et in tribunicia poteſtate, et in ſeptem conſulatibus fuit. Receptaque ad ſe prope omnium officiorum cura, quum patris nomine et epiſtolas ipſe dictaret, et edicta conſcriberet, orationesque in Senatu recitaret etiam Quaeſtoris vice, praefecturam quoque praetorii ſuscepit, numquam ad id tempus, niſi ab Equite Romano adminiſtratam; egitque aliquanto incivilius

Veni — veni] Graevius legi vult: *Venio, venio.* Male. *Veniens* eſt adhuc in via; qui iam adeſt, *veniſſe* dicitur, non *venire.* Ergo nec dicere potuit *venio*, ſed *veni.* Sic Minerva ap. Ovid. Met. 6, 43. *Tum Dea, Venit, ait.* Vernaculae linguae conſuetudo decepit Graevium. Ern. Quaſi non Latini interdum etiam praeſenti illius verbi tempore abuterentur. *Adſum atque advenio Acherunte* etc.

Cap. 6. *Niſi ab Equite Romano*] Erroris arguunt Suetonium exemplis Seiani, qui in conſulatu fuit Praefectus Praetorio, Clementisque Arretini, Senatoris, Lipſius ad Tac. Hiſt. 4, 68. Noriſius, Pagius Crit. Bar. ad a. C. 94. Sed iſta exempla, inprimis Seiani, nullo modo ignorabat, aut oblitus eſſe poterat, quum iſta ſcriberet, Suetonius. Itaque illud *adminiſtratam* capiemus, *adminiſtrari ſolitam.* Seianus quidem merus Eques erat, quum praefecturam ſusciperet,

et violentius: ſiquidem ſuſpectiſſimum quemque ſibi, ſummiſſis, qui per Theatra et caſtra, quaſi conſenſu ad poenam depoſcerent, haud cunctanter oppreſſit. In his A. Caecinam, conſularem virum, vocatum ad coenam, ac vixdum triclinio egreſſum, confodi iuſſit: ſane urgente discrimine, quum etiam chirographum eius praeparatae apud milites concionis deprehendiſſet. Quibus rebus ſicut in poſterum ſecuritati ſatis cavit, ita ad praeſens plurimum contraxit invidiae: ut non temere quis, tam adverſo rumore, magisque invitis omnibus, tranſierit ad principatum.

7 Praeter ſaevitiam, ſuſpecta in eo etiam luxuria erat; quod ad mediam noctem comiſſationes cum profuſiſſimo quoque familiarium extenderet. Nec minus libido, propter exoletorum et ſpadonum greges, propterque inſignem

retinuitque extra ordinem, poſtquam Senator factus eſt, ſingulari apud Tiberium gratia. Neque Mucianus recte atque ordine fecit, quum Clementem, Senatorem, Praefectum fecit. Imperator quidem M. Aurelius querebatur, ſe Pertinacem, quod Senator eſſet, Praefectum praetorii facere non poſſe, ap. Capitolinum c. 2., nempe; ſi vellet morem priſtinum ſervare. An ergo, et hunc erraſſe, et iura, poteſtatemque imperatoriam neſciſſe, dicemus? Aſſentitur nobis Oudendorpius. Ern.

Quaſi conſenſu] Veluti omnes, et milites, et togati, conſentirent in eo, ut puniendos cenſerent. Ern.

Chirographum — concionis] Sic Memm., Copeſ., Hulſ., liber Chriſtii, omninoque meliores libri, teſte Caſaubono. Ergo recepi. *Chirographum praeparatae apud milites concionis* intelligi poteſt. Reperta erat concio ſeditioſa, apud milites habenda, ipſius manu ſcripta, unde eius conſilia planiſſime cognoſcerentur. Sed, quid ſit *chirographum coniurationis*, quae eſt vulgata lectio, nemo dicat, nec dixere Interpretes. Imitatus eſt nos Oudendorp. Ern. Iam ita legendum vidit Perizon.

reginae Berenices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Sufpecta et rapacitas; quod conftabat, in cognitionibus patris nundinari praemiarique folitum. Denique propalam alium Neronem et opinabantur, et praedicabant. At illi ea fama pro bono ceffit, converfaque eft in maximas laudes; neque vitio ullo reperto, et contra virtutibus fummis. Convivia inftituit iucunda magis, quam profufa. Amicos elegit, quibus etiam poft eum principes, ut et fibi et reipublicae neceffariis, acquieverunt; praecipueque funt ufi. Berenicen fta-

Cap. 7. *In concionibus patriis nundinari*] Haec lectio, quae eft omnium prope librorum, manifefte corrupta eft. Placet Viris doctis *cognitionibus*, e quo potuit fieri *concionibus*. Bene. *Nundinari* autem eleganter dicitur, imitatione Ciceronis, de iis, qui in talibus rebus pecunias vel capiunt, vel dant, adeoque ius vel emunt, vel vendunt. Verr. 1, 64. *Qui ab ifto ius ad utilitatem fuam nundinarentur.* Mox *alium Neronem*, pro *alterum*, poteft defendi locis, ubi *alius* fic fere dicitur: fed tamen malim *alterum*, quod in hac forma femper eft. An ergo etiam dici poterit de amico, *ille eft alius ego*? Ern. Id quidem inufitatum eft, quia agitur de *duobus*: fed *alium Neronem* et ipfe ferendum puto, *quod plures* illo fignificatu effe poffunt *Nerones*, atque non raro apud bonos fcriptores confunduntur pronomina, *alius* et *alter*. Ceterum veriffimae funt Virorum doctorum correctiones, *cognitionibus* et *patris*, a nobis in ordinem receptae.

Pro bono ceffit] Idem eft, quod Ciceroni pro Rofcio Amerino c. 5. *bono fuit*, et Livio 7, 12. *etiam bono fuiffe Romanis adventum illorum conftabat.* Poterat dicere, *pro bono ceffiffe.* Idem Livius etiam addit praepofitionem *pro*, in alia tamen formula, 24, 48. *ut pro bonis et fidelibus fociis facerent*, i. e. ita, ut boni et fideles focii. Sic igitur poffis interpretari, ea fama ipfi ita, ut bona et fecunda, ceffit. *Bono cedere* etiam alii dixere, ut Lexica docent. Ern.

Quibus etiam — acquieverunt] Lipfius putat, Ciceronem dicturum fuiffe, *in qui-*

tim ab Urbe dimiſit invitus invitam. Quosdam e gratiſſimis delicatorum, quamquam tam artifices ſaltationis, ut mox ſcenam tenuerint, non modo fovere prolixius, ſed ſpectare omnino in publico coetu ſuperſedit. Nulli civium quidquam ademit: abstinuit alieno, ut ſi quis umquam: ac ne conceſſas quidem ac ſolitas collationes recepit. Et tamen nemine ante ſe munificentia minor. Amphitheatro dedicato, thermisque iuxta celeriter exſtructis, munus edidit apparatiſſimum largiſſimumque. Dedit et navale proelium in veteri naumachia: ibidem et gladiatores: atque uno die quinque millia omne genus ferarum.

8 Natura autem benevolentiſſimus, quum ex inſtituto Tiberii omnes dehinc Caeſares beneficia, a ſuperioribus conceſſa principibus, aliter rata non haberent, quam ſi eadem iisdem et ipſi dediſſent, primus praeterita omnia uno

bus. Sed Cicero etiam ſine praepoſitione dixit pro Milone c. 37. *qui morte eius acquieſcunt:* niſi quis ibi τὸ *in* abſorptum putet a finali τοῦ *qui*, et prima ſequentis verbi. Ern.

Delicatorum] Exoletorum, et ſpadonum, ut ante vocavit. Ern.

In publico omnino coetu] *Coetu* delendum eſſe, recte monuere Torrentius, Lipſius et Burmannus. Favet Mſ. Lyſer., qui pro *coetu* habet *ceu*. Ern. Rectius alii ſervant vocabulum, ſine quo locus ſpectandi nimis vage ſignificaretur.

Ut ſi quis umquam] Periphraſis ſuperlativi: ſed Dukero ſuſpectum eſt *ut ſi*. Et ſane nullum ſimile exemplum memini me reperire. Ego *ut* deleverim. Ern. Hoc ſuadere non auſim, etſi huius ipſius abundantiae aliud exemplum afferre nequeo. Sunt tamen talis pleonaſmi exempla in aliis loquendi formis.

Dedicato] H. l. eſt nihil, niſi abſoluto. Nam, quae proprie *dedicatio* dicitur in talibus rebus, ut Claud. c. 21. et

confirmavit edicto; nec a ſe peti paſſus eſt. In ceteris vero deſideriis hominum obſtinatiſſime tenuit, ne quem ſine ſpe dimitteret. Quin et admonentibus domeſticis, *quaſi plura polliceretur, quam praeſtare poſſet: Non oportere,* ait, *quemquam a ſermone principis triſtem discedere.* Atque etiam recordatus quondam ſuper coenam, quod nihil cuiquam toto die praeſtitiſſet, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit: *Amici, diem perdidi.* Populum in primis univerſum tanta per omnes occaſiones comitate tractavit, ut propoſito gladiatorio munere, *non ad ſuum, ſed ad ſpectantium arbitrium editurum ſe,* profeſſus ſit. Et plane ita fecit. Nam neque negavit quidquam petentibus; et ut, quae vellent, peterent, ultro adhortatus eſt. Quin et ſtudium armaturae Threcum prae ſe ferens, saepe cum populo et voce et geſtu, ut fautor, cavillatus eſt: verum maieſtate ſalva, nec minus aequitate. Ne quid popularitatis praeter-

alibi, ſeparatim exprimitur: *munus edidit apparatiſſimum.* Ern.

Cap. 8. *Deſideriis hominum*] Τὸ *animum*, quod eſt in vulgatis, et Caſauboni *omnium*, recte eiecit Burmannus: abeſt enim a Memm., Lyſer., Copeſ. et Voſſ. etc. codd. Ern. *Tenuit* hoc inſtitutum, hanc conſuetudinem.

Ut fautor, cavillatus eſt] Intellige, Threces, gladiatores. *Cavillari* autem h. l. eſt irridere, dicteriis inceſſere. Sed cum hac ſententia, quam contextus manifeſte deſiderat, non conveniunt verba, *ut fautor.* Etenim comitas non tam in eo eſt, quod et ipſe favorem ſuum demonſtravit; id et alii fecerant: ſed, quod in eos cum populo cavillatus eſt, quibus favebat perſpicue. Itaque Guietus eiici volebat, Glareanus autem *non* addebat. Non alienus ſum a Guieti opinione. Vide tamen, an legi poſſit, *utut fautor.* Etiam aliis locis pro *utut* ſcripſere *ut* libra-

mitteret, nonnumquam in thermis ſuis, admiſſa plebe, lavit. Quaedam ſub eo fortuita ac triſtia acciderunt: ut conflagratio Veſevi montis in Campania; et incendium Romae, per triduum, totidemque noctes; item peſtilentia, quanta non temere alias. In his tot adverſis ac talibus, non modo principis ſollicitudinem, ſed et parentis affectum unicum praeſtitit; nunc conſolando per edicta, nunc opitulando, quatenus ſuppeteret facultas. Curatores reſtituendae Campaniae e Conſularium numero ſorte duxit. Bona oppreſſorum in Veſevo, quorum heredes non exſtabant, reſtitutioni afflictarum civitatium attribuit. Urbis incendio nihil, niſi ſibi, publice periſſe teſtatus, cuncta praetorio-

rii. Vide Burmannum ad Domit. c. 9. Sed fatendum eſt, ſupervacua et haec verba eſſe. Poſſis etiam legere *in fautores,* ſcil. Threcum: quod optimum ſenſum faceret. Etenim non magis in gladiatores ipſos, quam eorum fautores cavillabantur: unde ſeditiones ſpectatorum. Ner. c. 26. et alibi. Ern. *Cavillatus eſt* diverſam factionem eiusque fautores. Ita optime Graevius: ceteri nodum in ſcirpo quaerunt.

Parentis affectum unicum] Lipſius malebat *unici:* ut *parens unicus* dicatur, ſicut *Imperator unicus* apud Livium de Camillo etc. Burmannus dubitat, utrum rectius dicatur *unicus parens,* an *unicus affectus;* quod miror. Etiam Cicero dixit *unica liberalitas,* pro Quint. c. 12., et ſimilia et apud ipſum, et alibi, reperias. Ergo non eſt, quod tentetur, aut dubia ſit omnium codd. et edd. lectio. Ern.

Reſtituendae Campaniae] Sic dicitur, ut *condere inſulam.* Vide ad Aug. c. 98. Ern.

Publice periſſe teſtatus] Male Caſaubonus *τὸ publice* ad *teſtatus* refert. Non voluit dicere, nemini, niſi ſibi, aliquid periſſe: id falſo dixiſſet: ſed publice, h. e. operibus publicis combuſtis, nil periſſe reipublicae, ſed ſibi: quo declarabat, ſibi in animo eſſe, ſuo ea ſumtu reſtituere; quod feciſſe, mox narrat Suetonius. Ern.

rum ſuorum ornamenta operibus ac templis deſtinavit: praepoſuitque complures ex equeſtri ordine, quo quaeque maturius peragerentur. Medendae valetudini, leniendisque morbis, nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquiſito omni ſacrificiorum remediorumque genere. Inter adverſa temporum, et delatores mandatoresque erant, ex licentia veteri. Hos asſidue in foro flagellis ac fuſtibus caeſos, ac noviſſime traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubiici, ac venire imperavit; partim in aſperrimas inſularum avehi. Utque etiam ſimilia quandoque auſuros perpetuo coerceret, vetuit inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quaerive de cuiusquam defunctorum ſtatu, ultra certos annos.

Pontificatum maximum ideo ſe profeſſus 9 accipere, ut puras ſervaret manus, fidem prae-

Partim ſubiici in ſervos] *In ſervos* non habent quidam boni codices: unde deleri volunt, intelligique *praeconi*, vel *haſtae*, quae voces omiſſae ſint, quod propter viciniam τοῦ *venire* facile intelligantur, idque et alios ſcriptores feciſſe in talibus contextis: quod verum eſt. Vide Calig. c. 38. et Dukerum ad Florum 2, 6. Graevius autem, deletis his verbis, addi volebat *haſtae;* quod non eſſe neceſſarium, e dictis patet. Mihi in mentem venit, legere *ſubiici in ſervis, et venire* etc. *In ſervis*, eſt, inter ſervos, exquiſita Latinitate. Ern. At falſo ſenſu. Gloſſema eieci cum Oudendorp.

Pluribus legibus agi] Quod olim in cauſſis publicis licuiſſe, patet ex oratione Ciceronis prima in Verrem, init., ubi minatur, ſi Verres abſolvatur, ſe ex aliis legibus accuſaturum: in privatis cauſſis autem hodie quoque licet, ſi formula una excideris, alia uti: veluti, ſi poſſeſſionem legitimi temporis non probaris, petere ſimpliciter. Ern.

Cap. 9. *Pontificatum maximum*] Hoc intelligendum de temporibus poſt mortem patris. Etenim et ante Pontifex Maximus fuit, vivo patre, et

fitit: nec auctor posthac cuiusquam necis, nec conscius; quamvis interdum ulciscendi caussa non deesset, sed *periturum se potius, quam perditurum,* adiurans. Duos patricii generis convictos in affectatione imperii, nihil amplius quam ut desisterent monuit, dicens, *Principatum fato dari:* si quid praeterea desiderarent, promittens se tributurum: et confestim quidem ad alterius matrem, quae procul aberat, cursores suos misit, qui anxiae filium salvum nuntiarent. Ceterum ipsos non solum familiari coenae adhibuit, sed insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi ferramenta pugnantium

manus inquinavit. Vivo patre Pontificem Maximum appellatum, testantur inscriptiones marmorum a Boherio prolatae, quae fugiebant Pagium, quum in Crit. Bar. ad a. C. 161. n. 6. ageret de titulo Pontificis Maximi duobus communi. Sed tum nomine magis, quam re, erat Pontifex Maximus, quum omnis potestas esset penes patrem: veluti collega tribuniciae potestatis et collega imperii, adeoque princeps fuit, et tamen demum mortuo patre ad principatum venisse dicitur c. 6. extr. Haec pluribus demonstrat Boherius, in doctissima Diss. de pontificatu maximo Imperatorum Roman. ante paucos annos Gallice edita. Sed contra eum disputat Bimardus T. XVIII. Comment. Acad. Inscr. et litter. hum. p. 581. Ern.

Cuiusquam] Valde placet *cuiquam*, quod e codice Periz. et ed. Rom. profert Burmannus. Sed tamen et vulgatum intelligi ac defendi potest. Ern. Verissimum est *cuiusquam*, qualem genitivum ab alio genitivo pendentem non respuunt scriptores, ubi constructio cogit. Ner. c. 33. pr. *Cuius necis* etsi non *auctor*, at *conscius* fuit. Dativo hic diversam sententiam inesse, recte vidit Oudendorp.

Convictos in affectatione imperii] Vide ad Claud. c. 14. Ern.

Ferramenta pugnantium] Sine haesitatione recepi *ferramenta*, pro vulgari *ornamenta*. Etenim habent illud codi-

inſpicienda porrexit. Dicitur etiam, cognita utriusque genitura, *imminere ambobus periculum*, affirmaſſe, *verum quandoque, et ab alio:* ſicut evenit. Fratrem, inſidiari ſibi non deſinentem, ſed paene ex profeſſo ſollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque ſeponere, ac ne in minore quidem honore habere ſuſtinuit: ſed, ut a primo imperii die, conſortem ſucceſſoremque teſtari perſeveravit; nonnumquam ſecreto precibus et lacrimis orans, *ut tandem mutuo erga ſe animo vellet eſſe.*

Inter haec morte praeventus eſt, maiore 10
hominum damno, quam ſuo. Spectaculis abſolutis, in quorum ſine populo coram ubertim ſleverat, Sabinos petit aliquanto triſtior, quod ſacrificanti hoſtia auſugerat, quodque tempeſtate ſerena tonuerat. Deinde ad primam ſtatim manſionem ſebrim nactus, quum inde lectica

ces optimi, Memm., Viterb., Cuiac., tres Palatini, Copeſ. etc., quorum auctoritati cur non cedamus, quum non modo nos, ſed etiam cautus Burmannus, ubi in mentem venit, paucioribus interdum ceſſerit? praeſertim, quum ratio Latinitatis *ornamenta* plane repudiet: id quod in Excurſu demonſtramus. Recepit etiam Oudendorpius. Ern.

Venturum quandoque et ab alio] Valde arridet lectio codicis ab Urſino laudati, *venturum quoque, ſed ab alio:* placuit et Dukero: ſaltem *ſed* legendum videtur. *Venturum quoque* omnes ſere veteres edd. Poſſis etiam legere, *venturumque quandoque.* Ne offendare ſono, multis exemplis Livius cavet: v. g. 7, 14. *noſtra quoque quidam aetate.* Ern. Sonus quidem neminem offendat, qui meminerit Caeſ. c. 27. *reliquo quoque* et ſimilium caſuum: ſed ipſum *que* h. l. alienum eſt. Immo revertendum erat ad ſcripturam Caſauboni, *verum quandoque et ab alio,* quam et boni libri firmant, et plane poſcit Latinitas.

Cap. 10. *Febrim nactus*] Mira phraſis; cuius tamen et

transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis caelum, multumque conqueſtus, *eripi ſibi vitam immerenti: neque enim exſtare ullum ſuum factum poenitendum, excepto dumtaxat uno.* Id quale fuerit, neque ipſe tunc prodidit, neque cuiquam facile ſuccurrat. Quidam opinantur, conſuetudinem recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuiſſe, perſancte Domitia iurabat; haud negatura, ſi qua omnino fuiſſet: immo etiam gloriatura, quod illi promptiſſimum erat in omnibus probris.

11 Exceſſit in eadem, qua pater, villa, Idibus Septembris, poſt biennium ac menſes duos, diesque viginti, quam ſucceſſerat patri, altero et quadrageſimo aetatis anno. Quod ut palam factum eſt, non ſecus atque in domeſtico luctu moerentibus publice cunctis, Senatus prius quam edicto convocaretur, ad Curiam concurrit; obſeratisque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, laudesque congeſſit, quantas ne vivo quidem umquam atque praeſenti.

alia exempla occurrunt, ut *mortem nanciſci*, et ſimilia: ſicut et *adipiſci* dicitur. Ern. *Febrim nanciſci* Latinis, ut puto, maxime proprium fuit, etſi hodie rarum eſt. Noſtrates ſimiliter, *das Fieber kriegen.*

Dimotis plagulis] Scil. lecticae. Vide Drakenborch. ad Liv. 39, 6. Ern.

Cap. 11. *Gratias egit, laudesque*] Quamquam *egit* maxime ad *gratias* refertur, tamen etiam *laudes agere* dici poſſe, docuit Gronovius ad Liv. 26, 48. Ern. At optimi codd. habent *gratias egit laudesque congeſſit, quantas ne vivo* etc. Id non animadverterat Gronov. Conf. Octav. c. 98. princ.

SUETONII
LIBER OCTAVUS.

T. FLAVIUS DOMITIANUS.

Domitianus natus eſt IX. Kalendas Novembris, 1 patre Conſule deſignato, inituroque menſe inſequenti honorem, regione Urbis ſexta, ad Malum Punicum, domo, quam poſtea in templum gentis Flaviae convertit. Pubertatis ac primae adoleſcentiae tempus tanta inopia tantaque infamia geſſiſſe fertur, ut nullum argenteum vas in uſu haberet: ſatisque conſtat, Clodium Pollionem, praetorium virum, in quem eſt poema

Cap. 1. *Adoleſcentiae tempora — geſſiſſe*] Vera et elegans Latinitas poſtulat *egiſſe*, quod et Caſaubonus malebat. Recte. Propter conſenſum librorum ſcr. in vulgato, nemo auſus eſt meliorem lectionem recipere. Retineat ergo Suetonius, quod in tirone Latinitatis improbemus. Ern. Conf. ad Veſp. c. 24. Aptius etiam h. l. videtur *gerere*, nemini improbatum in nota epiſt. Sulpicii ad Cic. 4, 5., ubi eſt *aetatem gerere* ſine ulla diſcrepantia ſcripturae. Alia vide ap. Cannegieterum ad Avian. 1, 4. Ceterum dedi *tempus* ex optimis Mſſ. et hoc quoque cum Oudendorp.

In uſu haberet] Quod addit *in uſu*, indicat, pignori oppoſita vaſa argentea habuiſſe. Poſt Lipſius, Burmannus et Oudendorpius malebant *conſtet*. Sed id verbum non coniungitur cum proxime antecedente, ſed cum *fertur*. Mox *eius* elegantius abeſſet. Ern. Vix apud poetam abeſſe poſſet pro-

Neronis, quod inſcribitur *Luſcio*, chirographum eius conſervaſſe, et nonnumquam protuliſſe, noctem ſibi pollicentis: nec defuerunt, qui affirmarent, corruptum Domitianum et a Nerva, ſucceſſore mox ſuo. Bello Vitelliano confugit in Capitolium cum patruo Sabino ac parte praeſentium copiarum: ſed irrumpentibus adverſariis, et ardente templo, apud aedituum clam pernoctavit; ac mane Iſiaci celatus habitu, interque ſacrificulos vanae ſuperſtitionis, quum ſe trans Tiberim ad condiſcipuli ſui matrem comite uno contuliſſet, ita latuit, ut ſcrutantibus, qui veſtigia ſubſecuti erant, deprehendi non potuerit. Poſt victoriam demum progreſſus, et Caeſar conſalutatus, honorem

nomen, ſine quo ſubiectum deeſſet participio *pollicentis*. Rectius defenditur lectio *conſtat*, quia, ut opinor, ineptum eſt dicere, *Fertur aetatem geſſiſſe tanta infamia, ut ſatis conſtet.* Nam prope ἀσύστατα haec ſunt, et talia, ut inverſa magis placeant: *Satis conſtat geſſiſſe, ut ferant*. Immo iſta iunctura ſi placuiſſet Suetonio, promptum erat ſcribere, *Clodiusque conſervarit* etc. Denique verba *in uſu* non ita erant premenda. In hoc enim genere qui *habet* aliquid, fere habet *in uſu:* etſi ad *uſum* talis ſupellex etiam commodata haberi, et, niſi nimia inopia erat, conduci ſolebat.

Iſiaci celatus habitu] Qualis ille habitus fuerit, docet Appianus Bell. Civ. 4. p. 616., ubi de Voluſio, qui, proſcriptus quum eſſet, Iſiaci habitu effugit: Καὶ φίλον ὀργιαστὴν τῆς Ἴσιδος ἔχων, ἤτησε τὴν στολὴν, καὶ τὰς ὀθόνας ἐνέδυ τὰς ποδήρεις, καὶ τὴν τοῦ κυνὸς κεφαλὴν ἐπέθετο, καὶ διῆλθεν οὕτως ὀργιάζων αὐτῷ σχήματι ἐς Πομπήϊον. De numo Domitiani, eius rei memoriam ſervante, egit ad h. l. Patinus. Vide etiam Pagium Crit. Bar. ad a. C. 95. n. 5. Hinc etiam explicanda *myſteria,* quae Domitiano obiicit Plinius Paneg. c. 49. Ern.

Caeſar conſalutatus, honorem etc.] Videndus ad h. l. inprimis Pagius Crit. Bar. ad a. C. 59. n. 9. Ern.

praeturae urbanae consulari potestate suscepit titulo tenus: nam iurisdictionem ad collegam proximum transtulit. Ceterum omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut iam tum, qualis futurus esset, ostenderet. Ne exsequar singula: contrectatis multorum uxoribus, Domitiam Longinam, Aelio Lamiae nuptam, etiam in matrimonium abduxit: atque uno die super viginti officia urbana aut peregrina distribuit;

Cum consulari potestate] Primo restitui *cum*, quod recentiores delevere, quum a nonnullis libris scriptis abesset. Sed id abesse per Latinitatem non potest. Male Graevius comparat illa, *tribuni militum consulari potestate, Imperator tribun. potestate:* quae sunt diversa. *Praetor consulari potestate* rectum est, at non *praetura consulari potestate.* Ceterum id factum quum honoris caussa, tum, quia pater et frater, Consules illius anni, absentes erant, Tac. Hist. 4, 39., adeoque ad ipsum munera consularia redibant, ut Senatum convocare, referre ad Senatum. Haec est, ut opinor, simplicissima ratio loci huius intelligendi. Ern. Particulam delevi, quae ab optimis codd. abest, et facile ex glossa addi potuit. Simul analogia et usus adversatur; nec video, cur minus Latine dicatur *tribunatus militum consulari potestate,* quam *tribunus mil. consulari potestate.*

Suscepit titulo tenus] Explicat Tacitus Hist. 4, 39. *Eius nomen epistolis edictisque praeponebatur: vis penes Mucianum erat.* Ern.

Quam] Unice probo, quod iam Iac. Gronovio in mentem venit, *nam.* Burmannus malebat cum I. F. Gronovio, *quum — transtulisset.* Sed ea emendatio est contra Latinitatis rationem. Etenim, *suscepit,* inquit, *titulo tenus:* non, *gessit.* Si hoc verbo usus esset, necessarium foret, *quum — transtulisset,* aut, *nam — transtulerat.* Nunc, post *suscepit,* necessarium est perfectum, adeoque *nam.* Si quis tamen *quum* malit, legendum erit *transferret,* non *transtulisset,* quod longius a vulgata abit. Ern.

Ad collegam proximum] I. e. Praetorem peregrinum, qui Mucianus erat. Ern.

Officia urbana aut peregrina] Edd. et scr. multi *at*-

mirari se, Vespasiano dictitante, *quod successorem non et sibi mitteret.*

2 Expeditionem quoque in Galliam Germaniasque, neque necessariam, et dissuadentibus paternis amicis, inchoavit, tantum ut fratri se et operibus, et dignatione adaequaret. Ob haec correptus, quo magis et aetatis et conditionis admoneretur, habitabat cum patre una, sellamque eius ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur: ac triumphum utriusque Iudaicum equo albo comitatus est. In sex consulatibus non nisi unum ordinarium gessit, eumque cedente et suffragante fratre. Simulavit et ipse mire modestiam: in primisque poeticae

que, quod sensu planius est. *Aut* sic accipiendum: nempe utriusque generis officia dedit. Ern. —

Cap. 2. *Simulavit et ipse* etc.] In Ms. Lyser. non reperi verba, *et ipse*. Ac sane attento lectori facile apparebit, ea esse ab hoc loco alienissima. Porro alii codd. variant in verbo *mire*, pro quo nonnulli habent *inire*. Ego arbitror, corruptum locum esse. *Simulatio modestiae* fuit effectus castigationis a parente adhibitae, et quod omni modo eum deprimere studebat pater. Hoc voluit, ut opinor, Suetonius indicare: nam ante illam castigationem sane non simulabat modestiam is, qui omnem vim dominationis licentissime exercebat. Ergo legendum videtur: *simulavit inde modestiam*, aut, τῷ *mire* servato, ut *ipse* factum sit ex *inde*, *simulavit inde mire modestiam*. Sed quomodo cum hoc cohaeret *in primisque poeticae studium*? quare hoc simulavit? Vereor, ne hic aliquid exciderit. Ern. Non est mendosus hic locus: quamquam *inde*, vel potius *exinde*, ferri posset, si proxime praecessisset mentio paternae castigationis. Nunc praecessit exemplum modestiae Titi fratris, cui debuit Domitianus consulatum a. U. 826. Igitur *ipse quoque* simulavit *modestiam*, i. e. animum ab ambitione et dominandi cupidine alienum. Iam apparet etiam, quomodo iungi potuerit poetica, quae non est inter artes principales.

ſtudium, tam inſuetum antea ſibi, quam poſtea ſpretum et abiectum; recitavitque etiam publice. Nec tamen eo ſecius, quum Vologeſus, Parthorum rex, auxilia adverſus Alanos, ducemque alterum ex Veſpaſiani liberis depopoſciſſet, omni ope contendit, ut ipſe potiſſimum mitteretur. Et quia discuſſa res eſt, alios Orientis reges, ut idem poſtularent, donis ac pollicitationibus ſollicitare tentavit. Patre defuncto, diu cunctatus, an duplum donativum militi offerret, numquam iactare dubitavit, *relictum ſe participem imperii, ſed fraudem teſtamento adhibitam.* Neque ceſſavit ex eo inſidias ſtruere fratri clam palamque: quoad correptum gravi valetudine, prius quam plane efflaret animam, pro mortuo deferi iuſſit: defunctumque nullo praeterquam conſecrationis honore dignatus, ſaepe etiam carpſit obliquis orationibus et edictis.

Inter initia principatus, quotidie ſecretum 3 ſibi horarum ſumere ſolebat; nec quidquam amplius, quam muſcas captare, ac ſtilo praeacuto configere: ut cuidam interroganti, *eſſetne quis intus cum Caeſare,* non abſurde

Donativum militi offerret] E Mſſ. pluribus cum Oudendorpio edidi *offerret* pro *donaret*. Sic Cicero *declarare munus*. Ern.

Relictum ſe participem imperii] Olim legebatur *principem imperii*, quod verum puto. Vide Excurſum. Ern.

Orationibus et edictis] *Orationibus* in Senatu, *edictis* ad populum. Ern.

Cap. 3. *Horarum*] Habet etiam Mſ. Lyſer. Intelligendum eſt *aliquot*, ut recte monuit Burmannus, cuius ellipſeos exempla et alibi occurrunt. Sic *ſpatium horarum* Ner. c. 37. Ern. Ibi vide, et hic Caſaubonum; etſi notam numeri addere h. l. minus placet. Quare revocandum opinor *horarium*, vocem

responsum sit a Vibio Crispo, *Ne musca quidem.* Deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut Augustam, eandem, Paridis histrionis amore deperditam, repudiavit: intraque breve tempus impatiens discidii, quasi efflagitante populo, reduxit. Circa administrationem autem imperii aliquamdiu se varium praestitit, mixturaque aequabili vitiorum atque virtutum, donec virtutes quoque in vitia deflexit; quantum coniectare licet, super ingenii naturam, inopia rapax, metu saevus.

4 Spectacula assidue magnifica et sumptuosa edidit, non in Amphitheatro modo, verum et

eadem analogia signatam, qua est *temporarius, momentarius* etc.

Uxorem Domitiam] Delevi cum Burmanno τὸ *suam.* Sed similiter mox τὸ *suo* delendum puto. Vide Vesp. c. 24. Ern.

Ex qua in secundo suo consulatu] De hoc loco vide Excursum. Ern.

Eandem] Pronomen hoc defendunt Gronovius et Burmannus contra Torrentium, sed in omnibus, quae laudantur, exemplis est tantum pronomen *is*, non *idem.* Suetonius hoc pronomen fere ponit post τελείαν στιγμήν: v. g. sic: *Domitiam — — consalutavit Augustam. Eandem Paridis — — repudiavit.* Vide Aug. c. 67. Sed tamen et sic ferri posse, arbitror. Ern. Atque adeo oportere. Inest vis τοῦ *tamen.* Nam paullo ante negligentius dixit *alteroque anno*, pro, *quamquam altero a.*

Mixtura aequabili] Τὸ *quoque*, quod vulgatae editiones interponunt, auctoribus codicibus, quos laudat Torrentius, delevi. Etenim manifestum est, id esse alienum ab h. l.: nam his verbis Suetonius, more suo, explicat verba antecedentia, *varium se praestitit.* Tractum autem huc est a librariis e sequentibus. Ern. Id paucis locis probabile est, minime h. l. *Quoque* natum est, ut saepe, ex *que:* scribendum enim *mixtura q u e aequabili*, ut iam Lipsius coniecit. Miror, Oudendorpio placuisse coniecturam *p r o p e aequabili.*

in Circo: ubi praeter ſollemnes bigarum quadrigarumque curſus, proelium duplex etiam, equeſtre ac pedeſtre, commiſit: at in Amphitheatro navale quoque. Nam venationes gladiatoresque, et noctibus ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas, ſed et feminarum. Praeterea quaeſtoriis muneribus, quae olim omiſſa revocarat, ita ſemper interfuit, ut populo poteſtatem faceret, bina paria e ſuo ludo poſtulandi, eaque noviſſima aulico apparatu induceret. Ac per omne gladiatorum ſpectaculum ante pedes ei ſtabat puerulus coccinatus, parvo portentoſoque capite, cum quo plurimum fabulabatur, nonnumquam ſerio. Auditus eſt cer-

Cap. 4. *Navale quoque*] Immiſſa ſcilicet aqua in Amphitheatrum, ut ante fecerat Titus, auctore Xiphilino, in Tito p. m. 757. Ern.

Ad lychnuchos] *Lychnos* etiam Mſ. Lyſer. placet. Secus eſt in Caeſ. c. 37., et ibi eſt *ad lumina*, cui reſpondet h. l. *ad lychnos*. Itaque recepi. Ern. Sine idonea cauſſa, et contra optimos Mſſ.

Quaeſtoriis muneribus] Vide ad Claud. c. 24. Ern.

Portentoſo parvoque capite] *Portentoſum caput* eſt, quod longe a naturae conſuetudine et uſitata figura recedit. Sic *prodigioſa corpora* ſimili ſenſu dixit Quintilianus Inſtitt. Orat. 2, 5. Graeci τερατόμορφα, atque homines aliquid omnino vitii naturalis habentes, τέρατα, Latini *prodigia*. Sed illa aberratio naturae a ſua lege varia eſſe poteſt. Itaque Suetonius videtur voluiſſe explicare ſequente verbo: quod, ſi rectum eſt, indicat, puero illi caput, ſupra modum, et reliqui corporis rationem, exiguum fuiſſe. Enimvero fateor, mihi ſuſpectum eſſe hoc verbum. *Parvum* caput *puerulo*, nano, ſatis convenit. Et laudatur *caput breve*. Addidiſſet aliquid Suetonius, ſi, inviſitata exiguitate caput fuiſſe, indicare voluiſſet. Tum, in pumilionibus capita fere ſunt ſupra modum magna. Arbitror igitur legendum *pravo*, h. e. deformi ab aliquo vitio naturali, velut nimia magnitudine, inprimisque *acuto*, quale habebat Therſites, unde φοξὸ

te, dum ex eo quaerit, *ecquid ſciret, cur ſibi viſum eſſet, ordinatione proxima Aegypto praeficere Maecium Rufum.* Edidit navales pugnas paene iuſtarum claſſium, effoſſo et circumſtructo iuxta Tiberim lacu; atque inter maximos imbres perſpectavit. Fecit et ludos ſe-

dicuntur. (Vide Iunium de Pictura p. 227.) Hoc genere capitis deformes pumili tum apud nonnullos in deliciis fuiſſe, teſtis Clemens Alexandrinus Paedagog. lib. 3. c. 4. de mulieribus delicatioribus: Συνανακλίνονται τοῖς φοξοῖς παίζουσαι, σικίννοις τέρασι γαννύμεναι. *Accumbunt pueris acuto capite deformibus, eum iisque ludunt, prodigiis ridiculis gaudentes,* qui locus planiſſime convenit huic noſtro. *Pravum* autem dici, in quocunque eſt aliqua deformitas naturalis, nemo ignorat. *Pravus naſus* ex Horatio notus eſt. Ceterum aliter de huiusmodi portentoſis nanis ſentiebat Auguſtus. Vide in Aug. c. 78. *Pravus* et *parvus* in libris antiquis permutari, docet Drakenborchius ad Liv. 1, 51. 32.; 29, 37. Ceterum Mſſ. plures habent *parvo portentoſoque capite,* quod praetuli cum Oudendorpio, quia plus eſt in *portentoſo,* quam *parvo* vel *pravo.* Ern. *Pravum* non omnino *deforme* eſſe poteſt, neque etiam *acutum.* At *portentoſum* referri poteſt ad magnitudinem capitis minorem quam pro corporis modo, ſeu ad aliam rem quamcumque.

Dum ex eo quaerit] Non bene Latinum hoc eſt. Vera Latinitas poſtulat, *auditus eſt, quum ex eo quaereret.* Si Suetonius ſcripſit, ut editur, eſt exemplum iam vitiatae Latinitatis. Ern. Cicero quidem non ita conſtruit; ſed id faciunt poetae Ciceronis fere aequales, ac poſtea multi ſcriptores, ut Tacitus, apud quem et ipſum editores Ciceronianos offendebat haec conſtructio. Conf. I. H. Voſſii notam ad Virg. Georg. 4. fin.

Ordinatione proxima] Vide ad Veſp. c. 23. Ern.

Paene iuſtarum claſſium] H. e. tantarum, atque eo paene numero, quo ſolent eſſe, quae in maritimum ac verum proelium deducuntur. Ern.

Circumſtructo] Intell. ſpectaculis et ſedilibus. Ern.

Perſpectavit] Hoc praetuli cum Burmanno alteri *proſpectavit:* addita verba, *inter maximos imbres,* id poſtulabant. Usque ad finem ſpectaculo interfuit, etſi maximi im-

culares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, ſed quo olim Auguſtus ediderat. In his, Circenſium die, quo facilius centum miſſus peragerentur, ſingulos a ſeptenis ſpatiis ad quina corripuit. Instituit et quinquennale certamen Capitolino Iovi triplex, muſicum, equeſtre, gymnicum, et aliquanto plurium, quam nunc eſt, coronarum.

bres ingruerent, paenulis identidem lumtis, quum ceteris non permitteret. Vide Xiphilin. p. m. 763. Ern.

Anno — quo olim Auguſtus ediderat] Auguſtus edidit a. U. DCCXXXVII., iique fuere, qui ex oraculo quondam inſtituti erant, peſtilentiae depellendae cauſſa, ut docet Zoſimus. Claudius autem edidit a. U. DCCC., iique fuere ſeculares Urbis conditae, quales poſt Philippus Arabs edidit a. U. milleſimo: non deorum, ex illius oraculi praeſcripto, placandorum cauſſa editi. Domitianus Auguſti rationem ſequi ſe velle dicebat. Sed ex illa ratione debuiſſet eos celebrare a. U. DCCCXLVII. Conſtat autem, celebratos ab eo eſſe a. U. DCCCXLI., adeoque ſex annis ante, quam deberet, ſi Auguſti computationem ſequi vellet. Vide Pagium Crit. Bar. ad a. C. 88. Diligentius Auguſti rationem ſecutus eſt poſt Septimius Severus, qui eos celebravit a. U. DCCCCLVII., computans ab anno, quo Domitianus celebrare debuerat. Ceterum quare Domitianus a. XLI., non XLVII. ediderit, neſcio. Per libidinem Domitiani id factum videtur Scaligero de Emend. tempp. p. 486. Ern.

Centum miſſus] Numerum hunc ſecutus videtur Domitianus, quod ſeculum vulgo centum annis definiretur. Alias viginti et quinque miſſus legitimus numerus fuit. Ern.

Capitolino Iovi] Cuius laudes materia perpetua certantium oratorum et poetarum, ut docuere contra Scaligerum Caſaubonus et Burmannus. De agone hoc ipſo, omninoque quinquennalibus agonibus, ab Imperatoribus Romanis inſtitutis, vide Scaligeri immortale opus de Emend. tempp. lib. 5. p. 476. ſeqq. Ern.

Coronarum] Sic pro *coronatorum* reſcripſi, ut de ſententia Torrentii, aut Rob. Steph. Caſaubonus, aliique pauci, e MſT. Lyſer., Vindob. ſec. et Urſini. Recte comparavit Torrentius locum in Ner. c. 22;

Certabant enim et profa oratione Graece Latineque: ac praeter citharoedos chorocitharistae quoque et psilocitharistae: in stadio vero cursu etiam virgines. Certamini praesedit crepidatus, purpureaque amictus toga Graecanica, capite gestans coronam auream cum effigie Iovis ac Iunonis Minervaeque; assidentibus Diali sacerdote, et collegio Flavialium, pari habitu: nisi quod illorum coronis inerat et ipsius imago. Celebrabat et in Albano quot-

ampliare numerum palmarum. Recepit et Oudendorpius. Ern.

Certabant enim] Pro *etiam* dedi *enim* e Mss. pluribus, etiam Lyser., quod ita bene hoc nectitur cum *plurium coronarum.* Ern.

Cursu etiam virgines] Recepi post Casaubonum emendationem certissimam Lipsii, quam non debebant, qui post ediderunt Suetonium, repudiare. Etenim manifestum est, Suetonium primum genera certaminum enumerare, post, quomodo illis Domitianus praesederit. In vulgata lectione, *In stadio vero cursu etiam virginis* (vel *virginum*) *certamini praesedit* etc., primum nulla est legitima constructio: tum illud absurdi consequitur, ut Suetonius narrare tantum voluerit, quomodo huic parti certaminis praesederit; quod est ridiculum, et abhorrens a Suetonii diligentia et eleganti ratione narrandi. Itaque quaecunque dicta sunt ad h. l. praeter Lipsiana, contortissima sunt et inepta. Ceterum lectionem hanc a nobis receptam habet liber Christii, unde ea novum firmamentum accipit. Recepit etiam Oudendorpius. Ern.

Toga Graecanica] Sic etiam Ms. Lyser., item Periz. et Copes. apud Burmannum, et optimus Memmianus. Ceteri *Germanica.* *Togam Graecanicam* interpretantur *pallium*, ut Salmasius, s. *chlamydem*, ut Casaubonus, et Ferrarius, de Re vest. P. I. lib. 2. c. 11. p. 163. Sane, quia *crepidatus* fuit, conveniens est, etiam veste Graeca usum, praesertim quum genus ludorum esset Graecum, et ad imitationem agonum quinquennalium in Graecia institutum. Itaque hanc lectionem in textu stare passus sum. Vide tamen Excursum ad h. l. Ern.

In Albano] Intellige, prae-

annis Quinquatria Minervae, cui collegium instituerat: ex quo ſorte ducti magiſterio fungerentur, ederentque eximias venationes et ſcenicos ludos, ſuperque oratorum ac poetarum certamina. Congiarium populo nummorum trecenorum ter dedit: atque inter ſpectacula muneris largiſſimum epulum. Septimontiali ſacro quidem die, Senatui Equitique panariis, plebei ſportellis cum obſonio distributis, initium veſcendi primus fecit: dieque proximo omne genus rerum miſſilia ſparſit: et quia pars maior intra Popularia deciderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos equeſtris ac ſenatorii ordinis pronuntiavit.

dio, in villa Caeſaris Albana, ſub collibus Albae ſita, ut diſcimus e Statii Euchariſtico Epuli ad Domit. in Silvis 4, 3, 66., in quo carmine etiam magnificentia illius villae deſcribitur. Ern.

Redderentque eximias] Viri docti volunt *ederentque*. Recte; id enim eſt verbum de ea re proprium. Quae Burmannus pro vulgata affert, *reddere* poni pro *dare*, ea nihili ſunt. Etenim non quaeritur hoc, ſed an *reddere ludos* dicatur. Sic placuit et Dukero et Oudendorpio. Mox *trecenorum* dedi pro *trecentorum*, Latinitate iubente, et quibusdam Mſſ. bonis apud Oudendorpium. Ern.

Septimontiali ſacrorum etc.] Hunc locum corruptum eſſe omnes fatentur, ſed in emendando discrepant. Optima eſt haud dubie ſententia eorum, qui legunt, *ſeptimontiali ſacro quidem*, quod et edidit Oudendorpius. Vox *die* abeſt a multis editis et ſcriptis. Ea potuit e ſequentibus *dieque proximo* huc trahi: qua inſerta, conſecuta eſt mutatio verbi *ſacro* in *ſacrorum*. Ceterum mihi in mentem venit, etiam ſic legi poſſe: *ſeptimontiali ſacro, primo quidem die, Senatui* etc. *dieque proximo* etc. Nam ludi poſteriores, quibus miſſilia ſparſit, quo nomine editi ſint, qua de cauſſa dies feſtus fuerit, non intelligitur, niſi ſeptimontii alterum illum diem fuiſſe dicamus: nec illud *die proximo* commodum et aptum eſt, niſi alius dies praecedat; unde et Oudendorpius, etſi recepit il=

5 Plurima et ampliſſima opera incendio abſumpta reſtituit; in quîs et Capitolium, quod rurſus arſerat: ſed omnia ſub titulo tantum ſuo, ac ſine ulla priſtini auctoris memoria. Novam autem excitavit aedem in Capitolio Cuſtodi Iovi, et forum, quod nunc Nervae vocatur: item Flaviae templum gentis, et ſtadium et odium et naumachiam: e cuius poſtea lapide maximus Circus, deuſtis utrimque lateribus, exſtructus eſt.

6 Expeditiones partim ſponte ſuscepit, partim neceſſario: ſponte, in Cattos; neceſſario, unam in Sarmatas, legione cum Legato ſimul caeſa, in Dacos duas: primam, Oppio Sabino Conſulari oppreſſo, ſecundam, Cornelio Fuſco, praefecto cohortium Praetorianarum,

lam lectionem, quam dixi, tamen coniecit *ſeptimontiali ſacro, primoque die,* quod eſt durius. Atque ille primus dies eſt, ut opinor, *epularis dies* c. 13., quod ibi viſum Torrentio. Ern.

Cap. 5. *Sub titulo tantum ſuo*] Nove dictum, pro *ſub nomine tantum ſuo*, in titulo operum ſcil. ſcripto: et ſic aliis fere locis loquitur. Ern.

Excitavit — forum] Non ſatis aptum foro verbum *excitandi* videatur: ſed referendum eſt non tam ad aream, quam ad aedificia circumdata, templa, baſilicas etc.; unde ſaepe apud noſtrum *exſtructa fora* dicuntur. Vide Aug. c. 29. Ern. Scilicet *forum* intelligi nullum poteſt, niſi cinctum aedificiis.

E cuius lapide Circus etc.] Hoc Caryophilus de Marmoribus p. 47. perperam ita accipit, ac ſi Domitianus, non Traianus, Circum maximum e lapide naumachiae exſtruxerit. Lapidem autem Tiburtinum fuiſſe putat cum Nardino. Ern.

Deuſtis utrimque lateribus] Sic Tacitus Ann. 6, 45. *deuſta parte Circi.* Sed Mſſ. Lyſcr et Vindob. ſec. habent *deciſis;* quae lectio non commenda. Vide Excurſum. Ern.

Cap. 6. *Oppio Sabino*] Quidam libri *Appio Sabino*, quod et placet Caſaubono, ut conſentiens Eutropio, Faſtis. Sed non conſentiunt ſuper his no-

cui belli ſummam commiſerat. De Cattis Daciſque poſt varia proelia duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo Capitolino Iovi retulit. Bellum civile, motum a L. Antonio, ſuperioris Germaniae Praeſide, confecit abſens, felicitate mira: quum ipſa dimicationis hora reſolutus repente Rhenus tranſituras ad Antonium copias barbarorum inhibuiſſet. De qua victoria praeſagiis prius, quam nuntiis, comperit. Siquidem ipſo, quo dimicatum eſt, die, ſtatuam eius Romae inſignis aquila circumplexa pennis, clangores laetiſſimos edidit: paulloque poſt, occiſum Antonium, adeo vulgatum eſt, ut caput quoque eius apportatum vidiſſe ſe, plerique contenderent.

Multa etiam in communi rerum uſu nova- 7
vit. Sportulas publicas ſuſtulit, revocata coenarum rectarum conſuetudine. Duas Circenſibus gregum factiones, aurati purpureique panni ad quatuor priſtinas addidit. Interdixit hiſtrionibus ſcenam, intra domum quidem exercendi artem iure conceſſo. Caſtrari mares vetuit. Spadonum, qui reſidui apud mangones erant, pretia moderatus eſt. Ad ſummam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, exiſti-

minibus Viri docti, qui Faſtos illuſtrarunt, ut Pagius et Noriſius. Ern.

Cap. 7. *Circenſibus*] Eſt ablativus abſolutus, ut alibi: pro, quum ludi circenſes agerentur. Ern.

Caſtrari mares vetuit] Laudatis ante nos ſcriptoribus, qui huius rei meminere, addendus Philoſtratus in Vita Apollonii lib. 6. c. 17. Ern.

Ad ſummam quandam] Sic e Memmiano cod. recepit Graevius. Sed et vulgatum *quondam* bene ſe habet. Difficile eſt arbitrari; nec refert. Sed quod Dukerus corrigit: *Ac ſumma quondam ubertate vini, frumenti vero in-*

mans nimio vinearum ſtudio negligi arva, edixit: Ne quis in Italia novellaret; utque in provinciis vineta ſucciderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte: nec exſequi rem perſeveravit. Quaedam ex maximis officiis inter libertinos Equitesque Romanos communicavit. Geminari legionum caſtra prohibuit: nec plus quam mille nummos a quoquam ad ſigna deponi; quod L. Antonius apud duarum legionum hiberna, res novas moliens, fiduciam cepiſſe etiam ex depoſitorum ſumma videbatur. Addidit et quartum ſtipendium militi, aureos ternos.

opia, id non diſplicet. Ern. Conf. ad Octav. c. 42. Neque reliqua ſollicitanda puto: ſic enim et alias ponitur *ad* in definiendo tempore.

Inter libertinos — communicavit] Suetonius indicat, contra conſuetudinem ſuperiorum Imperatorum feciſſe Domitianum in eo, quod maxima officia, quae ante ſenatorii ordinis viris tantum mandari conſueverint, etiam equeſtris et libertini ordinis hominibus mandarit. Equites autem et liberti Caeſarum dudum aequati fuerant. Sic Claudii libertus Felix Iudaeae procurationem acceperat, quae alias Equitibus data. Quo minus dubitandum eſt, certiſſimam eſſe lectionem paucorum codicum, qui *Equites* habent, quam et Burmannus, praeter morem ſuum, recepit. *Milites* ſubſtituerunt, qui non concoquebant, libertinos et Equites iungi. Ern.

Geminari legionum caſtra prohibuit] I. e. duas legiones in iisdem caſtris eſſe, ut recte Lipſius et Caſaubonus. Sed debebant addere, id intelligendum tantum de caſtris hibernis, ut ſubiecta cauſſa legis docet, non etiam aeſtivis; in quibus omnes, quae ſub eodem duce erant, legiones ſimul tendebant. Ern.

Ad ſigna deponi] Ut in urbibus ad templa deorum: nam ad ſigna fiebant ſacra, erantque aedis religione. Ern.

Addidit et quartum ſtipendium etc.] Hodie nemo dubitat, poſt Schelii de Milit. r. c. 5. et Gronovii de Pecun. vet. 3, 2. demonſtrationes, milites tum *novem aureos* quotannis, tribus penſionibus, ac-

Ius diligenter et induſtrie dixit, plerum- 8
que et in foro pro tribunali, extra ordinem. Ambitioſas Centumvirorum ſententias reſcidit. Recuperatores, ne ſe perſuſoriis asſertionibus accommodarent, identidem admonuit. Nummarios iudices cum ſuo quemque conſilio no-

cepiſſe: ſingulas penſiones *ſtipendia* dicta: adeoque, tria ſtipendia fuiſſe ternorum aureorum: his tribus penſionibus, ſeu ſtipendiis, Domitianum addidiſſe quartum, h. e. alios tres aureos, ut ſtipendium annuum eſſet duodecim aureorum. Ceterum ſuſpicor, *ternos aureos*, qui explicant quartum ſtipendium, a gloſſatore eſſe, vel e nota marginis; nam inepte additur: quum ſcirent Romae pueri, quantum eſſet ſtipendium quodque. Ern. Merito hanc ſuſpicionem improbat Oudend. Ieiuna eſſet tota narratiuncula ſine iſtis verbis.

Cap. 8. *Ius — dixit, plerumque — ordinem. Ambitioſas* etc.] Sic interpunxi cum Burmanno; quam interpunctionem et Dukerus probabat, et recepit Oudendorpius. Male ante erat, *Ius — dixit. Plerumque — extra ordinem, ambitioſas* etc. De re vide Perizonium de Praetorio p. 748. Ern.

Ambitioſas Centumvirorum ſententias] In quibus manifeſtum eſſet, gratiam potius, quam ius et aequitatem, ſpectatam eſſe a iudicibus. Sic apud Ciceronem ad Div. 6, 6. et 12. *ambitioſae preces et voluntates* ſunt eorum, qui pro aliis ſe deprecatores interponunt, non, quod neceſſitudinis officium poſtulet, ſed gratiae colligendae cauſſa. Ern.

Recuperatores] Sunt iidem, qui Centumviri. e quibus dati iudices in certis cauſſis, recuperatores dicuntur. Id manifeſtum eſt ex eo, quod cauſſae, quas ad recuperatores actas diſcimus e Cicerone, aliisque, velut de ſtatu hominum, quum quaeritur, quid meum, quid tuum ſit etc., centumvirales dicuntur, apud eundem Ciceronem de Orat. 1, 58. Ern.

Perſuſoriis asſertionibus accommodarent] A Mſ. Lyſer. quoque abeſt τὸ *ſemper*, ut a Memm., Cuiac., Voſſ. Itaque delevi. Ortum eſt e pronomino *ſe* et prima ſyllaba praecedentis vocis. *Se* in eodem codice deeſt, ſed id ſervandum. De toto loco vide Excurſum. Ern.

Nummar. iudices etc.] *Nu-*

tavit. Auctor et Tribunis plebis fuit, Aedilem fordidum repetundarum accufandi, iudicesque in eum a Senatu petendi. Magiftratibus quoque urbicis, provinciarumque Praefidibus coercendis, tantum curae adhibuit, ut neque modeftiores umquam, neque iuftiores extiterint: e quibus plerosque poft illum reos omnium criminum vidimus. Suscepta morum correctione, licentiam theatralem promifcue in Equite fpectandi inhibuit. Scripta famofa, vulgoque edita, quibus primores viri ac feminae notabantur, abolevit, non fine auctorum ignominia. Quaeftorium virum, quod gefticulandi faltandique ftudio teneretur, movit Senatu. Probrofis feminis lecticae ufum ademit, iusque

marii iudices funt pecunia corrupti; de quo non eft dubitandum. Vide Cic. pro Cluent. c. 27. In hoc ergo nulla difficultas. Sed quid fit illud, *cum fuo quemque confilio*, dubitari poteft, de quo vide Excurfum. Ern.

Aedilem fordidum] Qui, pecunia accepta, contra officium aliqua in re egiffet. Sic apud Ciceronem ad Att. 4, 6. *iudicum fordes* de iudicibus pecunia corruptis. Sic mox c. 9. *fordide facere* de iis, qui pecunias contra leges capiunt. Ern.

Repetundarum accufandi] Burmannus ait, hinc patere, etiam urbanos magiftratus de repetundis accufari potuiffe, nifi improprie locutus fit Suetonius. Enimvero aliunde fatis conftat, de repetundis accufari potuiffe, quicunque pecunias contra leges cepiffent. Cicero quidem Oratione pro Cluentio docet, iudices repetundis accufatos, eisque lites eo nomine aeftimatas fuiffe, qui in cauffa Oppianici iudicaffent. Ceterum haec tota res extraordinaria eft. Nam alias, primo, magiftratus reus fieri non poterat, deinde, de crimine repetundarum ipfe Senatus, ut in aliis cauffis publicis, tum iudicabat. Sed poffunt iudices, qui a Senatu peterentur, etiam intelligi de recuperatoribus, qui non de crimine ipfe iudicarent, fed litem aeftimarent. Vide Tac. Ann. 1, 74. et ibi Gronov. Ern.

capiendi legata hereditatesque. Equitem Romanum, ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimiſſae adulterii crimen intenderat, eraſit iudicum albo. Quosdam ex utroque ordine lege Scantinia condemnavit. Inceſta Veſtalium virginum, a patre quoque ſuo et fratre neglecta, varie ac ſevere coercuit: priora, capitali ſupplicio; poſteriora, more veteri. Nam quum Ocellatis ſororibus, item Varonillae, liberum mortis permiſiſſet arbitrium, corruptoresque earum relegaſſet: mox Corneliam, maximam Virginem, abſolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam, defodi imperavit; ſtupratoresque virgis in comitio

Lege Scantinia] Tirones videant in Clave Cic. Indicem Legg. in h. lege. Ern.

Priora — poſteriora etc.] Male Burmannus *priora* ad patrem, *poſteriora* ad fratrem refert: addens, ſi hoc non ſit, non ſatis ſe capere verba Suetonii. Res ſic intelligenda. *Priora* inceſta ſunt, quae commiſſa erant ante principatum ſuum, ſive, ut accuratius dicam, ante, quam oſtendiſſet, ſe illa inceſta non neglectum, ſed more vetere coerciturum e legibus. *Poſteriora*, quae poſt illud edictum facta eſſent. Id fecit, ne homines dicere poſſent, iniquum eſſe, ſi tam ſevere punirentur, quae ſe paſſae eſſent ad ſtuprum induci, quod, illam priſcam ſeveritatem omiſſam eſſe, viderent; aliter facturae, ſi antea neglecta non fuiſſent inceſta. Planiſſime hunc locum illuſtrat locus inſignis Ciceronis in Verr. 1, 41. 42., ubi reprehendit partem edicti Verrini, in qua ſcriptum fuerat: *qui fecit, fecerit*, oſtenditque omnes leges, etiam earum rerum, quae ſua ſponte ſceleratae ſint, *in poſterum* tempus ſancitas eſſe, nullam praeteritum tempus reprehendere, aut *ante facta* in iudicium vocare. Cui hoc non placet, ſic capiat: quas ab initio punivit, capitali modo ſupplicio affecit, quas poſt, de more vetere. Huic explicationi melius convenit τὸ *varie*, quod inconſtantiam quandam et inaequalitatem indicat. Ern.

Repetitam] Iterum accuſatam: ſi priorem interpretationem probes, non propter ſu-

ad necem caedi, excepto praetorio viro; cui, dubia etiam tum cauſſa, et incertis quaeſtionibus atque tormentis de ſemet profeſſo, exilium indulſit. Ac ne qua religio deûm impune contaminaretur, monumentum, quod libertus eius e lapidibus, templo Capitolini Iovis deſtinatis, filio exſtruxerat, diruit per milites; oſſaque et reliquias, quae inerant, mari merſit.

9 Inter initia usque adeo ab omni caede abhorrebat, ut absente adhuc patre, recordatus Virgilii verſum,

Impia quam caeſis gens eſt epulata iuvencis:

edicere deſtinarit, *ne boves immolarentur*. Cupiditatis quoque atque avaritiae vix ſuſpicionem ullam, aut privatus umquam, aut princeps aliquamdiu dedit; immo e diverſo magna ſaepe non abstinentiae modo, ſed etiam liberalitatis experimenta. Omnes circa ſe largiſſime proſecutus, nihil prius aut acrius monuit, quam ne quid ſordide facerent. Relictas ſibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recepit. Legatum etiam ex teſtamento Ruſci Caepionis, qui caverat, *ut quot-*

perioris temporis inceſtum, de quo accuſata iam fuerat, ſed propter novum; ſin poſteriorem ſequare, de eodem inceſto. *Virginem maximam* intell. Veſtalium. *Maxima Veſtalium* eſt apud Plinium lib. 4. epiſt. 11. Ceterum pro *atque* Dukerus volebat *neque* e Plinio, qui *absentem inauditamque* damnatam ſcribit. Placet. Ern.

Cap. 9. *Privatus*] Vide ad c. 2. Ern.

Immo. e diverſo magna] Sine dubio *e diverſo* eſt gloſſa; nam nil differt ab *immo*. *Magna* recepi e Memmiano, videoque etiam Burmanno magis vulgata. *magnae*, placere. Conf. ad Tit. c. 4. Secutus eſt Oudendorpius. Ern.

annis ingredientibus Curiam Senatoribus certam summam viritim praestaret heres suus, irritum fecit. Reos, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependissent, universos discrimine liberavit: nec repeti, nisi intra annum, eaque conditione permisit, ut accusatori, qui caussam non teneret, exilium poena esset. Scribas quaestorios, negotiantes ex consuetudine, sed contra Clodiam legem, venia in praeteritum donavit. Subsiciva, quae

Ingredientibus] Burmannus explicat: primum Kal. Ianuar. Curiam intrantibus. Ern.

Apud aerarium pependissent] H. e. qui ante quinquennium rei facti essent, sed caussam nondum dixissent: quum interea nomina ipsorum in actis magistratuum, in aerarium de more delatis, inter reos adhuc scripta essent. Genus hoc benignitatis principalis. In Calig. c. 15. *Criminum, si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit.* Sed inprimis huc pertinet locus in Aug. c. 32. *Diuturnorum reorum et ex quorum sordibus nihil aliud, quam voluptas, inimicis quaereretur, nomina abolevit: conditione proposita, ut, si quem quis repetere vellet, par periculum poenae subiret.* Nullo modo autem locus intelligendus de iis, qui aerario debent, quod hi non dicuntur rei. Debitoribus aerarii beneficium tribui non potest, nisi debitum remittendo, ut fecit Augustus. Noster l. c. *Tabulas veterum aerarii debitorum, vel praecipuam calumniandi materiam, exussit.* Si autem remissa sunt debita et inducta: quomodo debitores repeti, velut rei, possunt? Ern.

Negotiantes ex consuetudine] De hoc loco vide Excursum. Ern.

Subsiciva] Quae sint *subseciva*, non indiget explicatione, quando definitio ab ipso Suetonio subiicitur. Graevius duas definitiones *subsecivorum* e vetere Auctore de limitibus affert, quarum altera ab hoc loco alienissima est, ut iam monuit Ritterus, Vir antiqui Iuris consultissimus nobisque amicissimus, ad Novell. Theodos. tit. 10. not. n. Inprimis huc pertinet locus, a Casaubono laudatus, ex Aggeno Urbico, in Frontinum, in

divisis per veteranos agris carptim superfuerant, veteribus possessoribus, ut usucapta, concessit. Fiscales calumnias, magna calumniantium poena, repressit: ferebaturque vox eius, *Princeps, qui delatores non castigat, irritat.*

10 Sed neque in clementiae, neque in abstinentiae tenore permansit: et tamen aliquanto celerius ad saevitiam descivit, quam ad cupiditatem. Discipulum Paridis pantomimi impuberem adhuc, et quum maxime aegrum, quod arte formaque non absimilis magistro videbatur, occidit: item Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuras; librariis etiam, qui eam descripserant, cruci fixis. Patrem familias, quod *Threcem mirmilloni parem, munerario imparem* dixerat, detractum e spectaculis in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo: *Impie locutus parmularius.* Complures Senatores, in his ali-

quo edictum Domitiani commemoratur, quo subseciva per totam Italiam possidentibus donavit. Exstat etiam epistola Domitiani apud Gruterum Inscr. p. 1031. n. 2., qua de subsecivis, inter Falerienses et Firmanos controversis, rescribit. Ern.

Superfuerunt] Haud dubie legendum *superfuerant.* Ceterum Burmanni coniectura, *utut usu capta*, repugnat rei, inprimis loco Aggeni, in quo est *possidentibus*, h. e. qui tum possidebant. Nec est de nihilo, quod codex Harlem. *veteribus* plane non habet, quamquam nihil obest sententiae, si genuinum est. Ern.

Cap. 10. *Imparem*] Sensus est: non propterea mirmillonem praeferri Threci gladiatori, quod viribus et arte superior, sed, quod ei faveret is, qui munus ederet, h. e. Caesar. Dicto igitur hoc iudicium Domitiani reprehenderat, unde *impie locutus* dicebatur, laesa scilicet Domitiani maiestate. Ern.

Parmularius] Proprie est

quot Conſulares, interemit: ex quibus Civicam Cerealem in ipſo Aſiae proconſulatu; Salvidienum Orfitum, Acilium Glabrionem in exilio, quaſi molitores novarum rerum, ceteros leviſſima quemque de cauſſa: Aelium Lamiam, ob ſuſpicioſos quidem, verum et veteres et innoxios iocos; quod poſt abductam uxorem laudanti vocem ſuam, εὐτακτῶ dixerat: quodque Tito, hortanti ſe ad alterum matrimonium, reſponderat, μὴ καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις; Salvium Cocceianum, quod Othonis Imperatoris patrui ſui diem natalem celebraverat: Metium Pompoſianum, quod haberē imperatoriam geneſin vulgo ferebatur, et quod depictum orbem terrae in membrana, concionesque regum ac ducum ex Tito Livio circumferret, quodque ſervis nomina Magonis et Hannibalis indidiſſet: Salluſtium Lucullum, Britanniae legatum, quod lanceas novae formae appellari *Lucul̃leas* paſſus eſſet: Iunium Ruſticum, quod Paeti Thraſeae et Helvidii Priſci laudes edidiſſet, appellaſſetque eos *ſanctiſſimos viros:* cuius crimi-

Threx, quod hoc genus gladiatorum parmis uteretur: hoc loco eſt *fautor Threcis*. Ern.

Exilio] Legendum *in exilio*, ut voluere Torrentius, Burmannus, poſt et Dukerus et Oudendorpius. Abſorpſit ultima littera verbi praecedentis, ut ſaepe alibi. Ern.

Εὐτακτῶ] Non dubitavi hoc recipere, quod vel Latinis litteris ſcriptum in optimis codd. reperitur, vel veſtigiis ſcripturae corruptae *heu taceo* reſpondet, ſenſumque habet elegantiſſimum, quem primus vidit I. F. Gronovius. Eſt autem, a Venere abstineo: quod faciebant cantores et conſervandae vocis ſtudioſi. Sic acumen dicti facile apparet. *Quaſi quod* delevit Graevius auctoritate cod. Memm. Recte. Eſt enim manifeſte vitioſa tautologia. Abeſt etiam a Lyſer. Ern.

nis occaſione philoſophos omnes Urbe Italiaque ſummovit. Occidit et Helvidium filium, quaſi ſcenico exodio ſub perſona Paridis et Oenones divortium ſuum cum uxore taxaſſet: Flavium Sabinum, alterum e patruelibus, quod eum comitiorum conſularium die deſtinatum, perperam praeco, non Conſulem ad populum, ſed Imperatorem pronuntiaſſet. Verum aliquanto poſt civilis belli victoriam ſaevior, plerosque partis adverſae, dum etiam latentes conſcios inveſtigat, novo quaeſtionis genere distorſit, immiſſo per obſcoena igne, nonnullis et manus amputavit. Satisque conſtat, duos ſolos e notioribus venia donatos, Tribunum laticlavium, et centurionem: qui ſe, quo facilius expertes culpae oſtenderent, impudicos probaverant; et ob id, neque apud ducem, neque apud milites, ullius momenti eſſe potuiſſe.

11 Erat autem non ſolum magnae, ſed et callidae inopinataeque ſaevitiae. Actorem ſummarum, pridie quam cruci figeret, in cubiculum vocavit, asſidere in toro iuxta coegit, ſecurum hilaremque dimiſit, partibus etiam de coena dignatus eſt. Arretinum Clementem conſula-

Paridis et Oenones] Vide Ovid. Heroid. 5. Ern.

Deſtinatum] Deſignatum. Vide ad Caeſ. c. 1. Ern.

Praeco — pronuntiaſſet] In campo, videlicet, Martio. Vide ad Veſp. c. 5. Ern.

Conſcios] Deleri volebat Torrentius, ſed ſervari poteſt. Senſus eſt: dum ceteros conſcios, qui adhuc latebant, inveſtigat. Ern.

E notioribus] Corruptum eſſe arbitror: quid reponendum, nondum occurrit. Ern. *Notioribus* oppoſiti ſunt *obſcuriores*, tritiſſimo uſu.

Cap. 11. *Auctorem ſummarum*] *Actorem* legendum eſſe, omnes fatentur, ſed nemo recipere auſus eſt, niſi Oudendorpius. Ern.

rem, unum e familiaribus et emiſſariis ſuis, capitis condemnaturus, in eadem, vel etiam in maiore gratia habuit, quoad noviſſime ſimul geſtanti, conſpecto delatore eius: *Vis*, inquit, *hunc nequiſſimum ſervum cras audiamus?* Et quo contemptius abuteretur patientia hominum, numquam triſtiorem ſententiam, ſine praefatione clementiae, pronuntiavit: ut non aliud iam certius atrocis exitus ſignum eſſet, quam principii lenitas. Quosdam maieſtatis reos in Curiam induxerat: et quum praedixiſſet, *experturum ſe illa die, quam carus Senatui eſſet*, facile perfecerat, ut etiam more maiorum puniendi condemnarentur: deinde, atrocitate poenae conterritus, ad leniendam invidiam interceſſit, his verbis: neque enim ab re fuerit ipſa cognoſcere: *Permittite, Patres Conſcripti, a pietate veſtra impetrari, quod ſcio, me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam et parcetis oculis veſtris, et intelligent me omnes Senatui interfuiſſe.*

Exhauſtus operum ac munerum impenſis, 12
ſtipendioque, quod adiecerat, tentavit quidem, ad relevandos caſtrenſes ſumptus, militum numerum deminuere: ſed quum et obnoxium ſe barbaris per hoc animadverteret, neque eo ſecius in explicandis oneribus haereret, nihil penſi habuit, quin praedaretur omni modo.

Cap. 12. *Obnoxium ſe barbaris*] Non ſatis tutum a barbaris, ſibi timendos fore barbaros. Exquiſita Latinitate dictum. Vide Viros doctos ad Tib. c. 63. Ern.

In explicandis oneribus] H. e. comparandis pecuniis ad impenſas publicas neceſſariis. *Explicare* et *expedire* propria in ea re verba vide ad Caeſ. c. 4. et alibi. Ern.

Bona vivorum et mortuorum usquequaque, quolibet et accuſatore et crimine, corripiebantur. Satis erat, obiici qualecumque factum dictumve adverſum maieſtatem principis. Confiſcabantur alieniſſimae hereditates, vel uno exſiſtente, qui diceret, audiſſe ſe ex defuncto, quum viveret, *heredem ſibi Caeſarem eſſe.* Praeter ceteros Iudaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt: ad quem deferebantur, qui vel improfeſſi Iudaicam [intra Urbem] viverent vitam, vel disſimulata origine impoſita genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, quum a procuratore, frequentiſſimoque conſilio inſpiceretur nonagenarius ſenex, an circumſectus eſſet. Ab iuventa minime civilis animi, confidens etiam, et quum verbis, tum rebus immodicus. Caenidi patris concubinae ex Hiſtria reverſae, osculumque, ut asſuerat, offerenti, manum praebuit. Generum fratris indigne ferens, albatos et ipſum miniſtros habere, proclamavit: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

Dictumve] Sic libri veteres, teſte Torrentio. Et ſic res poſtulat, non *dictumque*, ut habent vulgati. Sic de eadem re Tib. c. 58. *dictum ullum factumve.* Ern.

Iudaicus fiſcus] Tributum, quod Iudaei pendere tenebantur fiſco. De fiſco Iudaico etiam copioſe ſcripſit Zornius. Addantur Dukerus et Oudendorpius ad h. l. Ern.

Qui vel improfeſſi Iudaicam etc.] Sunt proſelyti: ideoque opponuntur iis, qui origine Iudaica ſunt. Ern.

Intra Urbem] Abeſt Mſſ. Memm., Lyſer., Copeſ. aliisque, teſte Burmanno et Oudendorpio. Credidi abeſſe poſſe. Neque enim arbitrabar, rem non et ad eos pertinere, qui extra Urbem ſic viverent. Placuit et Gronovio et Dukero. Oudendorpius delevit. Illud unum mihi adhuc obſtat, quod intelligi non poteſt, quomodo alicui in mentem venire potuerit, hoc addere. Ern. Ad explicandum ſcilicet.

Principatum vero adeptus, neque in Senatu iactare dubitavit, *et patri se et fratri imperium dedisse: illos sibi reddidisse:* neque in reducenda post divortium uxore edicere, *vocatam eam in pulvinar suum.* Acclamari etiam in Amphitheatro epuli die libenter audiit: *Domino et Dominae feliciter.* Sed et Capitolino certamine cunctos ingenti consensu precantes, ut Palfurium Suram restitueret, pulsum olim Senatu, ac tunc de oratoribus coronatum: nullo responso dignatus, tacere tantummodo iussit voce praeconis. Pari arrogantia, quum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit: *Dominus et Deus noster hoc fieri iubet.* Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi. Ianos arcusque cum quadrigis et insignibus triumphorum per regiones Urbis tantos ac tot exstruxit, ut cuidam Graece inscriptum sit: ΑΡΚΕΙ. Consulatus septemdecim cepit, quot ante eum nemo. Ex qui- 13

Cap. 13. *Vocatam*] Vulgo *revocatam* ex Salmas. coniectura, sed quam nullus codex confirmat. Neque adeo necesse erat sic scribi, quod praecederet *reducenda.*

Epulari die] *Epuli die* habet etiam Ms. Lyscr. cum multis aliis et edd. pr., idque cum Oudendorpio revocavi. Ern.

De oratoribus] Mihi placet, esse dictum pro, e numero oratorum certantium. Ern.

Formalem dictaret epistolam] Dicitur a certa et sollemni formula verborum. Formulam talis epistolae, sed ipsius Domitiani nomine scriptam, habemus apud Gruterum loco supra laudato ad c. 10. Ern.

Quod ante] Burmannus ex antiquis edd. recepit *quot*, post eum Oudendorpius. Non

bus ſeptem medios continuavit: omnes autem paene titulo tenus geſſit: nec quemquam ultra Kalendas Maii: plures ad Idus usque Ianuarias. Poſt autem duos triumphos, Germanici cognomine asſumpto, Septembrem menſem et Octobrem ex appellationibus ſuis, Germanicum Domitianumque transnominavit: quod altero ſuscepiſſet imperium, altero natus eſſet.

14 Per haec terribilis cunctis et inviſus, tandem oppreſſus eſt amicorum libertorumque intimorum conſpiratione, ſimul et uxoris. Annum diemque ultimum vitae iam pridem ſuſpectum habebat; horam etiam, nec non et genus mortis. Adoleſcentulo Chaldaei cuncta praedixerant. Pater quoque ſuper coenam quondam fungis abſtinentem palam irriſerat, ut ignarum ſortis ſuae, quod non ferrum potius timeret. Quare pavidus ſemper atque anxius, minimis etiam ſuſpicionibus praeter modum commovebatur: ut edicti, de excidendis vineis propoſiti, gratiam facere non alia magis re compulſus credatur, quam quod ſparſi libelli cum his verſibus erant:

Κἢν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

adeo improbo, ſed malui retinere vulgatam lectionem *quod.* Ellipſis talis τοῦ *fecit* uſitata Suetonio. Caeſ. c. 26. *Munus populo epulumque pronuntiavit in filiae memoriam, quod ante eum nemo.* Non nego tamen, faciliorem eſſe orationem, ſi *quot* ſcribatur. Ern. Id fecimus ſine ulla dubitatione. De numero agitur, non de re; et *cepit* intell. non *fecit.*

Cap. 14. *Gratiam facere*] *Faceret* eſt in aliquot Mſſ. perperam correctum a librario, qui verbum *credatur* non exſpectabat: quod genus mendae frequens eſt.

Κἢν] *Si me vel ad ra-*

Eadem formidine oblatum a Senatu novum et excogitatum honorem, quamquam omnium talium appetentiſſimus, recuſavit: quo decretum erat, *ut, quoties gereret conſulatum, Equites Romani, quibus ſors obtigiſſet, trabeati et cum haſtis militaribus praecederent eum, inter lictores apparitoresque.* Tempore vero ſuſpecti periculi appropinquante, ſollicitior in dies, porticuum, in quibus ſpatiari conſuerat, parietes phengite lapide diſtinxit, e cuius ſplendore per imagines, quidquid a tergo fieret, pro-

dicem comedas, tamen adhuc edam tantum fructus, quantum opus eſt ad libationem immolando Caeſari. Libatio fiebat defundendo vino in caput immolandae victimae, hinc ἐπισπεῖσαι. Verſus ex Eveno, vetere poeta, quibus vitis minatur capro ſe depaſcenti. Scomma eſt etiam in eo, quod capri libidinoſi. Conf. c. 22. Reperi hoc epigramma etiam apud Schol. in Ariſtophanis Plut. v. 1130. praeter Anthol. et Suidam. Ern.

Excogitatum] I. e. exquiſitum, ut in Calig. c. 22. *excogitatiſſimae hoſtiae.* Sed illud *excogitatum* proprie ita dicitur, ut *repertum,* ſi in poſitivo dicatur. Atque id iam eſt in *novum.* Itaque tamen aliquid deſiderari poteſt: quod moviſſe videtur eos, qui *inexcogitatum* repoſuerunt, quod videntur intellexiſſe, *nondum excogitatum ab aliis.* Illud *adhuc,* vel *antea,* quod Burmannus putabat additurum fuiſſe Suetonium, ſi *inexcogitatum* ſcripſiſſet, non eſt neceſſarium. Nam etiam *inviſitatum* et *inauditum* ſic dicuntur, ut neque *adhuc,* neque *antea* addatur. Unde fit, ut τὸ *inexcogitatum* non adeo abſurdum ſit. Sed quia codd. et edd. veteres in altero conſentiunt, ſervavi. Arbitror tamen, eſſe, compendio ſcripturae, pro *excogitatiſſimum.* Ern.

Tempore vero] Latinitas *vero* hic poſtulat, non *quoque* *Vero* recepit Graevius e margine Memmiani. Sed idem habent etiam alii libri ſcr., ut Lyſcr. Itaque tanto libentius Graevium ſecuti ſumus. Idem fecit Oudendorpius. Ern.

Phengite] Praeter laudatos aliis videndus etiam Solanus ad Luciani Alexandr. c. 21. Ern.

videret. Nec niſi ſecreto atque ſolus pleraſque cuſtodias, receptis quoque in manu catenis, audiebat. Utque domeſticis perſuaderet, ne bono quidem exemplo audendam eſſe patroni necem, Epaphroditum a libellis, capitali poena condemnavit; quod poſt deſtitutionem Nero in adipiſcenda morte manu eius adiutus exiſtimabatur.

15 Denique Flavium Clementem patruelem ſuum, contemptiſſimae inertiae, cuius filios etiam tum parvulos ſucceſſores palam deſtinaverat, et

Receptis quoque] Omnes ante *quidem:* et ſic codices aliis inſpecti. Sed id alieniſſimum eſſe, omnes vident. Itaque iam Caſaubonus repoſuerat *receptisque.* Sed opem fert Ml. Lyſer., in quo clare *quoque:* quam lectionem, ut veriſſimam, recepimus. Probavit eam etiam Oudendorpius, ſed non recipere auſus eſt. Paullo ante etiam, ante *nec niſi,* cum Burmanno, delevimus *τὸ et.* Ern.

Ne bono quidem exemplo] H. e. ne tum quidem, quum beneficium dediſſe videatur domino ſervus, non malum exemplum, quod improbi ſervi imitentur. Ern.

Cap. 15. *Clementem*] Flavii Sabini patrui filium, alteriusque Flavii Sabini (c. 10.) fratrem. Ern.

Contemptiſſimae inertiae] Burmannus putat, reſpici ad eius Chriſtianiſmum, quem cum Iudaiſmo confuderit Suetonius: Iudaeis autem inertiam obiici propter ſabbata. Quae non poſſunt probari. *Inertia* eſt hominum, qui neque poſſunt res magnas appetere ac gerere, nec volunt, a quibus adeo nihil timendum. Φαυλότητα Graeci dicunt et ἀδρανείαν; *inertem,* ἄπρακτον. Unde tanto ſaevior Domitianus, qui notae inertiae hominem, inprimis propinquum, de leviſſima ſuſpicione occidit. *Contemtiſſima inertia* eſt eorum, a quibus nihil timetur. Sic Galba Vitellium in provinciam miſit *contemtu magis quam gratia.* Vitell. c. 7. Ceterum Clementem Chriſtianum fuiſſe conſtat: vulgoque putatur Chriſtianae religionis cauſſa interfectus. In monumento quidem eius, Romae noſtra aetate reperto, martyr dicitur. Vid. ad Veſpaſ. c. 1. Conf., Lami de Erudit. Apoſt. p. 104.,

abolito priore nomine, alterum *Vefpafianum* appellari iufferat, alterum *Domitianum*, repente ex tenuiffima fufpicione tantum non in ipfo eius confulatu interemit. Quo maxime facto maturavit fibi exitium. Continuis octo menfibus tot fulgura facta nuntiataque funt, ut exclamaverit: *Feriat iam, quem volet.* Tactum de caelo Capitolium, templumque Flaviae gentis: item domus Palatina, et cubiculum ipfius: atque etiam e bafi ftatuae triumphalis titulus excuffus vi procellae in monumentum proximum decidit. Arbor, quae privato adhuc Vefpafiano everfa furrexerat, tunc rurfus repente corruit. Praeneftina Fortuna, toto imperii fpatio annum novum commendanti, laetam eandemque femper fortem dare as-

qui ex Hieronymo ep. 27. docet, etiam uxorem eius Chriftianae religionis cauffa in infulam Pandatariam relegatam, fororis autem filiam, Domitillam, in Pontiam, ex Eufebio et martyrologiis. Ern.

Sibi exitum] Ante retinui, quia omnes fere ante Cafaub. editiones habent, et Mff. multi, etfi alterum a Cafaubono et Graevio receptum, *exitium*, verum putabam. Nunc *exitium* recepi, quod ipfum in libris fcr. multis effe vidi: et id fenfus defiderat, ut dudum videram. Nam *exitus* etiam bono fenfu dicitur, et eft finis vitae, feu modus vitae finiendae in univerfum. Sic mox Domitianus dicitur fcifcitatus effe mathematicum: *quis ipfum exitus maneret?* Apud Livium 7, 27. *duorum militum eventus*, in altero mortem, in altero victoriam indicat. Hic autem exitus violentus caedes exprimi debebat, de quo an fimpliciter dicatur *exitus*, praefertim cum verbo accelerandi, dubito. Ern.

Fulgura facta nuntiataque funt] Multi Viri docti correxere *iacta*. Sed et *fulmina fieri* dicuntur, multoque magis *fulgura*, etfi hic fulmina funt. Tum *nuntiari* intelligendum de nuntiatione legitima ad collegium augurum etc. Ern.

Commendanti] Nempe victimis et votis, fimulque de futuro confulenti. Ern.

ſueta, extremo triſtiſſimam reddidit, nec ſine ſanguinis mentione. Minervam, quam ſuperſtitioſe colebat, ſomniavit excedere ſacrario, negantem, ultra ſe tueri eum poſſe, quod exarmata eſſet a Iove. Nulla tamen re perinde commotus eſt, quam reſponſo caſuque Aſcletarionis mathematici. Hunc delatum, nec inficiantem iactaſſe ſe, quae providiſſet ex arte, ſciſcitatus eſt, quis ipſum maneret exitus: et affirmantem, *Fore, ut brevi laceraretur a canibus*, interfici quidem ſine mora, ſed ad coarguendam temeritatem artis, ſepeliri quoque accuratiſſime imperavit. Quod quum fieret, evenit, ut, repentina tempeſtate deiecto funere, ſemiuſtum cadaver diſcerperent canes, idque ei coenanti a mimo Latino, qui praeteriens forte animadverterat, inter ceteras diei fabulas referretur.

Sepeliri] Hic de combuſtione cadaveris capiendum eſt, ut pluribus aliis locis. Sic Graeci τὸ θάπτειν dicunt. Ern.

Deiecto funere] Quid ſit *deiecto funere*, nemo Interpretum dixit. Neque intelligere poſſumus de rogo, ut videntur Viri docti cepiſſe. (Berneccerus quidem in Indice facit formulam: *funus tempeſtate deiicitur.*) Nam ita *cadavere* dicendum fuiſſet, non *funere*. *Funus* eſt totus apparatus ſepulturae. Dicitur quidem etiam de ipſo cadavere, ſed a poetis, ut Prop. 1, 7, 18., et mox diſerta mentio cadaveris. Atque etiam cadaver manſit in rogo, ut auctor eſt Dio Caſſius. Legendum eſt haud dubie: *deſerto funere*, aut *derelicto*. Tempeſtas gravis et repentina fugavit funeris curatores. Interea exſtinguitur rogus imbribus, et canes cadaver ſemiuſtulatum dilacerant: quod, niſi deſeruiſſent ac deſtituiſſent funus, quibus mandatum erat, fieri non potuiſſet. Aſſentitur nobis Oudendorp., verum putans *deſerto*. Ern.

Latino] Eſt nomen mimi, cuius etiam Iuvenalis et Martialis mentionem fecere. Ern.

Pridie quam periret, quum oblatos tuberes ſervari iuſſiſſet in craſtinum, adiecit, *Si modo uti licuerit:* et converſus ad proximos affirmavit, *Fore, ut ſequenti die Luna ſe in Aquario cruentaret, factumque aliquod exſiſteret, de quo loquerentur homines per terrarum orbem.* Ad mediam noctem ita eſt exterritus, ut de ſtrato proſiliret. Dehinc mane haruſpicem ex Germania miſſum, qui conſultus de fulgure mutationem rerum praedixerat, audiit condemnavitque. Ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementius ſcalpit, profluente ſanguine, *Utinam*, inquit, *hactenus.* Tunc horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, ſexta ex induſtria nuntiata eſt. His velut transacto iam periculo laetum, feſtinantemque ad corporis curam, Parthenius cubiculo praepoſitus convertit, nuntians, eſſe, qui magnum neſcio quid afferret, nec differendum. Itaque ſummotis omnibus in cubiculum ſe recepit, atque ibi occiſus eſt. 16

De inſidiarum caediſque genere haec fere divulgata ſunt. Cunctantibus conſpiratis, quando et quomodo, id eſt, lavantemne, an coe- 17

Cap. 16. *Sexta — nuntiata eſt*] Scilicet ab eo, ut opinor, qui miſſus erat in forum ad ſolarium, ut videret, quota hora diei eſſet. Ex quo apparet, horologium in Palatio nondum fuiſſe, quod alioqui ipſe inſpexiſſet Domitianus. Solebant autem mittere in forum ad ſolarium, qui vellent horam accurate ſcire. Vide Burmannum ad Petronii Coenam Trimalc. et Proluſ. noſtram de ſolariis, in qua etiam Burmanni notam ad Petronium de ſolario Trimalcionis adverſus auctorem Chreſtomathiae Petronio-Burmann. defendimus. Ern.

Cap. 17. *Id eſt*] Burmannus pro ſpurio tollendum putat, quod non adeo diſplicet.

nantem aggrederentur; Stephanus Domitillae procurator, et tunc interceptarum pecuniarum reus, confilium operamque obtulit. Ac finifteriore brachio, velut aegro, lanis fafciisque per aliquot dies ad avertendam fufpicionem obvoluto, ad ipfam horam, dolonem interiecit: profeffusque confpirationis indicium, et ob hoc admiffus, legenti traditum a fe libellum, et attonito, fuffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti Clodianus cornicularius, et Maximus Parthenii libertus, et Saturius decurio cubiculariorum, et quidam e gladiatorio ludo, vulneribus feptem contrucidarunt.

Sed quoniam codd. quidam et edd. habent *idem* vel *iidem*, arbitror, a Suetonio datum fuiffe *item*. Primum deliberatum eft de die (quando) et modo caedis patrandae: deinde, quae maxime opportuna diei pars effet. Probavit Oudendorpius. Ern.

Dolonem interiecit] Vulgo *dolum*. Cafaubonus autem, Graevius aliique probant coniecturam Ferrarii: *dolonem interiecit*, quae eft certiffima, ut docemus in Excurfu. Itaque recepimus in contextum. Eam poft vidimus in margine libri veteris apud Chriftium. Imitatus noftrum exemplum eft Oudendorpius. Ern.

Cornicularius] Militum genus, de quo Salmafius ad Solinum egit et alii. Nam *cornicularii* togatae militiae, de quibus eft in Codice Theod. et Iuftin., non funt, ut opinor, huius aetatis, nec huc pertinent: unde male fecere Viri docti, qui hic promifcue fcriptores de utroque genere laudarunt. Ceterum quum non viderem, quomodo huc venerit *cornicularius*, miles, in legione vel cohorte ftipendia faciens, nifi difficile effet intelligere, quomodo librarii vocem notam in rariorem mutaffent, proclivis eram in eam fententiam, ut *cubicularius* legendum putarem. Is potuit a Parthenio, capite coniurationis, adfumi, ut alter, *decurio cubiculariorum*, quia fub difpofitione Parthenii, cubiculo praefecti, erant cubicularii. *Cornicularius* fi verum eft, intell. militem corniculo donatum. Ern.

Puer, qui arae Larum cubiculi ex conſuetudine asſiſtens, interfuit caedi, hoc amplius narrabat, iuſſum ſe a Domitiano ad primum ſtatim vulnus pugionem pulvino ſubditum porrigere, ac miniſtros vocare; neque ad caput quidquam, excepto capulo, et praeterea clauſa omnia reperiſſe: atque illum interim, correpto deductoque ad terram Stephano, colluctatum diu, dum modo ferrum extorquere, modo, quamquam laniatis digitis, oculos effodere conatur. Occiſus eſt quarto decimo Kalendas Octobris, anno aetatis quinto et quadrageſimo, imperii quinto decimo. Cadaver eius, populari ſandapila per veſpillones exportatum, Phyllis nutrix in ſuburbano ſuo Latina via funeravit: ſed reliquias templo Flaviae gentis clam intulit, cineribusque Iuliae, Titi filiae, quam et ipſa educarat, commiſcuit.

Statura fuit procera, vultu modeſto, ru- 18
borisque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: praeterea pulcer ac decens, maxi-

Qui curae Larium etc.] Burmanni coniectura, *cui cura Larium cubiculi* etc., probari non poteſt, quia neceſſarius eſt relativi nominativus *qui:* alioqui nihil eſt, unde pendeat *interfuit.* Ceterum mihi quoque durum et vitioſum videtur *curae Larium asſiſtere.* Legendum eſt haud dubie: *qui arae Larium ex conſuetudine asſiſtens.* Sic in Galb. c. 18. *Fortunae arae adſtat* ſenex atratus, thus tenens et merum. Simile illud Paulli 1 Cor. 9, 13. τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, vel παρεδρεύοντες. Plane probat hanc correctionem Oudendorpius. Ern. Hanc unam omnium certiſſimam emendationem in textu ponere non dubitavimus.

Colluctatum diu, dum — conatur] Haec lectio eſt a Salmaſio e Mſ. Memm. Alii omnes, *colluctatum diu — conatum.* Illud melius, ſed corrigendum *conaretur.* Ern. Verum et uſitatum in talibus locis eſt verbum praeſentis tem-

me in iuventa, et quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat; postea calvitio quoque deformis, et obesitate ventris, et crurum gracilitate: quae tamen ei valetudine longa remacruerant. Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud Senatum sic quondam iactaverit: *Usque adhuc certe animum meum probastis, et vultum.* Calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii ioco vel iurgio obiectaretur: quamvis libello, quem de cura capillorum ad amicum edidit, haec etiam, simul illum seque consolans, inseruerit:

Οὐχ ὁρᾴας, οἷος κᾀγὼ καλός τε μέγας τε;

Eadem me tamen manent capillorum fata, et forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias nec gratius quidquam decore, nec brevius.

19 Laboris impatiens, pedibus per Urbem non temere ambulavit: in expeditione et agmine, equo rarius, lectica assidue vectus est. Armo-

poris, quod scite coniecit Salmasius. Nam in Memm. quoque erat *conatum*.

Cap. 18. *Remacruerant*] Pro simplici *macruerant* positum. Iterum haeret hic Burmannus, qui cum Dukero malebat *emacruerant*. Vide ad Aug. c. 78. ERN.

Decore] Pulcritudine: de cuius fragilitate plena omnia. Sed mihi hoc olim accidit, ut, antequam libros plures inspicerem, mendum typographicum putarem, et corrigerem *decere*. Nec dubito nunc, ita legendum esse. Non de formae universae suavitate et brevitate dicere attinebat, sed parte ea, quae inest in capillis, qui apud Petronium *formae decus* dicuntur. Sensus est: nihil magis decet capillis, sed nulla pulcritudinis

rum nullo, ſagittarum vel praecipuo ſtudio tenebatur. Centenas varii generis feras ſaepe in Albano ſeceſſu conficientem ſpectavere plerique: atque etiam ex induſtria ita quarundam capita ſigentem, ut duobus ictibus quaſi cornua efficeret. Nonnumquam in pueri procul ſtantis, praebentisque pro ſcopulo dispanſam dextrae manus palmam, ſagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent.

Liberalia ſtudia imperii initio neglexit, 20
quamquam bibliothecas incendio abſumptas impenſiſſime reparare curaſſet, exemplaribus undique petitis, miſſisque Alexandriam, qui deſcriberent emendarentque. Numquam tamen aut hiſtoriae, carminibusve noſcendis, operam ullam, aut ſtilo vel neceſſario dedit. Prae-

pars citius perit. Ern. Vix Latinum puto, *decet* res *brevius*.

Cap. 19. *Cornua effingeret*] Arbitror, alteram lectionem *efficeret* potius gloſſam eſſe τοῦ *effingeret*, quam hoc illius, ut volunt Viri docti, etiam Dukerus, qui tamen *effingeret* bene dici et apte huic loco, non negat. Illud enim quis non intelligit? Sic Ner. c. 21. *perſonae effictae ad ſimilitudinem oris ſui*, non *effectae*, ut ibi prope iidem, qui hic, codices habent. Quo loco quum *effictae* praetulerit Burmannus, *effectae* pro gloſſa repudiarit, miror hic *efficeret* recepiſſe, *effingeret* pro gloſſa damnaſſe. Ceterum, quomodo unius eiusdemque ferae caput duobus ictibus, e diverſis locis factis, traiicere ſic potuerit, non intelligo. An, primo ictu traiecto capite, adhuc ſtetit et vixit fera? Ern. Sane ſumma ars et celeritas cogitanda eſt, ut recte accepit Oudendorpius, qui etiam lectioni librorum fere omnium, *efficeret*, auctoritatem reddidit.

Cap. 20. *Deſcriberent*] De bibliotheca Pergamena, quam Cleopatrae donarat Antonius, intelligit Burmannus. Recte. Ern.

ter commentarios et acta Tiberii Caesaris nihil lectitabat: epistolas, orationesque, et edicta alieno formabat ingenio, sermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium. *Vellem*, inquit, *tam formosus esse, quam Metius sibi videtur:* et cuiusdam caput, varietate capilli subrutilum et incanum, *perfusam nivem mulso* dixit.

21 *Conditionem principum miserrimam* aiebat, *quibus de coniuratione comperta non crederetur, nisi occisis.* Quoties otium esset, alea se oblectabat, etiam profestis diebus matutinisque horis: ac lavabat de die, prandebatque ad satietatem; ut non temere super coenam, praeter Matianum malum, et modicam in ampulla potiunculam sumeret. Convivabatur frequenter ac large, sed paene raptim: certe non ultra solis occasum, nec ut postea commissaretur. Nam ad horam somni nihil aliud, quam solus secreto deambulabat.

22 Libidinis nimiae, assiduitatem concubitus, velut exercitationis genus, *clinopalen* vocabat. Eratque fama, quasi concubinas ipse develleret, nataretque inter vulgatissimas meretrices.

Cap. 21. *Matianum*] Ab C. Matio eo nomen habet, cuius est ad Ciceronem elegans epistola. Is instituit tondere arbores, ut hodie fit in hortis urbanis. Ern.

Cap. 22. *Develleret*] I. e. velleret. Codd. et edd. omnes *divelleret;* quod manifeste falsum esse viderunt Viri docti. Quare, quum soleant etiam sine codd. auctoritate *deverti, deripere,* et similia, reponere, ubi sensus postulat, et lex dicendi, pro *diverti* et *diripere:* etiam hic nobis licere putavimus. His scriptis dudum, cognovi e Christio, *develleret* esse in margine ed. Gryph. Ern.

Fratris filiam adhuc virginem, oblatam in matrimonium ſibi, quum devinctus Domitiae nuptiis pertinaciſſime recuſaſſet, non multo poſt alii collocatam, corrupit ultro, et quidem vivo etiam tum Tito: mox patre ac viro orbatam, ardentiſſime palamque dilexit, ut etiam cauſſa mortis exſtiterit, coactae conceptum a ſe abigere.

Occiſum eum, populus indifferenter, mi- 23
les graviſſime tulit, ſtatimque *Divum* appellare conatus eſt: paratus et ulciſci, niſi duces defuiſſent. Quod quidem paullo poſt fecit, expoſtulatis ad poenam pertinaciſſime caedis auctoribus. Contra Senatus adeo laetatus eſt, ut repleta certatim Curia non temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo atque acerbiſſimo acclamationum genere laceraret: ſcalas etiam inferri, clypeosque et imagines eius coram detrahi, et ibidem ſolo affligi iuberet: noviſſime, eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Ante paucos quam occideretur menſes, cornix in Capitolio elocuta eſt, ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit, qui oſtentum ſic interpretaretur:

Nuper Tarpeio quae ſedit culmine cornix,
Eſt bene*, non potuit dicere: dixit,* erit.

Ipſum etiam Domitianum ferunt ſomniaſſe, gibbam ſibi, pone cervicem, auream enatam, pro

Conceptum] Subſtantive capit Burmannus, quomodo dixere Quintilianus in Declam. et Seneca Tragicus: ſed melius puto adiective capi. Ern.

Cap. 23. *Statimque Divum appellare* etc.] In edd. additur *eum* ante *Divum*, ut in MSſ. plerisque. Sed plures etiam omittunt, ut Lyſer., Vindob. etc., quos ſecutus ſum, item Oudendorpius. Puto ſimi-

certoque habuiſſe, beatiorem poſt ſe laetiorem que portendi reipublicae ſtatum. Sicut ſane brevi evenit, abstinentia et moderatione inſequentium principum.

liter ab initio poſt *occiſum* cave deleas. Conf. ad Caeſ. delendum eſſe. ERN. Ibi c. 7.

ERNESTII

EXCURSUS

AD

SUETONII CAESARES.

EXCURSUS I.

AD

CAESAR. C. 20.

Primus instituit, ut acta Senatus et populi diurna conficerentur.

Hic locus a quibusdam in suspicionem vel corruptionis, vel erroris adductus est. Nos sanum esse, et, a Suetonio originem actorum vere tradi, defendemus. Ac primum quidem magnam vim in ea re debet habere Suetonii auctoritas, in cuius virtutibus censetur cumprimis et diligentia in monimentis rerum gestarum investigandis excutiendisque, et in rebus posteritatis memoriae tradendis fides: quas virtutes tanto quisque magis in eo agnoscit, quo magis ingenium ad eas intelligendas notandasque expolivit. Quum autem esset Magister epistolarum apud Hadrianum Imperatorem, habuit ille haud dubie facultatem summam publicarum litterarum inspiciendarum, in quibus et acta Senatus populique numerabantur. Quare nullo modo credibile est, eum vera illorum initia aut ignorasse, aut vere tradere noluisse. Neque ulla, ut opinor, dubitatio de ea re cuiquam esset commota, nisi superiori seculo prolata essent fragmenta quaedam, ut putata sunt, actorum Senatus et populi, quorum alterum ad annum a condita Urbe Roma DLXXXVI., alterum ad annum DCXCII. pertinet, edita illa quum ab aliis, tum a Dodwello in Appendice Praelectionum Camdenianarum et multis notis illustrata, p. 665 — 691. Priorem quidem partem ad hunc Suetonii locum etiam Graevius exhibuit, haud

alio ſane conſilio, quam ut Suetonii locum ſuſpectum redderet. Eſt ſane potentiſſimum adverſus vel fidem vel integritatem ſcriptorum argumentum, quod a publicis rerum monimentis ducitur. Itaque, ſi fragmenta actorum ad illos annos pertinentium habemus, non dubitari poteſt, quin aut a vero aberret Suetonius, quum eorum confectionem primum a Caeſare Conſule a. U. DCXCV. inſtitutam dicit, aut locus Suetonii aliqua corruptionis macula ſit inquinatus. Sed ſalva res eſt, neque, vel illis fragmentis, vel alio idoneo argumento, demonſtrari poteſt, actorum aetatem Caeſaris primum conſulatum ſuperare: ſed contra multa in contrariam partem disputari poſſunt, quibus intelligatur Suetonii fides et confirmetur.

Nam primum, quod ad iactata illa actorum fragmenta attinet, quae maxime Suetonio repugnant, ea haud dubie ab impoſtore aliquo ſunt conficta. Ac mihi quidem fraudis ſuſpicio primum iniecta eſt e loco Livii, de Aemilio Paullo, 44, 22. *Ab hac concione Latinis, quae pridie Kalend. Apr. fuerunt, in monte ſacrificio rite perpetrato, protinus inde et Conſul et Praetor Cn. Octavius in Macedoniam profecti ſunt. Traditum eſt memoriae, maiore, quam ſolita, frequentia proſequentium Conſulem celebratum.* In fragmentis autem ſic eſt: *Pridie Kal. April. Latinae celebratae, et ſacrificatum in monte Albano — — Kal. April. — — Paullus Coſ. et Cn. Octavius Praetor paludati egreſſi, ingente atque inuſitata frequentia proſequente.* Comparare hoc fragmentum inſtitueram cum Livii loco, ad eundem annum pertinente, ut inde argumentum pro Livii fide ducerem, ſi Livius cum hoc monimento conſentiret. Sed, dum Livii fidem ſtabilire cupio, ecce fragmenti fides incipit labare. Illud quidem unusquisque facile intelliget conferendo, aut Livium hinc ſua petiiſſe, aut haec a Livio ſumta: adeo non modo res, ſed verba prope eadem reperiuntur.

Sed mihi posterius longe propius verum videbatur: quod dictio fragmenti aetati Livianae, quam belli Macedonici II., similior est. SCtum quidem Postumianum de Bacchanalibus duodeviginti tantum annis ante annum U. DLXXXVI. factum est. Ab eius autem dictione tantum abhorret dictio fragmenti, ut nullo modo, tam brevi tempore post, scriptum esse possit. Sed quum semel res in suspicionem adducta esset, plura paullatim ut fit, animadverti, quae rem suspectiorem facerent, inprimis contorta illa Dodwelli ratio interpretandi utrumque fragmentum, et cum reliqua historia et antiquitate componendi: donec, e Dukeri ad Liv. 44, 18. admonitu, Wesselingii, τοῦ πάνυ, in Probabilibus, disputationem c. 39. legi: in qua ille pluribus argumentis, aliis tamen, quam quo primum motus fueram, fidem utriusque fragmenti convellit. Ea disputatio impulit labantem iam animum, praesertim quum eam etiam Dukero et Drakenborchio admodum probari viderem: neque quemquam fore arbitror, quin, ea lecta, in eandem sententiam concedat, eaque fragmenta fraudis condemnet.

Ego quidem arbitror, ne rationem quidem ullam probabilem excogitari posse, quare acta illis temporibus confecta sint. Habebant enim tum alium rerum publice gestarum memoriam conservandi modum, uti auctor est Cicero, de Orat. 2, 12. Nam Pontifex Maximus res omnes singulorum annorum domi forisque gestas mandabat litteris, earumque cognoscendarum populo potestatem dabat: iique Annales maximi sunt appellati. Quod quum ita sit, quorsum tandem etiam acta Senatus et populi confecta? Nam, quod Dodwellus, primum a scribis publicis acta illa conscripta, et ex his deinde Annales maximos a Pontifice confectos, putat, p. 652. 654., id totum sine idonea veteris scriptoris auctoritate sumitur, quia, acta iam tum fuisse, fragmentis spuriis creditur. Pontificem rerum publice gestarum adversaria habuisse, e quibus Annales digereret, facile largiar: sed ex actis,

publica auctoritate ſcriptis, Annales repetitos eſſe, id vero probari nullo modo poteſt. Hanc autem rationem conficiendorum Annalium usque ad P. Mucium Pontificem Maximum eſſe uſurpatam, idem ille Cicero tradit, hoc eſt, ad medium prope ſeculum ſeptimum. Fuit enim P. Mucius ille Pontifex Maximus aliquot annis demum poſt conſulatum, qui in a. U. DCXXI. incidit, ut demonſtrat Fr. Balduinus in Iurisprudentia Mucia, p. 63. ed. Hal. Quare vero omiſſus ille mos tum fuerit, haud equidem ſatis ſcio: neque tamen rem nimis a vero abhorrentem dixerit, qui putet, tumultus inteſtinos, qui tum Romae fuerunt, tum forte etiam civilis belli, quod inter Marium et Sullam geſtum eſt, turbas huic inſtituto priſco finem attuliſſe. Illud prope certum arbitror, Caeſarem revocare in conſuetudinem voluiſſe rationem aliquam memoriae publicae retinendae, eamque ob cauſſam actorum Senatus et populi confectionem publicationemque inſtituiſſe, ut ea Annalium maximorum locum obtinerent.

Quodſi iam tum, quum illud Annalium per Pontificem conficiendorum inſtitutum adhuc manebat, acta Senatus et populi publice perſcripta ſunt: qui fit, ut nemo omnium veterum hiſtoricorum ceterorumque ſcriptorum Romanorum uspiam eorum mentionem in rebus illorum temporum iniiciat: ut nuspiam Polybius, nuspiam Livius, aut Dionyſius, aut Plutarchus, aliive, commemorent, quum ceterorum, inprimis publicorum, monimentorum auctoritate utantur? Quid? quod mihi Cicero videtur, illo in loco, ubi uſitatum olim memoriae rerum geſtarum publice retinendae modum refert, non immemor futurus fuiſſe actorum, ſi eorum aetas iſta tempora attingeret. Quare, quum ſolos Annales maximos commemoret, magno argumento eſt, acta Senatus et populi diurna antiquioribus temporibus conſcripta et publicata non fuiſſe.

Sed hic exoritur quaedam difficultas ex eo, quod etiam nulla actorum illorum mentio in veteribus libris, medio inter Caesaris consulatum primum et Augusti imperium tempore, reperitur. Nam post illam, quae fit in eo Suetonii loco, in quo vindicando disputatio nostra versatur, prima, si temporis ordinem sequare, quod ego quidem sciam, occurrit apud eundem, in commemoratione institutorum Augusti, Aug. c. 35.: in quibus etiam hoc fuit, *ne acta Senatus publicarentur.* Confecta tum esse acta, satis indicant Suetonii verba. Neque enim revocatam actorum conficiendorum consuetudinem, sed publicandi tantum morem omissum, tradit. Atqui ego non dubitem affirmare, actorum confectionem aliquamdiu ante bellum quidem civile intermissam fuisse. Movent me Ciceronis et Coelii epistolae duae, paullo ante bellum civile, aliquot annis post primum Caesaris consulatum scriptae. Nam in altera, 8, 1., Coelius scribit, se Ciceroni in Ciliciam misisse Commentarios rerum urbanarum, suo iussu suaque impensa a privato homine confectos; in altera autem, 2, 8., Cicero scriptorem illorum commentariorum reprehendit, quod res privatas minutasque, quas scire sua nihil interesset, consignarit. Quodsi tum mos actorum S. P. Q. conficiendorum publicandorumque manebat: quid est, quod non aut Coelius haec potius descripta Ciceroni misit, aut Cicero ea sibi mitti voluit? quid, quod Cicero, quum, ne ea quidem se a Coelio scire velle, scribit, quae quotidie in republica fiant, caussam addit hanc, quod ea alii scribant, non, quod in actis publicis reperiat? Itaque etiam illa *acta urbana,* quae se scribit habere, ad Att. 6, 2., non publica putanda, sed privatim, a servo aut liberto conscripta, quod ipse Dodwellus fatetur, App. p. 652. Mea quidem me coniectura eo ducit, ut putem, Caesaris illi instituto factum esse id, quod aliorum popularium et optimatibus invisorum hominum, non modo institutis, sed etiam legibus, saepe

evenit, ut, magiſtratu ab ipſis depoſito, negligerentur odio auctorum. Satis autem conſtat, ea cum invidia optimatium conſulatum geſtum eſſe a Caeſare, ut, ſtatim a conſulatu depoſito, relatum ſit, de actis conſulatus eius abolendis. Vide Caeſ. c. 23. Iam nihil quidem de ea re decretum eſt per altercationes Senatorum: ceterum, quae in poteſtate Conſulum erant, ex quo genere actorum confectio fuit, ea omitti poterant, vel ſine Senatus decreto. Neque mirandum eſt, ſi tum eius inſtitutum ab infenſis Conſulibus, nihilque ab eo timentibus, neglectum eſt, quum etiam Dictatoris leges, per abſentiam eius, a populo ei obnoxio contemtae ſint, ut ipſe Caeſar queritur apud Ciceronem, ad Att. 13, 7. Poſtea vero, quam ſecundum Conſul factus, Dictatorque adeo creatus fuit, priſtinum illud inſtitutum ſuum in uſum conſuetudinemque videtur revocaſſe, ab eoque tempore actorum conficiendorum mos manſiſſe. Obſtare videatur locus Ciceronis ad Div. 12, 23., ubi acta rerum urbanarum commemorantur: ſed et haec ſimilia Coelianis.

His lectis ac ponderatis, facile, arbitror, intellecturos omnes, non eſſe, quare aut Suetonii in origine actorum Senatus populique diurnorum fidem, aut vulgatae lectionis integritatem in dubium vocemus, recteque teneri, quod a Suetonio accepimus, ut origo eorum actorum in primo Caeſaris conſulatu ponatur.

EXCURSUS II.

AD

CAESAR. C. 43.

Ius laborioſiſſime ac ſeveriſſime dixit.

Non ſatis intelligunt vulgo homines, ne Iuris quidem Conſultos ſe iactantes, quid ſit in veteribus libris *Iurisdictio.* Et iis quidem temporibus, quum libertas rei-

publicae Romanae maneret, quae fuerit iurisdictionis ratio, perſpicue et invictis documentis demonſtravimus in Clave Ciceroniana: quam disputatiunculam valde, quum alii, tum, qui plurimorum inſtar eſt, Geſnerus probavit in Theſauro Latinae Linguae, nuper edi coepto. Sed iurisdictionis ratio paullum mutata eſt ſub Imperatoribus, ſigno ſemel a Caeſare dato. Itaque tenendum eſt, ſub Caeſaribus *iurisdictionem* apud veteres *dupliciter* dici: *primum,* vetere illa, quam demonſtravimus, poteſtate: velut, quum de magiſtratibus ordinariis, vel urbanis, vel provincialibus, dicitur: eſtque iuris, quod vocant, ordinarii: quum aut ipſi decernunt ex edicto, aut iudices dant: *deinde* nova quadam, cum infinita Caeſarum poteſtate invecta: eaque eſt iuris extraordinarii; de quo egimus ad Claudium c. 15. De hac intelligendi ſcriptores, quum Caeſares, aut tribunitiae poteſtatis conſortes, ius dixiſſe, tradunt, velut Aug. c. 33. Claud. c. 14. Ner. c. 15. Domit. c. 8. Nempe arcanum hoc imperii fuit, ex omnibus generibus poteſtatis ſumma quaeque et rem ipſam ad ſe trahere, levia et nomina relinquere ordinariis magiſtratibus. Iam quum non dubium ſit, quin magna reipublicae, atque adeo poteſtatis, pars inſit in rebus forenſibus et exercendis legibus, vel iure dicundo, vel quaeſtionibus habendis: utramque rem ſuae poteſtatis ac ditionis Caeſares fecere, ex inſtituto Iulii Caeſaris et Auguſti. Itaque in actu rerum (de quo diximus ad Claud. c. 15.) ponitur etiam *iurisdictio:* de qua e Suetonio dicemus.

Ac primum, quia Caeſar Praetoribus iurisdictionem antiquam reliquit, Auguſtus et ſucceſſores eandem magiſtratibus ordinariis reliquere, ſequitur, ad Caeſaris iurisdictionem ab initio et proprie tantum ea pertinuiſſe, *in quibus a magiſtratibus ordinariis ad eum provocatum eſſet:* quod etiam poſtea obtinuit. Vide Aug. c. 33. Itaque in civilitatis documentis commemorat Suetonius de Caligula, c. 16., quod *magiſtratibus liberam iuris-*

dictionem, et sine sui appellatione, concessit: item, de Tiberio, sub initium principatus, c. 31. *cetera quoque, nonnisi per magistratus, et iure ordinario, agebantur.* Quo tempore adeo Tiberius et Caligula ius non dixerunt. Denique in Augusto, c. 33., quod *appellationes urbanorum litigatorum Praetori urbano, provincialium, Consularibus, provinciae cuique praepositis, delegavit.* Atque haec est proprie dicta iurisdictio Caesarum, eaque ad caussas privatas pertinebat. Sic sumitur *iurisdictionis* verbum in Nerone, c. 15., ubi a cognitione distinguitur. Sic porro in Domitiano, c. 8. Nam exempla subiecta sunt caussarum privatarum: de cognitionibus post agitur, extremo capite.

Sed factum est etiam caussarum, et privatarum et publicarum, discrimen, ut aliae iuris ordinarii essent, agerenturque apud magistratus ordinarios, apud quos de more antiquo agerentur: aliae iuris extraordinarii, de quibus Caesares cognoscerent. Hinc *cognitionum* crebra mentio, ita ut a iurisdictione Caesarum distinguatur. Sic Claudius, c. 14., *ius,* dicitur, *et Consul, et extra honorem, laboriosissime dixisse:* mox, *in cognoscendo varius fuisse,* c. 15. Similiter distinguuntur, Ner. c. 15. In Domitiano porro, c. 8., etsi non verbis, at re et loco. In Augusto contra, c. 33., manifeste iurisdictionis nomine cognitiones comprehenduntur, ut exempla subiecta docent. Nam post verba, *dixit autem ius non diligentia modo summa, sed et lenitate,* id confirmat Suetonius exemplis reorum de parricidio et falsi crimine: quae non sunt iurisdictionis proprie sic dictae, sed quaestionis. Iam in loco Caesaris, non dubito, quin similiter eo verbo cognitio comprehendatur. Etsi enim exemplum subiectum sit iurisdictionis proprie sic dictae; tamen Caesarem etiam de quibusdam caussis cognovisse, vel Ligariana caussa docere potest.

EXCURSUS III.

AD

CAESAR. C. 45.

Uſum lato clavo — — ſuper eum cingeretur.

Magna eſt difficultas in eo, quod Caeſar *ſuper latum clavum cingi* dicitur ſolitus. Nam Rubenius aliique capiunt de cingulo, quo ille tunicam conſtrinxerit, quod alii non fecerint. Graevius autem de praecinctione togae intelligit, et ſic duabus tantum rebus notabilem et diverſum ab vulgari conſuetudine cultum facit, nempe tunica manuleata et fimbriata, et cinctura togae laxiori. Ceterum non diffitetur, *ſuper tunicam cingi* eſſe inuſitatum loquendi genus; neque apparere, quare hac cinctura ſuper tunicam notabilis fuerit, quum omnes laticlavii ſuper latum clavum cingerentur. Burmannus autem nihil nobis hic ſuae animadverſionis dedit. Eſt haud dubie probanda Graeviana ratio in eo, quod dupliciter tantum Caeſaris cultum ut notabilem deſcribi dicit, nempe modo tunicae et modo eius cingendae, et quod illud *cingeretur* de praecinctura togae capit: idque manifeſtum eſt ex eo, quod verba, *et quidem*, cogunt referri, *laxiore cinctura*, ad *cingeretur*, idque poſitum eſt pro adverbio *laxius*, quod ſimpliciter ponere potuiſſet Suetonius. Denique Sullae dictum neceſſario poſtulat hoc, ut de praecinctione togae capiamus: alioqui ab re ipſa abhorreret. Reſtat igitur hoc unum, ut quaeramus, quomodo illud *ſuper eum* explicari poſſit commode, ut aliquod genus cingendi intelligatur, quod discrepet a vulgari cingendi conſuetudine. Forte ſic cingebatur, ut tota, ſive, ut Oudendorpio placet, prope tota, tunica tegeretur, nec latus clavus in pectore cerneretur. Nam alioqui ſic cinctos fuiſſe certum eſt, ut clavi cerni poſſent. Quorſum enim lauti homines valde latos feciſſent, ut eſt apud Ciceronem? ſi cerni non poſſent, ſed toga

toti tegerentur. Si ergo ſic cingi ſolitus eſt, ut ea pars lati clavi atque adeo tunicae, quae vulgo adſpectui pateret, cinctu tegeretur, recte ſane dici poteſt, ſuper latum clavum cinctum fuiſſe. Sed hoc doctioribus in hoc genere iudicandum relinquimus.

EXCURSUS IV.

AD

CAESAR. C. 46.

Teſſellata et ſectilia pavimenta.

Breitingerus, Vir doctiſſimus, e Vitruvii 7, 1. oſtendit, ea non, niſi cruſtularum figura, diſtincta fuiſſe: *teſſellata* fuiſſe ſtructa quadratis: *ſectilia* autem variarum figurarum cruſtulis. Ab utroque autem muſivum opus diſtinguit, idque numquam in pavimentis, ſed in cameris, uſurpatum dicit. De teſſellatis et ſectilibus adiuvatur nominibus ipſis. Nam teſſerae luſoriae ſunt quadratae, earumque angulos facit Vitruvius omnes aequales. Sectilibus autem Vitruvius attribuit trigona, rhombos, hexagona. Sed multa tamen contra dici poſſunt. V. g. teſſerulae ſunt in opere vermiculato, ut patet e verſu Ennii apud Cic. Or. 3, 43. Sed in vermiculato opere ſunt effigies et animalium, Plin. 35, 1. Eaeque teſſerae poſt ſub Claudio etiam coepere pingi, Plin. l. c. modo ſile marmoroſo, 33, 12., modo ſinopide, 35, 6., etiam purpura, ibid. 7. Vermiculatum opus autem olim pavimentum fuit, unde etiam apud Murat. Inſcr. T. I. p. 314, 2. *vermiculum ſtraverunt:* ſed in parietes poſt migravit Plin. l. c., idque haud dubie eſt opus muſivum. Aequalitas autem angulorum, quam in teſſellis requirit Vitruvius, non ſtatim arguit figuram quadratam: nam etiam trigonorum et hexagonorum aequales anguli eſſe poſſunt. Itaque, ut nunc quidem eſt, maneo in Graeviana ſententia. Ceterum idem Breitingerus recte monet

p. 62., iſta pavimenta circumlata eſſe a Caeſare, ut inde et praetoria ſternerentur, et fierent lithoſtrota ad tribunalia, quale memoratur apud D. Ioannem 19, 3. Appian. B. C. 5. p. 175.

EXCURSUS V.

AD

AUG. C. 31.

Pompeii quoque ſtatuam contra theatri eius regiam etc.

Regiam theatri Pompeiani quam dicat Suetonius, non convenit inter Interpretes. Recte reiecit Caſaubonus Torrentii ſententiam, qui interpretabatur ipſum theatrum, regale opus. Nam ſic poſitus illius ſtatuae ſatis definitus non eſſet. Caſaubonus dicit, praeter alia magnifica opera, theatro circumdata, etiam additam domum magnificam, quae *regiae* nomine affecta ſit. Quod ego ne intelligo quidem. Qualis enim illa domus, cui uſui, quis habitaret? Nihil tale in deſcriptionibus theatrorum occurrit. Ergo interpretati ſumus, poſt alios veteres Interpretes, *baſilicam.* Cuius interpretationis iam rationem reddemus. Maximus ornatus theatrorum extrinſecus acceſſit a porticibus altis et ſpatioſis, et columnis marmoreis ſuspenſis. Eae, quia olim regum palatiis ornandis additae, *baſilicae* dictae. Zoſimus quidem, lib. 5. c. 2., Rufinum, tradens, plebis demulcendae cauſſa aedificaſſe magnificentiſſimam *baſilicam*, appellat βασιλικὴν στοάν. Numi autem, qui baſilicarum formam exhibent, nihil niſi porticuum ſpeciem exprimunt. Talis ergo porticus ſustinebat, ut opinor, extrinſecus aedes impoſitas gradibus theatri Pompeiani, et propter inuſitatam altitudinem magnificentiamque *baſilica,* ſive, *regia theatri* dicebatur. Etiam apud Plinium Epp. 10, 48. ſunt *baſilicae circa theatrum.* Ad certam quidem partem theatri fuiſſe, illud indicat, quod Suetonius locum ſtatuae,

Pompeio pofitae, ita defignat, ut e regione bafilicae fuiffe dicat. Qui locum Plutarchi in Pompeio p. 648. laudarunt, ut *domum* inde exfculperent, aut non infpexerunt locum, aut non intellexerunt. Nam, quae ibi commemoratur domus, eft ea, quam fibi poft exftructum theatrum aedificavit. Nam addit Plutarchus, fuiffe quidem lautiorem ea, quam ante habitaffet, fed tamen mediocrem, nec invidendae magnificentiae, idque dicto eius probat, qui poft Pompeium habuit. Contra mirifice noftram fententiam adiuvat locus, qui laudatur ex Afconio ad Cic. Or. pro Scauro: *In huius domus atrio fuerunt quatuor columnae marmoreae, quae nunc effe in regia theatri Marcelli dicuntur.* Hic vides etiam alia theatra, v. c. Marcelli, regiam habuiffe; deinde in ea fuiffe columnas marmoreas, quae manifefte porticum indicant. Etiam Statius Silv. 1, 1, 22. bafilicam Paulli *regiam* vocat: *belligeri fublimis regia Paulli.*

EXCURSUS VI.

AD

AUG. C. 47.

Provincias validiores — — ipfe fuscepit etc.

Strabonis lib. 17. extr. verba de hac re Latine ex noftra interpretatione fic habent: nam in vulgatis peffime aliquot locis verfa funt: *Ab initio fecit* duas confulares *provincias:* Africam *quidem, quoad eft fub Romanorum poteftate, excepta nempe ea, quae ante Iubae, nunc Ptolemaeo filio, paret:* et Afiam, *intra Halyn amnem, et Taurum montem, exceptis Galatis et gentibus Amyntae parentibus, Bithynia infuper et Propontide.* Decem *porro* praetorias *fecit. In Europa quidem et circumiectis infulis, primum Hifpaniam ulteriorem ad flumen Baetim et Anam: deinde Galliam Narbonenfem: tertiam Sardiniam cum Corfica:*

quartam Siciliam: quintam et ſextam Illyricum, quod eſt finitimum Epiro, et Macedoniam: ſeptimum Achaiam ad Theſſaliam usque, et Aetolos, et Acarnanas, et quasdam Epiroticas gentes, Macedoniae finitimas: octavam Cretam cum Cyrenaica: nonam Cyprum: decimam Bithyniam, cum Propontide, et quibusdam Ponti regionibus. Reliquas provincias habet Caeſar, in quarum nonnullas mittit praeſides e Conſularibus, in nonnullas e Praetoriis, in nonnullas denique etiam ex ordine equeſtri. Dio autem lib. 53. p. 503: *Senatui populoque Africa, Numidia, Aſia; et cum Epiro Graecia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Cyrenaica, Bithynia cum Ponto finitima, Sardinia et Baetica, datae ſunt. Caeſaris autem factae Hiſpaniae, quod reliquum erat, ut Tarraconenſis et Luſitania, tum omnis Gallia, Narbonenſis, et Lugdunenſis, et Aquitanica, et Celtica, cum iis populis, qui eorum coloni eſſent. Nam Celtae quidam, quos Germanos vocamus, omnem Celticam Rhenanam obtinentes, fecerunt, ut Germania diceretur: ſuperior, quae eſt ad Rheni fontes, inferior, quae usque ad Oceanum Britannicum extenditur. Hae igitur provinciae, et Coeleſyria, et Phoenice, et Cilicia, et Cyprus, et Aegyptus, Caeſaris fuerunt. Poſtea vero Cyprum et Galliam Narbonenſem populo reddidit, pro iisque Dalmatiam ſumſit.* Qui haec duo loca inter ſe conferent, non omnino inter ſe conſentire reperient: cuius rei cauſſa eſt mutatio provinciarum ſubinde facta. Sed haec accuratius exſequi non eſt iam inſtituti noſtri.

EXCURSUS VII.

AD

AUG. C. 58.

Patris patriae cognomen etc.

Rem, quae hic traditur, factam esse Non. Febr., in eo, auctore Ovidio in Fastis, omnes consentiunt. Confirmat etiam nobilis inscriptio apud Gruterum p. 136. n. 2., in qua tamen mensis non exprimitur. Nam sigla *N.* non significat *Non.*, sed *Nefastum* diem, ut docet Perizonius Anim. Hist. p. 313. Sed de anno ambigunt. Vulgo referunt ad a. U. DCCLVIII. Quare? quia eo anno Messala Consul fuit. Quae ratio inbecilla est. Nam etiam a. U. DCCLI. nomen Messalae in Fastis occurrit. Sequenda est igitur inscriptio laudata, quae factum esse docet Augusto XIII. Consule; qui consulatus incidit in a. U. DCCLII. Vide plura apud Perizonium l. c. Non autem video, quare necesse sit, statuere, Messalam, Consulem, Senatus nomine Patris patriae nomen Augusto detulisse, quum taceat Suetonius. Quia ipse Augustus Consul erat, res potuit a Senatu mandari superioris anni Consuli, qui orator esset. Sed alia est inscriptio apud Gruterum p. 226. n. 6. laudata a Casaubono ad h. l., in qua Augustus Cos. XI. Pater patriae dicitur. Casaubonus putat, eam inscriptionem emendandam, aut falsam iudicandam esse. Sed, scilicet, de hac inscriptione idem dicendum, quod de numis, qui Pater patriae nomen habent ante a. DCCLII., nempe, privatorum adulationem, vel pietatem esse, non autem decretum publicum Senatus. Saepe hoc in Imperatoribus, etiam Germanicis, factum est, ut vel honoris vel consuetudinis caussa iis a privatis aut imperitis tituli tribuerentur, qui iis proprie non conveniebant, quosque ipsi non usurpabant. Exemplum praebent numi Vespasiani maioris, in quibus, statim initio imperii, reperitur co-

gnomen Patris patriae, quod tamen, auctore Suetonio c. 4., ſero recepit. Inprimis provinciales ſolebant Imperatoribus titulos tribuere, quos ſuperiores Imperatores uſurparant, quum ipſi non adſciviſſent. Ex quo genere ſunt, ut Pagio placet, Inſcriptiones provincialium, quae Conſtantino M. pontificatum m. tribuunt, quem ille non asſumſit. Vide Pagii Crit. Bar. ad a. III. Ern. Plures errores ſunt in poſteriore parte huius animadverſionis, recteque de iſta inſcriptione ap. Grut. iudicat Caſaubonus.

EXCURSUS VIII.

AD

AUG. C. 74.

Acroamata.

De *Acroamatis* dicere quaedam ſtatuimus, quia nobis videntur Viri docti nondum ſatis iuſtis finibus deſcripſiſſe vim huius verbi. Ac primo *negamus* id, quod plerisque video placere, nuper etiam Geſnero, in Theſauro Linguae Lat., *acroama Latinis dici de re.* Omnia exempla uſurpati huius verbi, quae in illo ditiſſimo Theſauro reperiuntur, manifeſte ſunt de perſonis. Manutius ad Ciceronem pro Sextio c. 54., ut doceat, de re dici *acroama*, affert locum Ciceronis pro Arch. c. 9., qui locus plane contrarium docet. Nam Themiſtocles interrogatus, *quod acroama* libentiſſime audiret, reſpondet: *a quo* ſua virtus optime praedicaretur. An hoc de re capiendum? Non: ſed de homine. Profert deinde locum ex Ariſtotelis Ethicis, ubi ἀκρόαμα et ὅραμα iunguntur, de rebus iucundis auditu et viſu. Sed primum non quaeritur, quomodo in philoſophia ἀκρόαμα dicatur, ſed quomodo in uſu populari et quotidiano, apud hiſtoricos, oratores et poetas; deinde, de Latina conſuetudine maxime. Nam apud Graecos ἀκρόαμα etiam

de rebus dici, non ignoro. Xenophon etiam in Hierone ἥδιστον ἀκρόαμα vocat laudem, quam in Memorr. Socr. 2, 1. ἥδιστον ἄκουσμα vocat. Sed Latini ſimiliter *acroama* non uſurpant. Ego quidem, etſi diligenter attendi, nullum adhuc locum invenire potui, ubi de re dictum ſit. Manebit itaque id, quod poſuimus, dum exempla idonea proferantur. Iſidori autem auctoritas apud me nihil valet contra perpetuum uſum bonorum ſcriptorum. Sunt igitur *acroamata, quicumque ſive in theatro, ſive in convivio, voluptatis cauſſa, audiuntur,* muſici omnes, et ſcurrae, moriones, qui cantu nervorum, tibiarum et vocum, facete ridiculeve dictis, recitatione etiam aliqua, delectant aures. Haec maniſeſta ſunt exemplis a Viris doctis ad h. l. et in Lexicis prolatis. Hoc noſtro loco *acroamata* Geſnerus interpretatur de muſicis: non male, quando ſatis evidens eſt in hanc rem locus Macrobii Saturn. 2, 4. Sed ex eodem loco patet, etiam alia genera acroamatum interpoſita fuiſſe, velut ſcurras, ſimilesque homines, quos hic quoque intelligendos puto. Atque de hoc poſteriori genere capio etiam *feſtivum acroama,* quod e convivio corollarium aufert apud Ciceronem Verr. 4, 22. Probat haec Oudendorpius, qui et laudat Intt. ad Eginhardum Vit. Caroli M. c. 24. Ern. Haec multo doctius erant deducenda: aliquid etiam falſum ineſt. Nam apud Ciceronem quidem p. Arch. c. 9. verbum valet Graeco uſu, quo Xenophon et alii *ſemper* de *re* dicunt ἀκρόαμα et ἄκουσμα. Scriptum enim ſic eſt: *Quod acroama aut* *c u i u s v o c e m libentiſſime audiret.* — *E i u s, a q u o* etc. Adde, quod ex Themiſtoclis, i. e. Graeci hominis, verbis haec Latina facta ſunt.

EXCURSUS IX.

AD

TIBER. C. 16.

Delegatus pacandae Germaniae ſtatus etc.

In huius loci Latinitate primus haeſit Caſaubonus, quod putaret, dicendum, *delegatus pacandus Germaniae ſtatus,* aut, *delegatus pacando Germaniae ſtatui.* Burmannus ſecutus huius auctoritatem, negavit haec Latina eſſe: non *ſtatum delegari,* ſed *munus, negotium ſtatus componendi,* vel *pacandae Germaniae.* Itaque coniicit: *data rurſus tribunitia poteſtate in quinquennium, delegatus Germaniae pacandae ſtatim:* quodſi cui displiceat, iubet poſteriorem Caſauboni emendationem ſequi. Videamus, quid rei ſit. Burmanni emendatio duabus de cauſſis probari non poteſt. Nam primo Suetonius vult commemorare honores habitos Tiberio. In his primo loco ponenda erat tribunitia poteſtas iterum data: ſubiecit poteſtatem extra Urbem: denique miſſos ad eum legatos, tanquam ad collegam imperii. Non igitur locum habent iſti ablativi *data poteſtate;* deinde illud *ſtatim* frigidiſſimum eſt. Atque etiam elegantia quaedam perit, ſi probemus illud Caſauboni *delegatus,* ſcil. Tiberius, *pacando Germaniae ſtatui,* ſublata ſimilitudine membrorum, quam Latini elegantiores et Suetonius curioſe ſequuntur. Neque neceſſe eſt, eam relinqui, Latinitatis cauſſa. Nam, quidquid Burmannus dicat, *res ipſa* non minus poteſt *delegari,* quam *munus, et negotium rei curandae:* in qua forma *delegare* eſt *permittere, attribuere.* Id his exemplis intelligitur. In XII Tabb. *pecunia delegari* dicitur de ſolutione pecuniae. Cicero pro Dom. c. 7. *Delegavi amico locupletiori,* ſcil. Pompeio: quidnam? *frumenti copiam et annonae vilitatem,* quae petebatur a Cicerone: nam hoc ante dixerat; h. e. munus frumentariae

rei et vilitatis efficiendae. Liv. 10, 19. *Omnis rei bene aut secus gestae decus aut dedecus ad L. Volumnium delegatum*, h. e. translatum, Volumnio permissum, attributum. Porro, quoties *bellum* dicitur alicui *delegari* apud Livium et alios, pro cura belli? Quodsi *homo occidendus delegari* potest, Calig. c. 57., h. e. negotium hominis occidendi: cur non et *status pacandus?* Itaque adeo non haesit in huius loci Latinitate magnus Gronovius, ut ad eum potius conformare tentarit locum Livii 29, 20., ubi vide. Sed difficultas est quaedam, quod non negandum in eo, quod dicitur *status Germaniae pacandae:* nam *status componi, pacari* dicitur, non *status pacandae Germaniae.* Itaque probem primam illam Casauboni coniecturam, *pacandus Germaniae status:* nisi forte ὁμοιοτέλευτα fugiens Suetonius sic dixit, de more poetarum, quibus nil frequentius tali modo loquendi, ut sit sensus: *permissus est ei status Germaniae, ut eam pacaret.* Ovid. Fast. 4, 739. *Et tegat ornatas longa corona fores.* Coronae ornant fores nondum ornatas. Ergo longa corona tegit fores, ut sint ornatae, ornandi caussa. Etiam in Caesare Suet. c. 20. dixit: *locatio novorum vectigalium*, pro, locatio nova vectigalium. In Claudio quoque c. 29. *datorum officiorum codicillos* possis capere pro: *datos officiorum codicillos.*

EXCURSUS X.

AD

TIBER. C. 26.

Tertium — — usque in Idus Maias.

Hic locus dupliciter reprehenditur a Viris doctis. Primum ex Inscriptt. Grut. 26, 9., ubi sacrificium dicitur factum XII. Kalendas Mai., Germanico Caes. II., Lucio Seio Tuberone Coss. a. U. DCCLXXI. Nam Germani-

cus habuit in consulatu II. collegam Tiberium Cos. III. Ergo, aiunt, Tiberius tertium consulatum non potuit ad Idus Maias gessisse, si ei Tubero iam ante Kalendas Maias suffectus fuit. Unde Cuperus legi volebat, *usque in Idus Martias:* vide Almelov. Praefat. ad Fastos, et Burmann. ad h. l., qui se vehementer torquet in hac difficultate tollenda, eamque doctioribus tollendam relinquit; sibi enim non satis liquere. Sed tota illa difficultas commentitia est, et ita inanis, ut mirari satis nequeam, quomodo ea in mentem venire tam doctis Viris, aut quomodo eam non facile tollere potuerint. Nempe hic manifeste sermo est de tertio consulatu in principatu gesto, qui est quintus numero, gestus a. U. DCCLXXXIV. cum Seiano, de quo agitur c. 65. Ille autem tertius, quem cum Germanico Cos. II. gessit, est primus in principatu susceptus, paucis, ut ait Suetonius, diebus gestus, et quidem a Kalendis Ianuar. adeoque illo ipso mense depositus. Altera difficultas movetur ex Inscriptione Nolana apud Gruterum p. 1087. n. 1. a Norisio in Ep. Consul. p. 404. (T. XI. Thes. Ant. Graev.) ubi Tiberio Cons. V. suffectus dicitur Faustus Cornelius Sulla VII. Idus Maias. Pagius ad h. a. putat, Suetonium Idus absolute ponere, ut fit a scriptoribus medii aevi. Id recte repudiat Graevius, qui numerum apud Suetonium excidisse putat. Si a Suetonio est vulgata lectio, maior esse debet eius, quam lapidis, auctoritas: neque debet cum Norisio erroris argui: quippe ille inspexit fastos publicos, quorum unica fides. Adiuvatur etiam hoc, quod suffecti Coss. fere Kalendis, Nonis et Idibus, rarissime diebus intermediis, nisi forte mortuo aliquo Consule, inierunt magistratum. Ern. Etiam hoc mutatum est sub Principibus; nihilque verisimilius, quam notam *VII* post *IN* excidisse.

X 2

EXCURSUS XI.

AD

TIBER. C. 34.

Tresque mullos etc.

Burmannus videtur hunc locum ita cepiſſe, quaſi ſinguli mulli XXX millibus emti ſint: quod eſſet ſane incredibile. Tres mulli ab aliquo ganeone hac ſumma emti ſunt, ut in ſingulos dena millia convenirent. Atque haec ſumma non eſt incredibilis. Nam ſi pretium a quinque millibus potuit augeri ad octo millia: cur non etiam ab octo millibus ad decem? Quod ad dubitationem e Tacito motam attinet, ibi etiam *familiae* mentio fit, quae hic nulla eſt. Ergo Tacitus potuit etiam annonam omittere, quam Suetonius memorat. Scriptores in talibus rebus non ſunt nimis diligentes: nec opus eſt, omnes ſpecies in talibus rebus commemorare. Sufficit, genera tradi: delectus partium enarrandarum arbitrarius eſt: ideoque in harum una et item altera tradenda optimi ſcriptores in omni genere hiſtoriae variant: neque is proprie disſenſus dicendus eſt. Quamquam ibi Tiberius non queritur, ſed Senatores: neque tum quidquam, de luxu moderando, decretum: ut adeo non de eadem re ac tempore apud Suetonium et Tacitum agatur. Atque etiam Suetonius diſerte *annonae* et *macelli* mentionem facit. Nam quod Burmannus putat, a verbo *annonamque* novam periodum incipi videri, eamque ob cauſſam legi poſſe *annonam quoque:* primo non neceſſe eſt, τὸ *quoque* ſubſtituere τῷ *que*; nam etiam hoc initio periodi ſtare poteſt, et ſaepe quum ab aliis, tum a Suetonio ponitur, ut ad Neronem c. 38. docebimus: deinde etiam novum verbum requireretur, a quo ſuſtineretur *temperandam.* Nunc manifeſtum eſt, e Suetonii mente, Tiberium, conqueſtum de pretiis Corinthiorum et mullorum, cenſuiſſe, modum ſupellectili adhibendum, et annonam macelli *temperan-*

dam quotannis, h. e. ad formulam certam et moderatam redigendam. Ern. Conf. item, quae Ernestius monuit ad Tac. Ann. 3, 52.

EXCURSUS XII.

AD TIBER. C. 35.

Kalendis Iuliis.

Omnis res pecuniaria alligata erat Kalendis mensium: unde etiam usurae, locaria et similia pecuniarum genera ad menses computabantur, quum apud nos ratio annua obtineat. Itaque pecuniae sub usuris locatae Kalendis. Horat. Epod. 2. extr. Opera aedificanda locata, et conducta Kalendis, et exacta iisdem, non secus ac pecuniae; aut, si quid dilationis daretur, Nonis, Idibus: vide Cic. Verr. 1, 56. Vectigalia locata a Censoribus Kalendis, et quidem Martiis, ut patet e Macrob. Saturn. 1, 12. Etsi autem tantum mensis Martii mentio l. c., tamen analogia moris Romani et censorii, Kalendis factum, suadet credere: nisi, quod l. 15. Digest. de publican. Iduum Martiarum mentio fit, Idibus potius id factum, quia etiam Consules, qui eodem mense quondam dicuntur magistratum auspicati esse, Idibus Martiis auspicati sunt, Liv. 23, 20. 26, 1. 27, 7. Fundos porro et praedia rustica Kalendis locata et conducta, Brummerus docet Diss. de Locatione et Conductione. Iam, quod ad locationes aedium separatim attinet, quum non credibile sit, in singulos menses esse conductas, propter periculum subito emigrandi, quod menstrua ratio afferret, ei rei dictae sunt Kalendae Iuliae, vel solae, vel cum Ianuariis; quae sunt duo utriusque semestris initia. Sed Kalendarum Ianuariarum nulla in hac re mentio, nec eae, propter plures caussas, inprimis illius temporis frigus, aptae huic rei. Kalendae autem Iuliae videntur delectae esse, si

quidem consilio res constituta est, quod tum feriae publicae propter messem. Ceterum potuit accidere, subitis et inopinatis caussis, ut modo citius, modo tardius aedes locarentur: semper tamen dies Kalendarum servatus.

EXCURSUS XIII.

AD

TIBER. C. 37.

Abolevit et vim moremque asylorum.

Quod dicunt, Suetonium errare, qui abolita asyla omnia tradat, quum Tacitus Ann. 3, 60. modum tantum praescriptum doceat, haud dubie ex actis publicis: in eo aliter sentio. Quomodo enim potuit Suetonius, tam diligens scriptor, errare in re ea, quam non minus, quam Tacitus, posset ex actis cognoscere, qui etiam Tacitum in manibus haberet. Atque si alteruter erravit, quae est caussa, quare Suetonius potius erraſſe, Tacitus potius, quam Suetonius, acta consuluisse dicatur? Sed Viri doctissimi non satis attenderunt ad Latinorum consuetudinem loquendi. Nempe, etiamsi non omnia asyla omnino abolita: ita tamen ius illud coercitum, ita ad res paucas restrictum, iis denique conditionibus adstrictum, ut nemo fere auderet ius illud usurpare, idque adeo pro abolito haberetur. Nomen asyli igitur relictum erat templis, *vi ademta:* nec aliud Suetonius abolitum dicit, quam *vim asylorum.* Exemplum simillimum est in tribunatu plebis vetere. Eum sublatum fuisse dicunt scriptores veteres a Sulla, restitutum demum a Pompeio, lege, quam tribunitiam Cicero vocat. Atqui Sulla tribunatum ipsum non sustulit, sed, merum nomen ut esset, fecit, *vi ademta*, ut loquitur Livius in alia re simili 1, 17., sive, *imago sine re*, ut Velleius de hac re dicit, 2, 30. Nam eum modum potestatis tribunitiae fecit, ita

in paucis rebus intercedendi poteſtatem Tribunis reliquit, ut vix auderent Tribuni plebis intercedere in ulla re, ne contra legem Corneliam intercesſiſſe, etiam per calumniam, arguerentur, ut accidit Opimio apud Ciceronem, Verr. 1. extr. Itaque ſublata vis et mos tribunitiae poteſtatis vere dici poterat, etſi Tribuni plebis eſſent nomine. Similiter ergo, quum aſylorum nonnullorum nomen ſupereſſet, uſurpareturque, tamen recte a Suetonio dici potuit Tiberius, *vim* priſtinam aſylorum, et *morem* iuris aſylorum in quacunque re uſurpandi aboleviſſe. Idem ſtatuit Oudendorpius. Ern. Nempe nihil pugnat Suetonius cum Tacito, ſi apud illum legamus *vim,* quod multi et probati codd. habent: ſecus eſt, ſi retineas *ius,* quod ab Erneſtio in utraque editione relictum erat, etſi in huius Excurſus titulo veram lectionem ſecutus eſt.

EXCURSUS XIV.

AD

TIBER. C. 41.

Decurias Equitum ſupplevit.

Decurias iudicum intelligi monuimus in nota ad h. l. Eam ſententiam latius explicabimus, et ſimul ad dubitationes contra eam motas reſpondebimus. Primum igitur ſatis conſtat, *Caeſareae poteſtatis partem eſſe, iudicum decurias recognoſcere et ſupplere.* Itaque ea res *actus rerum* Suetonio vocatur, et ſaepe ab Imperatoribus facta commemoratur. Aug. c. 29. *quo loco iam ſenior ſaepe etiam Senatum habuit, decuriasque iudicum recognovit.* Conf. c. 32. Claud. c. 15. *quum decurias rerum actu expungeret* etc. Conf. Tiber. c. 51. etc. Hinc ſtatim concidit dubitatio Phil. a Turre (Monum. vet. Ant. p. 51.) repetita a Burmanno, quod iudices lecti ſint a Praetore. Nam id liberae tantum reipublicae temporibus factum eſt: poſteaque ius illud ad

Imperatores translatum. (Obiter etiam Iac. Gronovius refellendus, qui lectionem iudicum olim cenſorium munus fuiſſe putat ad Tac. Ann. 3, 30.) Iam nec illud negari poteſt, *Caeſares* etiam *Equites recognoviſſe*, poteſtate ac loco Cenſorum: diſerte Suetonio tradente de Auguſto c. 38. Calig. c. 16. Veſpaſ. c. 9. etc. Ac de Equitibus quidem proprie *centuriae* dicuntur antiquiori Latinitate; ſed tamen etiam *turmae* Aug. l. c., et *decuriae* apud Tacitum Ann. 3, 30. Nam ibi de Equitum recenſu, non iudicum, ſermonem eſſe, inde patet, quod is tribuitur privato: nullum autem locum proferri poſſe arbitror, ubi decuriae iudicum a privato recognitae dicantur. Unde fit, ut verba ipſa, *decuriae Equitum*, in ſe nullum argumentum in utramque partem ſuppeditent. Nam ſi quis vellet dicere, *decurias iudicum* dicendas fuiſſe, ſi de iis ſermo eſſet, non Equitum, ei primum reſponderi poſſet, aut hoc, quia iudices iidem Equites fere eſſent, decurias Equitum de iudicibus dici potuiſſe: aut *Equitum* verbum a gloſſatore adiectum. Sed neutro opus. Etenim etiam apud Tac. Ann. 14, 20. extr. *Equitum decuriae* manifeſte ſunt de iudicibus: *An — — decurias Equitum, egregium iudicandi munus, expleturos* etc. Ergo, quum verba ipſa non ſufficiant ad rem definiendam, aliud reperiendum eſt, unde dirimi cauſſa poſſit. Primum ergo argumentum pro noſtra ſententia ducitur e verbo *ſupplevit*, quod de Senatu et iudicibus dici ſolet, non de Equitibus, quorum certus numerus tum non fuit, ut mortuis aliis novi allegendi fuerint. In Equitum recognitione hoc maxime ſpectatur, utrum ſervandus quisque in ordine ſit, an movendus. Itaque nec *allegi Equites* dicuntur, ſed Senatores et iudices. Tiber. c. 51. Alterum argumentum hinc duci poteſt, quod Suetonius hic eas tantum partes imperii exercendi commemorare voluit, quae maxime neceſſariae eſſent, curarique, niſi ab ipſo Imperatore, non poſſent. Atqui tale eſt iudicum ſupplendorum ne-

gotium: Equitum recognitio privatis mandari potuit, ut vidimus. Tum quae ratio esset, si de censorio illo munere dicere voluisset, quare non potius de Senatu ab ipso non lecto et suppleto, aut saltem de eo quoque diceret. Ita arbitror satis liquere, de iudicum decuriis hic sermonem esse, non Equitum. Oudendorpius tamen vulgari opinioni adhaeret, intelligitque Equites in usum rei militaris. Sed quis hoc docebit, Imperatores suppleviste Equites, qui e sociis essent? Quod porro dicit, non solus Equites iudicasse, id est verum: sed tamen usus loquendi tulit, ut Equitibus simpliciter tribuerentur iudicia. Sic idem Tacitus Ann. 2, 35. *ut absente principe Senatores et Equites possent sua munia sustinere.* Adde Plin. Hist. Nat. 33, 2. Ern. In eandem sententiam concessit Ruhnkenius. Sed nititur vulgaris ratio argumentis minime contemnendis: primum, quod Suetonius aliis omnibus locis, ubi de iudicibus loquitur, *iudicum decurias* dicit, nusquam *Equitum;* deinde, quod illo toto capite agit de re militari, cuius curam minus impune quam iudiciariae abiicere talis princeps potuit: denique *suppleri* cur non dicatur pars exercitus, quum et *legiones* dicantur *suppleri?*

EXCURSUS XV.

AD

TIBER. C. 46.

Comites peregrinationum expeditionumque.

Comites magistratuum provincialium quondam, liberae reipublicae temporibus, dupliciter dictos reperio apud Ciceronem. Nam, interdum eo nomine intelligi video eos, qui cohortem praetoriam constituant, praefectos, medicos, scribas, accensos, haruspices, praecones, ut omnes sciunt. Sed ab hoc genere comites hi Tiberiani originem ducere non potuerunt. Neque hinc orta illa,

quae interdum *cohors Caesaris* dicitur, v. c. apud Tac. Ann. 6, 10. Nam illud genus datum publice et ductum necessario habuitque publice constitutum salarium, neque in amicorum, sed ministrorum numero fuit. Sed comitum nomine etiam, et quidem magis proprie, dicuntur amici, propinqui, philosophi, grammatici, qui cum magistratu in provinciam proficiscuntur, ut cum eo habitent, coenent, (unde c. 61. *convictores Graeculi*, quibus Tiberius maxime acquiescebat) otiumque eius suaviter fallant. Qui mos est valde antiquus. Nam qui Romae, domi suae, habebant alebantque doctos homines, inprimis philosophos et grammaticos rhetoresque, hi eos secum in provincias et expeditiones ducebant, ut alios doctos homines, amicos sibi et familiares. Sic Africanus secum comitem duxit Polybium et Panaetium. In Caesaris comitibus fuit Matius, nullo munere militari, sed tantum consuetudinis cum eo habendae caussa. Sic *Germanici comites et amici* sunt apud Tac. Ann. 3, 13. In his fuere Vitellius, Veranius etc. ibid. c. 10. Conf. Sueton. Ner. c. 5. Atque etiam privati, nobiles et locupletes viri tales homines alebant, et peregrinantes secum in comitatu ducebant, non modo liberae reipublicae temporibus, sed etiam sub Caesaribus, ut e lepido illo Luciani Dialogo patet, de mercede conductis. Ab hoc igitur genere nati et ex hoc genere sunt comites Tiberii, de quibus hic loquitur, non e priori illo, ut vulgo putant. (Vide Burmann. de Vectigal. P. R. p. 115.) Sic c. 56. *Grammaticus* dicitur *e contubernio remotus*. Conf. c. 70. Augustus saltem, ut ex hoc loco facile colligitur, his comitibus suis salaria menstrua dedit, aliisque commodis auxit. Nam Iulius Caesar tantum fortuitis et arbitrariis commodis auxisse videtur. Tiberius, parcior, hoc omisit, et tantum cibaria, puta, frumenti certum modum, (Cic. Verr. 3, 46.) dedit. Quod autem Tiberius tres comitum ordines fecit, id singulare est, nec perpetuum fuit. Nam satis, opinor, contextus docet,

eum hanc distributionem fecisse tum demum, quum pecunia ipsis esset distribuenda, ne omnibus idem daretur: ea distributione autem facta, illud classium discrimen non mansisse. Tantum abest, ut cum Seldeno ad Marm. Oxon. p. 114. ab hoc instituto ductam credamus illam a Constantino institutam comitum in tres ordines distributionem, de qua Eusebius in Vit. Constant. 2, 31. Sic iudicat etiam Gothofredus l. 1. Cod. Theod. de Comitibus et tribb. schol. p. 100., quem vide. Sed occurrunt etiam *amici et cohortes amicorum*, ut dixi, *quae non sunt peregrinationum et expeditionum*, sed *urbanae et aulicae*, de quibus Lipsius agit ad Tac. Ann. 6, 9., ubi tamen, ut alii, haec duo genera confundit, etsi ex illis ipsis amicis urbanis comites lecti. Quod in his quoque ordines et gradus commemorantur, id non hanc vim debet habere, ut credamus, classes proprie sic dictas fuisse: sed est modus loquendi, quo etiam de privatis utimur et uti possumus. Quis enim omnes amicos suos eodem numero habet? et quis non alii plus credit alio? Itaque etiam Curtius ad Graecos, nominatim amicos Alexandri, illas aulae Romanae formulas traduxit, et *cohortem primam amicorum*, et alia similia dixit: unde etiam de hominis illius aetate coniecturam capere licet. Atque etiam paullatim sub Caesaribus mutatam rationem amicorum et comitum arbitror. Nam sub Vespasianis v. c. et sequentibus Imperatoribus amici et comites lecti sunt de Senatu, ut e Tito c. 40. patet, et ordine equestri: et fuere consilium quoddam principis privatum, quod in consiliis capiendis, in caussis cognoscendis adhiberet, ut patet e Spartiani Adriano c. 18., ad quem videndus Salmasius, ut et ad Pollionis Macrinum extr., quo tamen melius distinxit duo illa genera comitum Casaubonus ad Spartiani eundem locum. Tales autem comites Tiberii fuisse non arbitror: sed tales, quales supra dixi, etsi ipse initium huius rei postea videtur fecisse c. 55.: nec doceri posse arbitror, eos temporibus illis e sum-

mis ordinibus lectos, et confilium privatum Tiberii fuisse. His animadverfis, ftudiofi accuratius poterunt in illo loco de amicis, comitibus et cohorte principum versari: qui nondum, quod fciam, fatis diftincte tractatus et expofitus eft.

EXCURSUS XVI.

AD

TIBER. C. 72.

Caftrenfibus ludis.

Torrentius *caftrenfes ludos* fic defcripfit: qui a militibus, illic in ftatione pofitis, more caftrenfi, edebantur: fcilicet, non ut dixiffe aliquid videretur, fed ne taceret omnino. Secuti Interpretes maluerant plane tacere, forte, ut intellexiffe viderentur, quod non poterant explicare. Ex fequentibus intelligas, *venationem* fuiffe. Nam *arena* et *aper* commemorantur. Hoc genus aptiffimum caftris. In Amphitheatro porro ifti ludi editi fint neceffe eft, quia Tiberius edito loco fedet, atque inde fpectat primum, deinde iacula mittit. Amphitheatrum quidem Atellanum commemoratur infra, c. 76. Potuit ergo etiam Circeiis effe. Ac video quidem, Nardinum commemorare Amphitheatrum caftrenfe: fed quod Romae fuerit, nempe in caftris praetorianis, Rom. Ant. 4, 2. p. 157., in quo milites fe putat caedendis beftiis exercuiffe: fed de fola coniectura. Addit hos ludos aliquando Circeiis habitos, quum Tiberius ibi effet. Hoc, Italice dictum, non intelligens Borrichius, in Facie Urbis Ant. c. 7., Tiberium, ait, aliquando hos ludos transtuliffe Circeios: unde exfcripfit more fuo, imperitus compilator, Pitifcus. Et Amphitheatrum quidem Romae fuiffe in caftris praetorianis, credo et fcio: mentio eius etiam apud Herodianum. Claudius etiam ludos gladiatorios in caftris praetorianis edidit quotannis, in

memoriam accepti ibi imperii, ut Suetonius tradit in Claudio c. 21.: ſed primo, illud Tiberii iam aetate fuiſſe, dubitari poteſt; deinde, ſi fuit, Amphitheatrum quidem caſtrenſe dici potuit, ſed non *ludi* ſtatim *caſtrenſes*. Sed in hoc quoque faciles ſimus, ut ludos omnes ibi editos ita dictos credamus: quid Circeii ludi caſtrenſes? Nulla ibi caſtra. Statio militum parva ibi eſſe potuit, ſed quae nec caſtra ampla, nec Amphitheatrum haberet. Unde ergo ibi ludi caſtrenſes? Facile quidem patet, iſtos ludos tum caſu actos eſſe, non Roma eo translatos, quod iniuſſu Tiberii fieri non potuiſſet. Hos ludos autem iniuſſu eius celebratos eſſe, manifeſtum eſt. Nam ſi per ipſum ſtetiſſet, numquam tum ludi acti fuiſſent. Sed quum adventus eius incurreret in ludorum dies, conſulto iis interfuit, ne morbi ſuſpicio eſſet. Fateor, mihi de his ludis non liquere. *Militares ludos* a Severo natali Getae datos, propoſitis praemiis, commemorat Capitolinus in Maximinis c. 2. Sed iis milites inter ſe more Romano armis certarunt, ut ſequentia docent. ERN. Recte, opinor, Oudendorpius et Ruhnkenius iudicant, ludos hos tantum delectationis et otii fallendi cauſſa actos eſſe a militibus ſtationariis, in foro Circeiorum arena ſparſo, adeoque temere hic fingi Amphitheatrum.

EXCURSUS XVII.

AD

CALIG. C. 8.

Apud hibernas legiones etc.

Contra Suetonium, pro Plinio et Tacito, acriter diſputat Lipſius Excurſ. 50. ad Tac. Ann. 1, 41. eiusque rationes refellere conatur: parum, ut opinor, feliciter. Quaedam e. c. videamus. Negat, vulgo non notos fuiſſe natales Caligulae, atque auſum eſſe quemquam, in ver-

ſibus tam impudenter mentiri. Reſpondeo: ſi vir gravis auctor eſſet, non faceret; ſed hi verſus ſunt ἀδέσποτοι. Quid autem poetae non audent adulationis cauſſa? quam impudenter in privatis mentiuntur? quando plus ergo in principibus. Tacitus et Plinius, inquit, copiam et curam inſpiciundorum actorum non habuerunt? Copiam quidem habuerunt: Suetonius maximam, ut qui publicas Caeſarum litteras tractavit. Curam quidem, in hoc capite, non habuiſſe illi videntur, ceſſuri alioqui publicarum litterarum auctoritati, ſi reperiſſent, in Germanici et Fonteii conſulatu Antii natum Caium Caeſarem. Sed Tacitus quidem non ſcribit, quid ipſe de natalibus Caligulae ſentiat, ſed quid vulgus hominum dixerit, quod potuit propter multitudinem liberorum Germanici errare. Mittamus cetera, quae pleraque ſunt fingentis potius, quam docentis, ut: quid ſi eo anno ne quidem natus Caligula, ſed paullo ante? aut paullo poſt? quid ſi abſente patre in caſtris natus eſt, relicta in Germania Agrippina, partui vicina? quid ſi, quae in actis de Caii natalibus ſcripta erant, ad alium pertinebant? Si talibus quaeſtiunculis velimus convellere auctoritatem et fidem diligentiſſimi ſcriptoris, qui oſtendit, ſe de re iſta ſumma cura quaeſiſſe, nihil iam erit, quod non dubium reddi poſſit. Ecce vero, exoritur hic etiam Pagius Crit. Baron. ad a. C. XI. n. 3., qui Plinium quidem et Tacitum cum Lipſio, ſed etiam Suetonium (quanquam non video qua in re, quando, quae dicit, omnia in Lipſium potius et Plinium, quam Suetonium conveniunt) hallucinatum ſcribit. Quomodo ergo? *Caius alio*, inquit, *in loco genitus, alio in loco natus. Incidit eius natale in diem ultimum Auguſti menſis, Germanico et Fonteio Coſſ., ideoque menſe circiter Octobri anni antecedentis, quo Germanicus adhuc in Germania erat, procreatus eſt: ſicque accurate Tacitus ait, hunc in caſtris genitum et in contubernio legionum eductum. Ex quibus tamen verbis perperam infert Lipſius, exiſti-*

masse Tacitum, in Germania Caium natum esse. Versiculi vero laudati neque ei, neque Plinio favent. In castris enim natus idem est, quod in castris genitus, quomodo eos divulgatos existimo, quibusque verbis eos Lipsius ipsemet exhibet. Nova sane ista ratio, et mira. Ergo iam, non ubi nati illustres viri et principes, sed ubi concepti sint, commemorabitur ab Historicis et Poetis? et vulgus conceptionis tempus computabit, ut in laudibus hominum commemoretur? Nihil vidi magis. Nihil dicam amplius. Nam vanitas rationis huius per se patet. Atque etiam *genitos* apud Suetonium esse *natos*, aliis locis doceri potest. Tiber. c. 5. *Servilii Isaurici, Antoniique consulatu genitum scribunt.* Ceterum quod actorum auctoritatem agnoscit, et Antii natum Caligulam statuit, recte atque ordine facit. Videtur autem Agrippina ibi potissimum parere voluisse, propter suavitatem et salubritatem loci notissimam. Manifestum sane est hoc, in actis duorum Caiorum natales proditos exstitisse: alterius maioris Tiburi, alterius minoris Antii. Plures his duobus Caii, Germanici filii, non fuerunt. Constabat porro, Caligulam esse minorem Caium. Ergo sine omni errandi periculo videbat et credebat Suetonius, hunc esse Caligulam, qui Antii natus sit. Conferri etiam possunt, quae super hac re pro Plinio et Lipsio dixit Rezzonicus Disquiss. Plin. T. I. p. 154.

EXCURSUS XVIII.

AD

CALIG. C. 14.

Artabanus, Parthorum rex, etc.

Insignis est h. l. negligentia Virorum doctorum in comparandis inter se scriptoribus. Primo Torrentius laudat Dionem lib. 53. extr., ubi de Artabano quidem, sed de longe alia re, sub Tiberio gesta, sermo: quae nihil huc

pertinet. Ad Vitell. c. 2. porro, hanc rem copiofe narraffe dicunt Iofephum lib. 18. Sed ibi fermo eft de re fimili quidem, et a Vitellio itidem, fed fub Tiberio, gefta. Ad Iofephi autem locum Spanhemii nota Ufferium et Bafnagium laudat, arguentes Iofephum erroris in eo, quod dicat Augufti et Caii fimulacris facrificatum ab Artabano, idque fub Tiberio factum, quum Suetonius et Dio fub Caio factum tradant, fide digniores haud dubie auctores. Sed Dio hanc rem quidem attingit lib. 49. p. 661., addita etiam temporis nota, fed ut tamen manifeftum fit, fermonem effe de re, fub Tiberio gefta, quam ipfe lib. 58. p. 637. feq. ad Tiberii tempora retulerit. Unde mihi aliquando etiam fufpicio orta eft, locum illum in nomine Caii corruptum effe. Ceterum εἰκόνες apud Dionem non funt *ftatuae*, ut Interpres habet, fed illi ipfi, quos dixi, clypei e fignis militaribus fufpenfi. Quod ad disfenfum Iofephi et Suetonii attinet; neuter videtur rem, uti gefta effet, aut ignoraffe, aut, uti noffet, tradere noluiffe. Itaque optimum fuerit, exiftimare, de rebus diverfis loqui utrumque. Olim fummis artibus precibusque Tiberii, a Vitellio invitatus, Artabanus ad ripam Euphratis et colloquium venit, in medio fluminis ponte, ubi etiam convivio excepti funt ab Herode. Hoc tradit Iofephus l. c. c. 4. nil amplius. Nunc autem, quum idem adhuc Vitellius Syriae praeeffet, ultro venit, amicitiam petiit, ipfum flumen transiit, venitque in caftra Romana, et figna adoravit. Ern. Non profecto talis auctor eft Iofephus, ut eius defendendi cauffa rem per fe parum probabilem fingere oporteat.

EXCURSUS XIX.

AD

CALIG. C. 17.

Primum consulatum ex Kal. Iulii etc.

Prima hic Burmanni dubitatio est, quare, quum mense Martio iam mortuus esset Tiberius, Kalendis Iulii demum inierit consulatum: quam dissolvere ille non potuit. Ego solvendam puto sic, ut dicamus, Kalendas Iulias sollemnes inprimis fuisse Consulibus suffectis, sub Augusto inprimis, ut non facile, nisi mortuo aliquo Consule, succederetur ordinariis, nisi Kalendis Iuliis: id quod Fasti consulares planissime demonstrant. Caussa autem eius rei fuit haec, quod eae sunt initium alterius semestris, anno vulgo in duas partes diviso, propter quam caussam etiam locationes et conductiones aedium hac die factas, vidimus Excursu ad Tiber. c. 35. Dio quidem lib. 59. p. 644. diserte tradit, Caium noluisse, popularitate quadam, prius consulatum inire, quam semestre Consulum ordinariorum exiisset, additque, in tot menses iis consulatum datum fuisse: quod de more factum, dubitari nequit. Altera dubitatio nascitur e Claud. c. 14., ubi Claudius dicitur, *novo circa principem exemplo, in locum demortui suffectus esse.* Sed haec facillime tollitur. Nam primo, qui Kalendis Iuliis sufficiuntur, non demortuo sufficiuntur, sed de more, a longo tempore recepto, ut Kalendis Iulii alii Consules procedant, instituto illo ab Augusto propterea, ut honores cum plurimis communicarentur; quod illum de consilio Maecenatis instituisse, e Dione discimus. Tum hic sufficitur Caius, non, currente imperio, sed initiis eius, quae ornari credebantur et illustrari suscipiendo consulatu. Non ergo fefellit Suetonium memoria in illo Claudii loco.

EXCURSUS XX.

AD

CALIG. C. 17.

Ex omnibus duos novissimos coniunxit.

Difficilis locus, quicquid statuas, sive, cum Petavio et Pagio, legendum *tres*, et alterum consulatum ponendum in a. U. DCCXCII., ut privati fuerint Consules a. U. DCCXCI.: sive vulgatum serves, et alterum consulatum tribuas a. U. DCCXCI. Nam has partes si sequare, etiam duo primi coniuncti sunt, quicquid Torrentius dicat, hoc est, duobus continuis annis gesti. Sin sequare Pagium, Latinitas et sensus non videtur pati: *ex omnibus* (h. e. quatuor) *consulatibus*, *tres* (*tantum*: nam id iubet intelligere τὸ *omnibus*) *novissimos coniunxit.* Dixisset etiam fortasse *posteriores*, non *novissimos*. Atque hoc videtur ipse post sensisse Pagius. Nam quum in Dissert. Hypatica sic locum proposuerit: *ex omnibus tres novissimos coniunxit:* in Crit. Baron. ad a. U. DCCXCII. dicit: Norisium in Epistola consulari probasse suam emendationem: *ex omnibus tres ordinarios coniunxit.* Sed ita manet difficultas in verbo *omnibus:* deinde frustra additur *tres*, qui numerus per se intelligitur, si ordinarius primus in a. U. DCCXCII. illigatur: denique, pro *duos novissimos* legere *tres ordinarios*, est vim facere. Itaque proclivis sum in hanc sententiam, ut legendum putem: *ex ordinariis duos novissimos coniunxit.* Ita Panvinii ordo Consulum manet, Latinitas recte se habet, et fecit Suetonius id, quod Burmannus eum facere debuisse dicit, ut consulatus Caii distinxerit in unum suffectum, et tres ordinarios. *Ordinarius consulatus* est Galb. c. 6. Domit. c. 2. Quodsi cum Pighio, Pagio, aliisque Fastorum concinnatoribus et correctoribus secundum consulatum, propter Dionis et antiquorum Fastorum auctoritatem, illiges a. U.

DCCXCII., idque rectum esse constet, malim Suetonium lapsum credere, cum Petavio Doctr. Temp. lib. 10. c. 8.; quod fieri potuit, quam aliquem sensum admittere, quem Latinitas non patiatur.

EXCURSUS XXI.

AD

CALIG. C. 20.

Asticos ludos.

In iudicio huius loci inprimis tenendum esse hoc arbitror: *Ludos, peregre a Caligula editos, fuisse peregrinos, in istis locis, ubi editi sint, usitatos.* Indicio sunt ludi Lugduni editi. Ergo ludi Syracusis editi fuere ludi Graeci, inter Siculos, inprimis Syracusis, sollemnes et usitati. Quo constituto repudiantur primo *hastici* et *Attici*, quae est multorum codd. et edd. lectio, praesertim quum ne explicari quidem, quales fuerint, possit; deinde *Actiaci*, qui placebant Torrentio, praesertim quum repugnet etiam hic locus alii, c. 23. Noti autem contra sunt inter Graecos ludi *astici* et *iselastici* vel *selastici*: quarum lectionum altera est codd. nonnullorum: altera facile corrumpi potuit in *astici* vel *hastici*, propter terminationem vocis antecedentis, prima syllaba excidente. Si *asticos* probemus, cum magno Scaligero et sequaci Casaubono, erunt ludi Graeci, moris Atheniensis, ex eo genere, quod in Urbe agebatur, quod dictum est ἀστυκὸν, sive, ut Stephanus mavult, ἀστικὸν (unde concidit argumentum Graevii contra Scaligerum, quod scriptum sit *asticos*, non *astycos*) ut distinguerentur ab iis, qui extra Urbem celebrarentur. Sic Baccho celebrabant ludos in Urbe et extra Urbem: illi ἀστυκοὶ, hi ἐπὶ Ληναίῳ dicti, vide Casaubonum ad Athen. p. 388. Verum in hac lectione mihi restat hoc dubium, quod ita aut nullum certum genus

ludi indicatur a Suetonio, quod tamen et voluiſſe, et debuiſſe facere videtur: ſunt enim, late ſumto verbo, omnia genera ἀστυκὰ, quae in Urbe aguntur: aut ſola Dionyſia illa urbana ſic dicta intelligenda ſunt. Ea an hic locum habeant, quod videtur velle Scaliger et eius ſequaces, omninoque eſt probandum, adſcita illa lectione, poſſumus videre, indagando, quo anni tempore Caius, Syracuſis commoratus, ludos illos ediderit. Docet autem Suetonius ipſe c. 24., Caium a morte Druſillae, ſororis, impatientia doloris, Urbe profugum, Syracuſas petiiſſe, neque diu ibi moratum eſſe. Ea mors evenit a. U. DCCXCI., parte anni ultima, ut e narratione actorum eius anni apud Dionem colligas. Atqui Dionyſia maiora, quae *aſtica* dicta ſunt, veris initio celebrata fuiſſe conſtat. Contra ludi *iſelaſtici* potuere incidere in quamcunque anni tempeſtatem: et, quum caſu tum celebrandi eſſent, advenienti Imperatori honoris cauſſa deferri, ut iis praeeſſet. Id fieri ſolitum, ut principibus hoc deferretur, docent exempla apud Petavium ad Iulian. Ep. 35., e quibus locis etiam de tempore ludorum cognoſces. Syracuſani fuere coloni Corinthiorum: quare Iſthmios ludos fuiſſe arbitror. *Iſelaſticorum* nomen ſaepe corruptum in antiquis monimentis monet Bouhier in Epiſt. ad Hagenbuchium p. 11. Itaque cum Graevio et Burmanno probo *iſelaſticos*, qui tum celeberrimi et Imperatoribus Romanis grati fuere; unde a Traiano in Bithynia, ab Antonio Puteolis inſtituti. Vide Scaliger de Emend. Temp. lib. 5. p. 477. *Iſelaſtici* autem dicti, quia victores, hieronicae, εἰςελαύνουσιν, h. e. per partem murorum dirutam, velut in triumpho, in urbem vehuntur: cuius generis fuerunt antiquiſſimi Olympici, poſt Pythii, Nemei, Iſthmii, aliique ad eorum ſimilitudinem inſtituti. Ceterum illos, ſive iſelaſticos, ſive aſticos, ludos a Caio Syracuſis inſtitutos eſſe, ut Scaligero l. c. placet, id e loco Suetonii non apparet. Adde Bouhierium Ep. ad Hagenbuchium p. 9.

EXCURSUS XXII.

AD

CLAUD. C. 10.

Prorepsit ad solarium proximum etc.

Viri docti fuerunt, qui e vestigiis codicum scriptorum, qui *scolarium* praeferunt, legerent *scalarium*, valde probante Burmanno, Viro longe doctissimo, eamque sententiam non parum iuvari a Dione Cassio et Iosepho, putarent: quorum alter Antiqq. 19, 3. Claudium latuisse tradit, *κατά τι προςβατὸν ὀλίγαις βαθμίσι χωρίον, in loco, ad quem paucis gradibus adscenderetur:* alter autem lib. 60. init. *ἐν γωνίᾳ που σκοτεινῇ, in angulo quodam obscuro.* Sed non unum tamen obstat, quo me fateor impediri, quo minus eam sententiam probare possim. Nam primo Claudius timore recesserat in diaetam, non, opinor, in prima parte atque aditu Palatii, sed remotiorem, id quod ipsum verbum, *recesserat,* indicat. Audita caede, quum augeretur timor, magis ille latere cupiens, confert se in locum, ubi minus quaeratur aut animadvertatur. Hoc intelligere de scalaribus non possum. Quomodo enim quis in scalis, aut prope scalarum gradus, per quos itur, se putet latere posse? Porro, addit se intra vela foribus praetenta. Hoc quomodo, si *scalarium* legamus, commode interpretabimur? Neque enim vela foribus, qua scalaribus obversae sunt, sed in cubiculum versus, praetenduntur, ut intelligi potest ex iis, quae de velis ianuarum congessit Lipsius ad Tac. Ann. 13, 4. Scalare autem ipsum quas fores habeat, nisi forte in aditu, intra quarum vela nemo se occultet? Iam illud quis non videt, *prorependi* verbum aptius esse, si ad solarium Claudius processit, quam si ad scalaria in interiora domus regressus est? Denique ipsa verbi reponendi forma suspecta esse potest. Veteres enim inscriptiones in singulari numero semper

ſcalare habent. Solum Gloſſarium Labbaei *ſcalarium* praefert, atque id ipſum forte errore auctoris, qui pluralem *ſcalaria* a ſingulari *ſcalarium* duci putabat: uti quidam pro ſingulari *ſcalarium* laudant Vitruvium 5, 6., apud quem tamen ille numerus non reperitur. Et huius tamen Gloſſarii auctoritatem ita amplectitur Lexicon Fabri, ut hanc unam formam, relicta rectiori, ponat. Nam infimae aetatis ſcriptores, qui *ſcalarium* habent, (vide Caugium in Gloſſar. in h. v.) nihil moramur. Neque argumento, quod e Ioſepho et Dione arceſſitur, non ſatis, ut opinor, facere poſſumus. Nam quod Dio eum in obſcuro angulo ſtetiſſe dicit, nihil impedit, quo minus in aditu ſolarii, alicui cubiculo adiuncti, ſe abdiderit. Lampridius quidem c. 14. Elagabalum etiam, prodit, *ſubito militum ſtrepitu exterritum, in angulum ſe condidiſſe, obiectuque veli cubicularis, quod in introitu cubiculi erat, ſe texiſſe.* In quem, quaeſo, angulum? nempe eiusdem cubiculi, in quo erat, ut contextus orationis docet. Neque illi pauci Ioſephi gradus alieni ſunt a ſolarii aditu, ad quod per eos adſcendi potuit.

EXCURSUS XXIII.

AD

CLAUD. C. 20.

Fucinum lacum aggreſſus eſt etc.

Viri docti, Torrentius, Caſaubonus, Graevius, Burmannus, inducti Dionis Caſſii loco, negant, lacus Fucini opus a Claudio perfectum eſſe. In quo mea ſententia ab ipſorum ratione diſcedit. Dico igitur primum: *Suetonium abſolutum opus credidiſſe et prodidiſſe.* Nam, primo, emiſſionem lacus Fucini refert inter Claudii opera perfecta, una cum Oſtienſi portu, et aqua Claudia etc. Deinde, diſerte dicit, poſt undecim annos

abſolutum: tertio, ſollemnitatem emiſſionis addit, c. 21. Quae ſunt omnia eiusmodi, ut indicent, Suetonium de perfectione operis non dubitaſſe, de eaque ex certis et diligenter perſcriptis monimentis prodidiſſe. Nam quod Burmannus e verbo *aggreſſus* argumentum ducit, fallitur. Suetonius voluit indicare, quo conſilio ad opus illud acceſſerit, et dicit: *Fucinum aggreſſus eſt* etc. An vero non aggredimur etiam ea, quae poſt perficimus? Livius 6, 2. extr. *Sed urbem etiam aggreſſus, impetu primo cepit. Adverſus hanc* autem tam perſpicuam *Suetonii affirmationem,* dico ſecundo, *nihil valere Dionem,* qui e poſteriorum temporum ſtatu lacus Fucini videtur collegiſſe, opus abſolutum non fuiſſe. *Neque,* tertio, *obeſt, quod Nerva lacum Fucinum emiſiſſe dicitur* in inſcriptione apud Gudium p. 88, 3.: non, quo fidem inſcriptionis in dubium vocari velim, ſed quod Nervae opus inſtauratio potius operis fuit, quam abſolutio. Nempe tale opus diligentia quadam indigebat, ut conſervaretur, quam ei non praeſtiterunt ſucceſſores Claudii, inprimisque Nero. Auctor rei Plinius Hiſt. Nat. 36, 15. qui *hoc opus deſtitutum eſſe,* ait, *ſucceſſoris odio.* Quodſi aliter ſtatuamus, et Claudio abſolutionem operis negemus, quia a Nerva dicitur emiſſus lacus in inſcriptione: ſequetur, ut etiam Nerva non abſolverit, quia Spartianus tradit, eundem ab Hadriano emiſſum fuiſſe. Sed et hoc non aliter accipiendum, quam, poſt Nervam, deſtitutum opus negligentia Traiani, et ab Hadriano inſtauratum fuiſſe. An vero credibile eſt, ſi Hadrianus illud opus abſolviſſet, Suetonium, qui in Hadriani aula fuit, abſoluti operis gloriam tributurum tam clare Claudio? Maneat ergo, Claudium primum abſolviſſe hoc opus, inſtauraſſe primum Nervam, mox Hadrianum. Similiter aquas Curtias et Caerulas perductas a Claudio, ſed intermiſſas, h. e. neglectas a ſucceſſoribus, nec ſatis diligenter conſervatas, et hinc dilapſas, inſtauravit Veſpaſianus, ut docet inſcriptio apud

Gruterum p. 133, 1. Ern. Conf. Fabretti fingularis libellus de emiffar. lac. Fuc.

EXCURSUS XXIV.

AD

NER. C. 17.

In hoc capite aliquoties reprehendi a ICtis indicavimus Suetonium, quafi lapfum memoria, ut Neroni attribueret, quae fuperiorum Imperatorum effent. De ea re nonnulla univerfe dicemus, ut etiam ad alia hiftoricorum loca intelligenda et vindicanda prodeffe poffint.

Primum igitur mihi ridiculum videtur, dici, Suetonium in his peccaffe memoriae lapfu. Etenim fi quis fcriptor alius generis, orator, philofophus, aut poeta, qui obiter rem talem, tamquam exempli cauffa, attingeret, ἁμαρτήματος μνημονικοῦ argueretur, ferri poffet haec reprehenfio. Nam his non neceffaria eft maxima diligentia, iique exempla fere e memoria depromunt. Itaque videmus et concedimus, eos interdum memoria lapfos in nominibus locorum hominumque, in numeris etc. Sed longe aliter eft in hiftorico diligente, et eo loco, ubi eft fedes propria argumenti alicuius: ibi ineptum effe, aio, memoriae lapfus iactare; veluti in hoc Suetonii loco, ubi Suetonius inftituit commemorare, quid novi in iure conftituerit Nero. Non hic e memoria fcribere poterat, aut fcribebat Suetonius, fed tabulas publicas, quarum copiam fummam habebat, confulebat, et hinc in Commentarios fuos praecipua, a Nerone conftituta, referebat. Si aliter egit, male functus eft hiftorici officio, quod nullo modo credi poteft. Iam illa reprehenfio multo fit abfurdior, fi cogitemus, unde ea ducta fit. Nempe tota commovetur e Digeftis, hoc eft, non e legibus et litteris publicis, fed e libris veterum Iure Confultorum. Quae autem ifta iniquitas et

inſcitia eſt, Iure Conſultorum Commentarios de iure opponere hiſtoricis in rebus hiſtoricis. An hi ſunt homines iſti, qui in rebus hiſtoricis plus fidei habeant, quam ipſi hiſtorici, et ii quidem diligentiſſimi? Ergo Sleidanos, Thuanos, Puſendorfios, aliosque, quamvis inſignes hiſtoricos, memoria lapſos dicemus, ſi qua in re hiſtorica ab iis disſentiant Iuris Conſulti, Finkelthuſii, Schneidewini, Treutleri. Immo vero Iure Conſulti ex hiſtoricis emendandi et redarguendi ſunt, non hi ex illis. Ergo vel ſic totum iſtud reprehenſionum genus concidit. Verum, quoniam priſci illi Iure Conſulti plerumque ſtudioſiores litterarum et doctiores erant, quam noſtri, aequum eſt, ipſis quoque conſuli, quoad fieri poteſt. Dico itaque, talia loca, atque nominatim haec, de quibus ſermo, conciliari poſſe cum locis Iure Conſultorum interpretatione commoda. Ea facilis erit, ſi teneamus, *Iure Conſultos veteres atque etiam alios ſcriptores nomina legum et SCtorum uſurpare non modo de iis, quorum proprie ea ſunt nomina, ſed etiam de his, quibus addita ſunt, vel explicandi, vel emendandi, vel confirmandi cauſſa, et quae ipſis poſtea adiecta ſunt, iisdem de cauſſis.* Hanc obſervationem exemplis quibusdam illuſtrabimus. Tacitus Ann. 13, 42. commemorat *poenam legis Cinciae.* Atqui non modo non conſtat, certam lege Cincia, proprie ſic dicta, poenam fuiſſe conſtitutam, ſed adeo Ulpianus Fragm. 1, 2. auctor eſt, legem Cinciam imperfectam fuiſſe, hoc eſt, nullam poenam conſtituiſſe; hoc enim ICti legem imperfectam dicunt. Ergo *lex Cincia* apud Tacitum ponitur pro Senatus conſulto, quod ad legem Cinciam ſanciendam et emendandam factum erat, in quo poena conſtituta. Plinius porro Paneg. c. 42. *locupletabant et fiſcum et aerarium non tam Voconiae et Iuliae leges* etc. Quis credat, e lege Voconia proprie ſic dicta fiſcum locupletari potuiſſe: quae libera republica ſcripta eſt, quum nullus adhuc fiſcus eſſet. Intelliguntur ergo eo

nomine SCta a principibus ad legem Voconiam facta. Iam quis adeo hofpes eft in Digeftis, quin fciat, faepe *legi Corneliae* tribui, quae poftea principes ei per SCta, aut alia quacunque ratione, addiderunt, ut l. 15. §. 4. l. 25. l. 33. ad L. Cornel. de Falfo. Atque hoc dudum vidit Gothofredus in Quatuor font. Iuris, c. 17., in notis ad Leg. Pap. Popp. Conf. Nordkerk. de Leg. Petron. p. 18. Ex quibus fit, ut poffit Claudius quoque quaedam de fingulis his rebus conftituiffe, quae aucta fint et emendata a Nerone ita, ut Suetonius tradit.

EXCURSUS XXV.

AD

VESPAS. C. 2.

Aedilitatis mox ac praeturae candidatus etc.

Hunc locum corruptum effe, nemo ambigit. Itaque hoc liberius in eo poterimus verfari. Ac primum eum de noftra fententia conftituemus: deinde breviter illuftrabimus, et aliorum fententias refellemus. Sic igitur totum locum legendum putamus: *Quaeftor Cretam et Cyrenas, provinciam, forte cepit: aedilitatis mox, ac praeturae candidatus. Et illam non fine repulfa, fextoque loco, vix adeptus eft: at prima ftatim petitione, et inprimis, Praetor, infenfus Senatui* etc. Primum igitur τὸ *mox* fuo loco reftituimus transpofitione. Intervallum plurium annorum, quod Lex annalis ponit inter quaefturam et aedilitatem, item unius tantum inter hanc et praeturam fecit, ut *mox* ad praeturam transferretur. Sed illi plures anni tum demum quaefturam et aedilitatem intercedunt, ubi quis Quaeftor anno fuo factus eft. Poteft autem Vefpafianus non fuo anno, fed multis annis poft demum Quaeftor factus effe, quod e familia obfcura effet. Porro τὸ *etiam* vitiofum effe,

dudum docti Viri obſervarunt, alio *aedilitatem*, alio *illam*, quod melius, reponente. Noſtra emendatio proxime accedit et ad veſtigia vulgatae lectionis, et ad conſuetudinem Suetonii, rem, ſummatim propoſitam, per partes explicare: in quo addere ſolet etiam *quidem*, ſed non ſemper. Supra Vitell. c. 5. *in provincia — — at in urbano officio*. Conf. c. 9. Denique *at* pro *ac* legendum dudum plurimi viderunt, propter oppoſitionis rationem. Hoc autem certiorem reperient lectores noſtram emendationem, his conſideratis. Primum verba, *non ſine repulſa, ſextoque loco vix*, unice pertinere patet ad aedilitatem, quum propter ſtructurae rationem, tum, quia Praetor dicitur in primis factus eſſe: qui autem ſexto loco ſit Praetor, non ſane ſit in primis: ut nihil dicam de verbis, *prima ſtatim petitione*, quae et ipſa de praetura capienda mox oſtendemus. Dubitationem movet Burmannus inde, quod, ſi ſexto loco Aedilis fuerit, frumenti curam habuerit: quod repugnare loco alteri, c. 5., ubi curam viarum habuiſſe tradatur. Enimvero, unde demonſtrabimus, eos, qui quinto et ſexto loco Aediles creati fuerint, ſemper Cereales fuiſſe? An, quia frumenti cauſſa quintus et ſextus acceſſere, neceſſario ultimus locis electi hanc curam habuere? Non hoc conſequens eſt. Locus, quo quis creatur, tantum indicat, quam quis gratioſus ſit apud eos, qui creant: non quam partem muneris habiturus ſit. Nam nec, qui primus Praetor creatus eſt, ſtatim ſit Praetor primus, ſive urbanus: nec, qui ultimus creatus eſt, illam curam habet, propter quam ultimus locus olim acceſſit. Ubi plures eodem nomine magiſtratus creantur, qui non communiter idem curent, ut Conſules, ſortiuntur illi partes muneris publici, ut Praetores. Ergo Veſpaſiano forte illa viarum cura evenit, etſi ultimo loco creatus erat. Iam verba, *prima ſtatim petitione*, ad nullam aliam rem, niſi ad praeturam referri poſſunt; non ad aedilitatem, ut Burmannus vult. Nam *prima*

petitio Latinis non aliter dicitur, quam hoc ſenſu, ut primum quis aliquem magiſtratum petat, ambiat: dicique de omnibus poteſt, qui primo conatu magiſtratum quemcunque capiunt et ſine repulſa creantur. Ergo *prima petitio* h. l. non eſt aedilitatis, quam non prima petitione conſecutus eſt, ſed poſt repulſam, verum praeturae. Dicit ergo, non modo ſine repulſa, ſed etiam ita factum eſſe Praetorem, ut prius, quam plerique ceterorum, creatus ſit. Eſt ergo manifeſta oppoſitio aedilitatis et praeturae, et quidem duabus rebus: Aedilis poſt repulſam, ultimo loco; Praetor ſine repulſa, priori loco creatus eſt. Ergo neceſſarium eſt, legi *illam* et *at*. Iam debuerat Suetonius dicere: *at prima ſtatim petitione, et in primis praeturam*; ſive, ſi malebat conſtructionem mutare: *Praetor factus, vel, creatus eſt:* orſus deinde eſſet novam ſententiam: *Infenſus Senatui* etc.: ſed maluit hanc partem cum ſequenti ſententia coniungere, ſtudio illius per participia et abſolutos nominativos conſtructionis, et ne bis praeturae mentio facienda eſſet. Etenim ludos Victoriae depopoſcit, quum Praetor eſſet. Ergo ſententia haec eſt: at Praetor ſtatim factus, quum infenſus eſſet Senatui, voluit ei aegre facere, Caii gratiam captando, et depopoſcit ludos Victoriae etc. Cumulatorum talium nominativorum, talisque adeo conſtructionis, a qua melius abstinuiſſet, paſſim apud Suetonium exempla diligens lector animadvertet. Dukerus locum hunc, quem corruptum agnoſcit, ſic conſtitui vult: *Aedilitatis, ac mox praeturae candidatus, illam non ſine repulſa, ſextoque loco, vix adeptus eſt: hanc prima ſtatim petitione et in primis. Praetor* etc. Oudendorpius: *illam non ſine repulſa, ſextoque vix adeptus eſt loco: hanc prima ſtatim petitione et in primis. Praetor* etc. Ern. Non reperit ergo Vir ſummus, quod maxime neceſſarium erat, nec vidit, HANC undecumque erui et referri oportere ad ILLAM. Neque placet conſtructio, *aedilitatis — candidatus* etc.

EXCURSUS XXVI.

AD

VESPAS. C. 22.

Perductae.

Mirum ſane eſt, Viris tantis, quales Caſaubonus et Burmannus fuere, potuiſſe in mentem venire, ut putarent legendum eſſe *perducta.* Ut non dicam, ultra modum ſordidum eſſe, Imperatorem pro concubitu accipere mercedem, idque Suetonium, ut omnium ſordidiſſimum c. 16. commemoraturum fuiſſe: ratio grammatica repugnat. Nam deberet eſſe ab initio, *expugnato* (non *expugnatus*) — — *quum perducta* — *donaviſſet.* Sed Burmannus occurrit ſic, ut dicat: ſi vulgata vera ſit, in ſequentibus eſſe debere *inferri,* non *referri,* item *Veſpaſianus adamatus,* non *adamato.* Ad primum quod attinet, concedimus, *inferri* ſcribendum, ſicque reſcripſimus, poſt Graevium. Ita enim clare codex Memm., ita Mſſ. Torrentii: ſic etiam Mſ. Lyſer. *Summam referre rationibus* non eſt Latinum: ne addito quidem *in,* ut vult Burmannus, ſatis Latinum putem. *In rationes referri* dicitur pecunia. Cicero Verr. 1, 41. *Tutores, quemadmodum eam pecuniam in rationes referrent, non videbant.* Deinde, unde intelligitur, *referri* eſſe pro *acceptum referri*? Etenim, ſive in acceptis, ſive in expenſis aliquid ſcribatur, utrumque *referri* dicitur *in rationes.* At dativus, *Veſpaſiano,* hanc interpretationem poſtulat. Quare? An dicitur tantum, *referre acceptum alicui:* non etiam, *referre expenſum alicui?* Apud Ciceronem pro Flacco c. 19. *referunt operi publico,* non eſt expenſum operi publico, ſive operis publici cauſſa? *Expenſum ferre alicui* quoties eſt apud Ciceronem, pro Roſcio Comoedo, et alibi! Ex quibus fit, ut *perductae* verum ſit. *Veſpaſiano adamato expenſum,* eſt acute dictum. Feminae,

haud dubie nobilis, nomen et cauſſam datae pecuniae in tabulis ſcribi, parum decorum erat. Volebat ergo ſcribi, pecuniam eam propterea expenſam eſſe, quia Veſpaſianus adamatus ſit: eius cauſſa illam pecuniam conſumtam eſſe: plane ut in illo *operi publico referri.* Ceterum ſentit nobiscum Dukerus, probatque Oudendorpius.

EXCURSUS XXVII.

AD

TITI C. 9.

Ferramenta pugnantium.

Manifeſtum primo eſſe arbitror, ſolos gladios hic intelligendos eſſe. Etenim Aurelius Victor diſerte gladios nominat, et res eſt eiusmodi, ut gladii ſoli intelligi poſſint. Volebat porro docere Titus, ſe nihil ab iis timere: quod, nulla alia parte ornatus gladiatorii porrigenda, efficere poterat. Neque vero quicquam, mos erat, inſpiciendum praebere, praetor gladios: nam ceterorum nulla vis in pugnando. Tum reliquus ornatus gladiatorum ab Imperatore ipſo, quum editor muneris eſſet, ſuppeditabatur; unde *apparatus aulicus* dicitur, (Domit. c. 4.) nec opus erat, eum inſpici. His poſitis, quaeramus, an gladii ſoli poſſint *ornamenta pugnantium* dici. Id ego vero prorſus nego. In omnibus exemplis, quae proferuntur, plurimum aliquis confidat exemplo Burmanni, qui e Taciti Hiſt. 5, 22. laudat *ornatum militarem:* nam *ornatum Neronem* e Nerone c. 21. iam repudiavit Graevius. Sed, ſi locum inſpexeris, videas, ornatu illo militari gladios non comprehendi. Etenim militibus, ſine ornatu militari procurrentibus, arma mucronesque ſtrictos tribuit. Ergo ornatus militaris eſt in ſago, galea, lorica, ſcuto, ocreis, non in gladiis et telis. Sic Samnitici milites ornati fuere, ſed

non, qua tela et gladios, verum ſcuta, galeas, veſtes. Locus apud Livium inprimis huc pertinens eſt 9, 40. *Campani, ab ſuperbia et odio Samnitium, gladiatores eo ornatu armarunt.* Miror, hoc loco neminem hic uſum. Nam hic diſerte *ornatus gladiatorum.* Sed qualis ille ornatus, docet Livius eiusdem capitis initio: *Scuta auro vel argento caelata, ſpongia pectori tegumentum, ocrea in ſiniſtro crure, galeae criſtatae, tunicae verſicolores, et candidae.* Hic ornatus totus: nihil amplius: non etiam gladii et tela. Itaque Imperator Romanus, confirmaturus milites ſuos, non iſto ornatu militibus opus eſſe, dixit, ſed *ferro* et *animis.* Itaque multo magis miror, Dukerum, ad illum potiſſimum Livii locum ſibi demonſtrandum ſumſiſſe, non modo *ornatum* de armatura dici, ſed etiam male in loco Suetonii *ferramenta* a nonnullis, pro ornamentis, reſcribi. Ergo ſunt quidem gladiatoribus ſua ornamenta, eaque arma, ſed in iis aut gladii non numerantur, aut, ſi vel maxime, aliquo forte loco, *ornandi* verbo etiam gladii et tela contineantur, tamen maxime ad ceteram armaturam potius, quam ad gladium et tela reſpicitur. Tamquam, ſi quis apud eundem Livium 7, 14., ubi agaſones, mulis impoſiti, dicuntur partim *captivis, partim aegrorum armis ornati,* velit gladios quoque intelligere, non repugnem: ſed, quia ibi res magis refertur ad ſpeciem externam, manifeſtum eſt, maxime cetera, galeas, ſcuta etc. intelligi. Accedit etiam hoc, quod, ubi apud veteres de armorum ornatu ac pulchritudine ſermo eſt, reperimus, gladios, et ea, quae ſunt ad vim faciendam, non commemorari. Caligula, auctore noſtro c. 55., *mirmillonum armaturas recidit,* i. e. imminuit, minori impenſa faciendas curavit. Id non tam de gladio, aut telo, quo vis fieret, intelligendum, ſed de cetero ornatu, planiſſimum eſt. Vide ad Caeſ. c. 67. Omnino nullum adhuc locum video eſſe prolatum, ubi gladii et tela ſeparatim, orna-

tus aut ornamentorum nomine, dicantur. Atqui talis locus desideratur, ad probandum, *ornamenta* hic locum habere. Quare, quia hic de gladiis solis sermo, *ornamenta* locum non habent, sed *ferramenta*. Ex his poterit ad omnia exempla, quae proferuntur, vel ad hunc locum, vel ab Lipsio ad Tac. Hist. 3, 63., vel ab Heinsio ad Virg. Aen. 12, 544., vel Dukero ad Liv. l. c., Drakenborch. ad eundem Livium 24, 48. responderi.

EXCURSUS XXVIII.

AD

DOMIT. C. 2.

Relictum se participem imperii.

Non pugnabo, *principem imperii* a Suetonio fuisse: ceterum illam lectionem non tam absurdam, ut visa est, puto. Etenim, primo, consortem et participem imperii initio agnovit Titus: vide in Tit. c. 9. Similiter apud Philostratum in Vita Apollonii lib. 6. c. 32. diserte consors imperii vocatur. Domitianus dicitur Titum sustulisse, *οὐ τὸ ξὺν ἀδελφῷ ἄρχειν δεινὸν ἡγούμενος, ἀλλὰ τὸ ξὺν πρᾴῳ καὶ χρηστῷ.* Atque id consortium ei debebatur, quia Caesar erat, quod tum erat nomen imperii. Sic Lactantius de Mort. Persec. c. 7. Diocletianum, dicit, *tres participes regni sui fecisse,* etiamsi unus tantum Augustus, duo Caesares fuere. Manifestum porro est, Domitianum non consortionem imperii quaesisse, aut societate imperii contentum fuisse, sed solum imperare voluisse, atque primas tenere, atque hac de caussa sollicitasse exercitus. Neque dubitavit ipse, vivo adhuc Tito, se consortem imperii esse. Nam quum Flavius Sabinus, patruelis et Titi gener, albatos ministros haberet, sicut Titus, et ipse, *οὐκ ἀγαθὸν*, dixit, *πολυκοιρανίη*. Ergo particeps imperii fuit, et se

eſſe conſortem imperii credidit. Quid? quod, vivo adhuc patre, quodammodo particeps imperii fuit. Itaque infra c. 9. initia eius ponuntur in principio imperii paterni. Quam ergo diceret teſtamento fraudem adhibitam, per quod particeps imperii eſſe debuiſſet? Neque denique volebat, Titum non participem eſſe imperii, ſed non principem. Scilicet, ut, patre vivo, Titus imperii particeps fuiſſet, ſed ita, ut pater maior ipſo, et princeps imperii eſſet: ita volebat hominibus perſuadere, patrem teſtamento caviſſe, ut ipſe princeps imperii eſſet, Titus tantum conſors. Nam, quod c. 9. *privatus* dicitur, ante Titi mortem fuiſſe; illis temporibus etiam participes imperii ſic vocabantur: quia *principi* opponitur *privatus; princeps* autem proprie unus erat. Burmannus dubitabat, an eleganter et ex uſu antiquae Latinitatis dici poſſet *princeps imperii.* Ego vero non dubito. Ut, apud Ciceronem, Senatores alii *participes conſilii publici,* alii *principes conſilii publici* dicuntur: ſic, quum duo imperant, ſed inaequali iure, ut ſaepe factum eſt ante Antoninos, alter eſt *princeps imperii,* alter *particeps,* ſive *conſors imperii.* Itaque fateor, mihi antiquam illam lectionem magis placere, reſtituiſſemque loco, unde depulſa eſt, niſi codices boni obſtarent, propter quorum auctoritatem in contextu alteram toleravi. Ern. Manifeſtum mendum eſſe *principem imperii,* et rei et Latinitatis ratio vincit. Longe diverſum genus loquendi eſt *princeps conſilii,* quo mireris Erneſtium abuti potuiſſe ad illud defendendum.

EXCURSUS XXIX.

AD

DOMIT. C. 3.

Domitiam, ex qua in ſecundo conſulatu etc.

Valde torſit hic locus Viros doctos, quorum ſententias ſigillatim recenſere, longum foret. Explicanda autem noſtra qualicunque ſententia, praecipuas attingemus. Ac primo, *ſecundum conſulatum* aliter capere conſuetudo perpetua Suetonii non ſinit, quam de eo, quem patre vivo a. U. DCCCXXVI. a. C. LXXIII. geſſit. Itaque non audiendi Rupertus et Pagius, qui de altero ordinario capiunt, ut recte monuit iam Graevius. Nam, quod ait Pagius, hiſtoricos interdum ſuffectos conſulatus in Imperatoribus negligere: primum id non eſt huius aetatis, ut ipſe Pagius in Diſſert. Hypatica P. I. c. 7. n. 3. init. docet, ſed ſeculi III. Deinde, non profecto eſt diligentium hiſtoricorum, qualis Suetonius eſt. Exemplum Dionis et Chronici Alexandrini, quo utitur, ut Domitiani ſuffectos conſulatus non numeratos oſtendat, profecto nihil efficit. Nam primo Chronici Alexandrini nulla eſt auctoritas: Dionis autem ipſius librum de Domitiano non habemus, ſed Epitomen tantum Xiphilini, parum accurati et diligentis Epitomatoris. Tum, ſi vel maxime ei aliquid tribuerem, tamen nihil hic cauſſae Pagii prodeſſet: quod tum demum futurum eſſet, *ſi omnes conſulatus ſuffectos omiſiſſet.* Nunc Xiphilinus quatuor tantum omittit, duos numerat: Chronicon Alexandrinum tres omittit, tres numerat. Quid inde efficitur? Non profecto, diligentes hiſtoricos conſulatus ſuffectos Domitiani non numeraſſe: ſed, parum diligentes illos ſcriptores aliquot conſulatus ſuffectos male omiſiſſe. Eadem reſponderi argumento Pagii, e nummo Domitiani petito, debent, in quo conſulatus VI. pro VII. ponitur, neglecto uno ſuffecto, non omnibus: merito-

que audiendus Petavius, qui illas epigraphas mendofas putat, praefertim quum in ceteris omnibus nummis Domitiani et inscriptionibus consulatus suffecti numerentur, ut docet Norisius Epistola consulari p. 52. Maneat ergo, intelligendum esse consulatum eum, quem dixi. Neque mirum est, eo anno Domitianum ex uxore Domitia prolem sustulisse: quum eam tribus annis ante, quum Praetor consulari potestate esset, duxisset, auctore nostro supra c. 1. de eoque adeo dubitandi caussa idonea nulla est. Nam, quod Graevius e Martiale 3, 6. docet, post Titi mortem, quum solus imperaret, ei filium natum esse, qui mox mortuus et consecratus est: id etsi verum est, tamen non impedit, quo minus et ante, vivo patre, sustulerit prolem. Si consuetudinem eam, qua in Caesare, Augusto, aliisque usus est Suetonius, in Domitiano conservasset, et de eius matrimonio et prole separatim, et proprio aliquo loco, dixisset, aut Dionis Cassii librum de Domitiano haberemus, clarior res foret. Nunc verbis his standum, quae sunt clarissima.

Maior difficultas est in sequentibus verbis, *alteroque anno consalutaverat, ut Augustam.* Quem dicemus illum *alterum annum* esse? Scaliger capiebat ita, ut Latinitas et verba sinunt, ut sit alter annus a consulatu illo secundo. Si verba non corrupta sunt, alium sensum ea per Latinitatem habere non possunt. Verum hic exoritur magna dubitatio: quomodo, illo tempore, Domitia *Augusta* appellari potuerit, quum ipse Domitianus nondum Augustus esset. Eam Scaliger ad Eusebium p. 202. sic tollebat, ut diceret, morem fuisse, ut non solum Augustorum uxores Augustae dicerentur, sed etiam filiae, sorores, nurus et socrus. Iam, quamquam nullum exemplum ex primo seculo afferri potest nurus Augustae, cuius maritus Augustus non esset, tamen id, non adeo absurdum est, existimare, primum factum in Domitia. Caussa potuit haec esse, quod

peperiſſet, cui aliquando imperium deberetur, quando Titus caelebs eſſet, nec videretur uxorem ducturus, eſſetque adeo aulae domusque Auguſtae ſubſidium unum. Moleſta porro eſt coniunctio *ut*, quae in hac forma loquendi uſitata non eſt. Verum eam natam dicere poſſumus e finali ſyllaba praecedentis verbi, eiiciendamque eſſe, ut viſum Torrentio, Gronovio et Oudendorpio. Adiuvare porro hanc noſtram explicationem huius loci videtur hoc, quod repudiatio Domitiae facta dicitur *inter initia imperii:* quae verba non ſatis attendiſſe videntur Viri docti. Nam ſi ſecundum conſulatum de ordinario ſecundo capimus, et alterum annum de altero anno poſt conſulatum ſecundum ordinarium, divortium ad minimum cadit in tertium annum imperii Domitianei: quod mihi non videtur ſatis convenire verbis iſtis, *inter initia imperii.* Atque ego non ignoro, iſta verba modo latius, modo anguſtius patere apud ſcriptores: ſed tamen apud Suetonium fere de primo anno dicuntur. Sic in Claud c. 7. *Sub Caio, fratris filio, ſecundam exiſtimationem circa initia imperii omnibus lenociniis colligente:* ubi primus annus intelligendus. Conf. infra c. 9. init.

Quodſi cui haec ratio, a nobis explicata, non placeat, quoad poſteriorem ſcilicet partem, de Auguſtae appellatione; nam priorem illam certam putamus: is poterit etiam ſic legere: *Domitiam, ex qua in ſecundo conſulatu filium tulerat, alteroque anno ſuo conſalutaverat Auguſtam — — repudiavit.* Nempe illud *ſuo,* quod parum elegans eſt eo, quem obtinet, loco, potuit ex hoc loco, quem ei in hac lectione asſignamus, migraſſe in ſuperiorem. *Altero anno ſuo,* intellige altero anno imperii Domitianei. Dicimus *primo, ſecundo* etc. *anno Tiberii, Caii* etc., pro imperii Tiberiani etc., cur non etiam dicatur Imperator aliquid feciſſe *altero anno ſuo?* Atque ita Suetonius in concordiam redigetur cum Chronico Euſebiano, quod in alte-

ro imperii Domitianei anno ponit hoc: *Domitiani uxor Augusta appellata.* Haec ratio si probetur, initia imperii paullo latius, de primis imperii annis, capienda sunt. Accuratius hoc definire liceret, si Dionis liber integer restaret, ut, quo anno Paris interfectus esset, scire possemus. Atque non negabo, mihi hanc rationem melius placere illa superiori, propterea quod Domitianus eam dicitur consalutavisse Augustam, quod ille facere, nisi princeps, non potuit. Ern. Etiam in hac disputatione veris et bonis admixta sunt falsa, quae tamen singulatim refellere nihil attinet in loco, qui vix ad certam et liquidam rationem redigi posse videatur. Est enim mendosus, et in optimo cod. margini adscriptum, *Deest aliquid.* Sed hoc *aliquid* satis probabiliter supplet Oudendorpius, ex MSS. vestigiis sic scribendo: *Deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filiam tulerat, alteroque anno filium, ac consalutaverat Augustam, eandem* etc. In secundo consulatu, sive primo ordinario a. Chr. 826. genuit filiam, cuius memoria interiit. Conf. Drakenb. ad Silium 3, 629. Sed *altero anno;* non ab illo consulatu; sed altero anno *principatus* (de quo a capitis initio coepit agere Auctor,) *filium* accepit, nempe a. 835., eodemque anno uxorem consalutaverat Augustam, et Censor est factus. At infans ille brevi mortuus et consecratus est, *Divusque* Augusti *filius* dictus: quod clare patet ex Martiale, per Graevium citato, et nummis consecrationis eius multis. Inspice praeter alios Scheuchzer. in Miscell. Lips. Vol. IX. p. 221. Domitiam vero non ante Titi mortem, neque primo Domitiani principatus anno, sive a. 834., sed altero declaratam esse Augustam, docet l. c. Eusebius. Sic omnia erunt dilucida. At si quis contendat, vocem *principatus* s. *imperii* non subintelligendam, sed addendam fuisse, addat ille, per me licet. Verum et c. 9. *inter initia.* Nam *altero anno suo* pro sui imperii anno, scriptum a Sue-

tonio, non credo. Haec ille: in notula nostra corrigendum est *quamque* pro *quamquam.*

EXCURSUS XXX.

AD

DOMIT. C. 4.

Toga Graecanica.

Scrupulus restat in hac lectione unus, quem mihi eximi velim. Nempe debebant Viri docti, si satis asserere hanc lectionem vellent, docere, quemquam Latinorum scriptorum veterum *togam* dixisse de veste Graeca, *pallio* aut *chlamyde:* quod illi, sive, quia in mentem non venit, sive, quia non potuere, non fecere. Mihi quidem, attendenti et quaerenti, non licuit observare aut reperire vel unum exemplum. Immo *togae* verbum semper Latinae vestis nomen fuit, quo ea a Graecis distingueretur: ut pallium numquam de toga dictum, eadem de caussa, reperimus. Quare nondum liquidum puto de hac lectione. Bimardus in Dissertationibus apud Muratorium Thes. Inscriptt. Tom. I. p. 16. probat *Germanicam togam,* intelligitque vestem talarem, qua olim Germanos, inprimisque Francos, usos constet: quae sane, comparatione cum togis lautiorum et molliorum, ad talos demissis, toga potuit appellari. Quod vestis Germanica non respondet crepidis, non mirandum in Domitiano, qui in multis aliis pro libidine egit, nihil curans consuetudinem et morem. Potuit autem toga Germanica uti favore cognominis, quod a Germanis victis assumserat, in quo quomodo sibi placuerit, ex eo intelligi potest, quod mensem unum Domitianum, alterum Germanicum, appellari voluit, infra c. 13., item ostentatione victoriae atque triumphi e Germanis, tum adhuc recentissimi. Etenim agon Capitolinus primum celebratus est a. C. LXXXVI., qui est a. U.

DCCCXXXVIII., ut docet Pagius ad illum annum. Sed triumphum de Germanis in eundem annum incidisse, ibidem docetur. Oudendorpius togam Graecanicam interpretatur *cyclada*, togam muliebrem rotundam et talarem, mixtam e Graeco et Romano genere, quae et a Servio ad Virg. Aen. 1, 282. *togis* accensetur.

EXCURSUS XXXI.

AD

DOMIT. C. 5.

Deustis utrinque lateribus.

Pro lectione Mss. Lyser. *decisis* haec dici possunt. Dionis Epitomator p. 772. ait, Circum a Traiano ampliatum διαφθαρέντα πῃ. Zonaras, qui Dionem compilavit, φθαρέντα. Id Interpretes verterunt *collapsum* non satis accurate. Ac non negem, φθαρέντα dici etiam ea, quae incendio corrupta sunt. Sed nemo veterum scriptorum huius incendii mentionem facit. Nam quod Donatus, in Roma vetere, huc refert incendium Neronianum, quo etiam Circus arsit, auctore Tacito, Ann. 15, 38., a quo tempore usque ad Traianum negat instauratum Circum fuisse: id mihi propterea non satis probatur, quia non credibile, tam diu Circi usu carere potuisse. Atque etiam sub Tiberio arsit Circus, ut vidimus: neque traditur, a quo instauratus fuerit. An vero Imperator Nero, tam studiosus Circensium, sivisse in ruinis iacere Circum? Neque Latinitas ei opinioni satis convenit. Nam ablativi illi sic positi sunt, ut ad tempora Traiani referantur necessario: omninoque ille locus, inter *Circus maximus* et *exstructus* aptior est τῷ *decisis lateribus*, quam τῷ *deustis lateribus*. Dixisset etiam, opinor, potius *instauratus* vel *restitutus* est, quam *exstructus*. Praeterea non abhorret, διαφθαρέντα nihil aliud esse, quam, *qui vitium fecerat, aliqua parte*

ſ. *aliquo loco* (πη) indigebatque inſtauratione. Traianus eam occaſionem arripuit ampliandi Circi, ut maiorem multitudinem caperet, (Plinius Paneg. c. 51.) idque fecit *deciſis*, h. e. deiectis ac deſtructis, lateribus utrinque, ut ab utraque parte Circi ſpatium latius promoveret. Haud dubie praeferenda eſt haec lectio vulgatae. Ern. Immo certa videntur pleraque omnia, quae vulgo dicta hic arguendi cauſſa repetuntur. Ne Latinum quidem eſt *decidere latus* ſ. *partem aedificii*, ut et Oudendorp. viſum eſt.

EXCURSUS XXXII.

AD

DOMIT. C. 8.

Perfuſoriae asſertiones (nam ita legendum) quid ſint, dubitatur. Cuiacius ad L. 13. Pandect. de Excuſat. p. m. 256. ait eſſe, ter quaterve, dicis cauſſa, repetitas, in liberalibus cauſſis: de quibus idem ICtus maximus ſcripſit ad Paulli Sentent. lib. 5. tit. 1. Ianus a Coſta, Cuiacii diſcipulus, ad Inſtit. 1, 13. de actionibus, explicat de asſertione ficti asſertoris, quum dominus per colluſionem cum asſertore patitur liberum iudicari ſervum: eaque ſententia placebat Burmanno. Valde contra dubitabat Noordkerkius, de Lege Petron. p. 54. recte a Coſta explicari asſertiones perſuſorias. Ipſe nihil aliud eſſe putat, *perfuſoriis asſertionibus ſe accommodare*, quam, ſacramentum in libertatem recipiendo, ac vindicias decernendo permittere, ut asſertiones inſtituantur. Sed his verbis arbitror explicari tantum poſſe, quid ſit, *asſertionibus ſe accommodare*, non quid *perfuſoriis*. Tum, *dare vindicias*, h. e. permittere, ut vindiciae inſtituantur, non eſt iudicum, ſed Praetoris: quod ipſe mox demonſtrat, quum Praetoris fuiſſe dicit, examinare cauſſam litigandi, eaque probata, disponere

asſertiones. *Accommodare ſe cauſſae,* quum de iudice dicitur, in utramque partem dici poteſt ex uſu Latinae linguae. In bonam partem quum dicitur, eſt nihil aliud, quam quod Cicero dicit, diligentiam in cognoſcenda cauſſa adhibere. Sed h. l. dicitur in deteriorem partem, et eſt, favere cauſſae contra ius et aequitatem, et connivere ad fraudes: quod intelligitur ex eo, quod Imperator recuperatores admonet ſevere, ne id faciant: neque aliud eſſe poteſt. Nam ſi Praetor dat recuperatores, hi neceſſario iudicant. Ergo non potuit eos Caeſar admonere, ne tales cauſſas cognoſcerent; ſed ne in iis contra ius de induſtria pronuntiarent. *Perſuſoriam* vero *actionem* vel *asſertionem* puto eſſe eam, quae ſit per calumniam, qua innocens praeter ius vexatur. Sic manifeſte dicit Cicero pro Roſcio Amer. c. 29. *perfundere aliquem iudicio,* quod ibi nihil aliud eſt, quam alicui calumnia litis moleſtiam creare, et in periculum capitis adducere: neque ullo modo audienda alterutra interpretatio Graevii, cuius fluctuatio manifeſta eſt. Nam Cicero dicit, iniquum eſſe, Erucium re vera accuſare eos, a quibus mercedem acceperit, et tamen iudicio perfundere, h. e. in iudicium et capitis periculum ſine cauſſa adducere hominem, quem innocentem eſſe videat et credat. Hinc ergo ductam eſſe puto *perfuſoriam asſertionem,* qua dominus iuſtus adducitur, per calumniam litis, ut Cicero vocat, pro Milone c. 27. (*per calumniam litium fundos alienos petebat*) in periculum ſervi amittendi. Ergo Domitianus admonuit recuperatores, ne per gratiam, aut alia quacunque de cauſſa, ſecundum calumniatores in cauſſa liberali pronuntiarent. Suetonius in hac inprimis cauſſa ſeveritatem Domitiani commemorare voluit, quod recuperatores tali iniquitate non modo legitimos dominos ſervis ſuis privarent, ſed etiam civitatem inquinarent, ſervis improbis ingenuitatem adiudicando: quamquam ceterum non ignoro, asſertionem perfuſoriam etiam eſſe, quum lis per calumniam intenditur ingenuo.

EXCURSUS XXXIII.

AD

IDEM CAPUT.

Numarios iudices etc.

Casaubonus et Guietus interpretantur assessores, sive consiliarios. Non improbem. Sed vellem planius dixissent, quales essent ii iudices, qui assessores et consiliarios haberent. Quodsi hanc sententiam probamus, intelligenda res erit de iudiciis iis, quae singulis iudicibus exercebantur; item, de arbitriis, quae et ipsa iudicia dicuntur. Sic Aquillius datus index solus in caussa Quintiana. Ei tribuitur *consilium* c. 2. 10. 15. Id ille ipse adsciverat, constabatque tribus ICtis, M. Marcello, P. Quintilio, et L. Lucullo. Sed mirum videatur, Domitianum severitatem illam suam tantum exercuisse in hoc genere iudicum, qui singuli dati se corrumpi passi essent, non omnino in omnibus: quod tamen factum videtur. Nam superiora duo pertinent ad genera caussarum, hoc universe ad iudices. Atqui in iis iudiciis, ubi plures iudicant, dici non potest, iudices habere consilium, quod quidem sciam. Igitur arbitror verba, *iudices numarios cum suo quemque consilio*, etiam sic capi posse, ut *consilium* sit totum iudicium, omnis numerus iudicum, qui in caussa aliqua sedissent. *Consilium* de iudicio dicitur quocunque. Cicero in Caecil. c. 4. *scit, qui est in consilio, C. Marcellus;* is autem erat in iudicibus. Conf. Verr. 2, 29. etc. Res autem sic habet: quum cognitum esset, in iudicio aliquo pecuniam esse versatam, totum illud consilium, sive iudicium, notavit Domitianus, ut corruptum et iniustum. Sic quondam, in caussa Oppianici, quum constaret, pecuniam in iudicio versatam esse, etiam iudex quaestionis, quamvis innocens, et plerique iudices, etiam innocentes, vel damnati vel a Censoribus notati sunt,

totumque illud confilium infame fuit. Videturque Domitianus ea feveritate tanto maiorem terrorem iniicere, atque efficere voluiffe, ut obfervarent fe invicem iudices, ne quis accipere pecuniam auderet. *Notavit* autem referendum ad Domitiani cenfuram.

EXCURSUS XXXIV.

AD

DOMIT. C. 9.

Negotiantes ex confuetudine etc.

Difficilis explicatu locus duabus in rebus: primum, *qui fcribae quaeftorii* intelligantur? urbani, an provinciales, an omnes; deinde, *quae ifta lex Clodia fit?* Quod ad primum attinet, non videtur intelligendum de urbanis cum Torrentio: quia nulla cauffa, quare iis negotiatione interdiceretur: quum illis temporibus Quaeftor urbanus pecunias publicas non tractaret; quod non veniebat in mentem Torrentio, quum in h. l. commentaretur: neque ulla cauffa reperitur, quare Quaeftoris tantum fcribae ab negotiatione arceantur, non et ceterorum magiftratuum, quibus ea interdictum fuiffe, nemo nec tradidit, nec credit. Capio igitur de provincialibus, remque fic concipio. Cautum erat clare olim legibus, idque poft principalibus conftitutionibus repetitum, ne Praefides provinciarum, et qui circa eos effent, foenus exercerent, negotiarenturve: vide Modeftinum in Pandect. leg. 33. de rebus credit.: fed, ut excepti effent comites, five officiales ii, qui perpetui effent, et in provincia, etiam mutato Praefide, manerent, ut Paullus docet l. 34. eod. tit. et Sentent. lib. 2. tit. 1. §. 5. Nam iniquum videbatur, eos, qui perpetuo in provincia aliqua manerent, ab omni negotiatione excludi, ut recte monet Schultingius. Ex quo ipfo per analogiam quandam colligere licet, fcribis urbanis ma-

giſtratuum idem licuiſſe. Iam quia iisdem principalibus conſtitutionibus non et diſerte de Quaeſtorum provincialium ſcribis cautum erat, coeperunt negotiationem exercere, neglecta lege antiqua, velut oblitterata temporis diuturnitate. Itaque viſum eſt Domitiano, de ea re nova conſtitutione cavere.

Quod ad *legem Clodiam* attinet, arbitror, intelligi legem, liberae reipublicae temporibus latam: a quo lata ſit, ignoro. Putant partem eius legis fuiſſe, quae Senatores prohibuit, naves aedificare aut emere. Sed incertiſſima coniectura eſt, et ſolo nomine communi nititur. Res ipſa eſt eiusmodi, ut lege aliqua de provinciis caveri potuerit, vel cauta eſſe videatur: niſi lex de ſcribarum officio fuit, quae cum multis aliis ignoratur.

EXCURSUS XXXV.

AD

DOMIT. C. 17.

Dolonem interiecit.

Emendationem elegantem ac certiſſimam Ferrarii, *dolonem interiecit*, improbat, praeter alios Burmannus, hac allata ratione, quod dicendum fuiſſet *iniecit*, non *interiecit*: quod an Latinum ſit, dubitat. Enimvero haec verba non debent ſignificare petitionem Domitiani, dolone factam, quod eſſet *iniicere*: nam de hac mox, *ſuffodit inguina*: ſed modum abscondendi dolonis, ne deprehenderetur. Ego vero non dubito, coniecturam hanc eſſe certam. Nam de dolo ante dictum, *conſilium operamque obtulit*; et mox, *ſiniſteriore brachio* etc. In his eſt dolus. Sed pars doli eſt etiam in hoc, quod inſtrumentum caedis ipſa hora, rei dicta, inſervit faſciis, et ita occultavit, ne deprehenderetur: id factum, *interiecto inter lanas et faſcias dolone.* Quum ita paraſſet ſe, inſtruxiſſetque, profeſſus eſt indicium, et ad-

miſſus etc. Sic apud Horatium in Epodis, *Libelli inter pulvillos iacent.* Philoſtratus porro diſerte tradit, ita absconditum a Stephano dolonem, in Vita Apollon. 8, 25., nec credibile, hoc praetermiſſum a Suetonio; quum ſit memoratu digniſſimum. *Dolum interiicere,* Latine quidem dici poſſe arbitror, ſed non pro *adhibere,* quomodo eſſet h. l. capiendum: nec ad rem perficiendam, ſed impediendam potius; quod ab hoc loco eſt alienum. Tacitus quidem Ann. 1, 24. dicit *minas interiicere,* ſed ibi duae partes ſunt. Ad locum Philoſtrati miror nihil dixiſſe Olearium, quod ad hanc rem pertineat. Ignoraverit oportet hunc locum Suetonii, et notam Caſauboni. Caſaubonus in ſuo exemplo legit ὑφόρας, pro quo legendum putat ὑφαρμόσας. Olearius autem habet in textu ὑφείρας πήχει, vertitque: *ſubnectens cubito:* quod intelligi non poteſt: nec ullam alterius lectionis mentionem in notis facit, aut indicat, unde hanc lectionem habeat. Nihili autem vox eſt ὑφείρας. Nam ex analogia deberet eſſe ὑπείρας: ſed eius compoſitionis exemplum nullum exſtat in Lexicis. Inſerendi autem et interiiciendi vim habent alia e verbo εἴρω compoſita, ut ἐνείρω, διείρω et παρείρω, apud Longinum Sect. 3. ex Aeſchylo, quod verbum nondum eſt in Lexicis vulgatis. Itaque legam aut ὑπείρας, aut παρείρας.

VARIETAS LECTIONIS

IN ED. GRYPH. A. 1539 MANU DOCTI VIRI NOTATA.

Ad Caesarem.

C. 40. e Calendis Ian. *nobis* — *novis.*
— 41. quas ipse *dediſſet* — *edidiſſet.*
— 55. *pro* Q. Metello — *ut pro Q. Met.*
— 59. *Salutationi* — *Salutioni.*
— 78. *inexpiabilem* f. invidiam — *exitiabilem.*
— 79. *varia* fama percrebuit — *valida.*
— 86. alii e diverſo *opinantur* — *opinatum.*
— 86. ſemel *confeſſum* ſatius eſſe — *ſemel ſatius eſſe.*
— 88. ludis, quos *primo conſecratos* ei — *primos conſecrato.*

Ad Auguſtum.

C. 3. et re et *aeſtimatione* — *exiſtimatione.*
— 4. priusquam *confiteri* ſe cand. — *profiteri.*
— 10. Brutum Caſſiumque *etiam* nec opinantes — *et vi.*
— — ac ne publicum quidem et translat. — add. *ius.*
— 16. ac *XX* ſervorum millibus — *X.*
— 19. *Plauti* Ruſi — *Plautii.*
— 27. Ceteros *autem ſex,* aut novem — *ceteros aut novem.*
— 29. Herculis *et* M ſarum — del. *et.*
— 30. Aedificiorum *prolapſionibus* — *prolationibus.*
— 31. in cuius *ordinationem* — *ordinatione.*
— — marmoreo Iano *ſuppoſuit* — *ſuperpoſuit.*
— 43. ad ſcenicas operas *et* Equitibus — del. *et.*
— 45. totos dies *aderat* — *aberat.* Vide not. Noſtra igitur lectio etiam codicis auctoritate nititur.
— — *alienis* quoque muneribus a. l. — *in alienis.*
— — praeterquam *ludos et ſcenam* — *ludis et ſcena.*
— 53. pronuntiatum eſſet *a* mimo — *in* mimo.
— — officia cum multis *mutuo* exercuit — *mutua.*
— — quam *grandior* iam natu — *grandi.*
— 55. *et* magna cura redarguit — *nec.*
— 58. per Valerium *Meſſalam id* mandantibus cunctis — *Meſſalam. Is.* Hoc haud dubie ſequendum.
— 63. *tantumque* p. e. — *tantum quod.*
— 68. *Videsne, ut* c. o. d. temperat — *viden, ut.*
— 72. aſſidueque *in Urbe* hiemaret — *mucidae.* Non

eſt ergo omnino ſpernenda I. Gronovii correctio *mucide* vel *muccide*, neſcio unde hauſta: vix enim ſine libris talis correctio in mentem veniat: quam nemini ſano placituram putabat Burmannus; etſi nullum aliud exemplum huius verbi exſtat. Sane *in Urbe* nullum hic commodum ſenſum habet.

C. 77. aut recens *acidumve* pomum — *avidumve*. Probat Chriſtius, qui paſſive dictum putabat, pro *recens*, quod avide expetatur, ſicque capiebat *avida arma* apud Statium Theb. 10, 658. Mihi librarius videtur aberraſſe, et in codice habuiſſe *uvidum*. *Poma uvida* de acidis, vinoſis illuſtrat Caſaub. ad h. l.

— 79. Marathus libertus *etiam in memoriam eius* etc. — *et a memoria eius*. Ita emendavit Lipſ. Elect. 1, 12. Itaque hoc, iam etiam codicis auctoritate adiuti, in poſterum ſequentur recte, ut opinor, Suetonii editores. Sane non ſolet Suet. addere, in talibus, librorum, unde ſumſit, titulos, quippe tum per ſe noti erant libri lectoribus.

— 86. n. praepoſitiones *verbis* addere — *urbibus*. Sic etiam Memm. et Exc. Cuiac., idque ſecuti ſunt Graev. et I. Gron.: recte igitur et nos recepimus.

— — Aſiat. oratorum *inanibus ſententiis verborum* volubilitas — *inanis verborum vol.*

— 100. *ſub* veteribus a Dr. — del. *ſub*.

Ad Tiberium.

C. 1. *Appio Claudio* gentis pr. — *Atta Clauſo*. Sic dudum Torrent. et Caſaub. legi voluerunt. Mihi obſtat adhuc locus Livii 10, 8.

— 24. impudentiſſimo *animo* — *mimo*. Quo minus poterimus iam reprehendi, qui *mimo* recepimus in contextum. Vidit Gronovius ingenio, quod dudum in codice repererat Vir doctus.

— 25. ſtipendio *praetoriani* — *praetorianis*.

— — *Germanicianis. Quidam* etiam etc. — *Germaniciani quidem*.

— 34. mercedibus ſc. *reſciſſis* — *reciſis*.

— 59. ab impatientibus *Romae dominii* — *remedium*.

— 63. atque etiam *contumeliis* obnoxius vixerit — del. *contumeliis*: quod confirmat Salmaſii, Gron. et Graevii ſententiam. Sed vide not.

C. 65. *ſignaque* ne nuntii — *ſigna.*
— 78. et *ſubtiles* tumores — *ſubiti.*

Ad Galbam.

C. 20. prae *calvitio* — *calvitie.*

Ad Vitellium.

C. 15. nihil iam *metuens* — *metuentes.*
— 17. quis*nam* eſſet — del. *nam.*

Ad Veſpaſianum.

C. 1. incertum *ſponte* — del. *ſponte.*
— 5. et *in* Circum — *inde in C.*
— 6. quum ceteros, *alii* alium alia — del. *alii.*
— 19. *Cibiotaten* — *Cybioſacten.*
— 22. quum *productae* — *perductae.*
— — vellet *referri* — *inferri.*

Ad Titum.

C. 6. praeparatae *coniurationis* — *concionis.*
— 7. praecipueque *ſumtam ſibi Beronicen* — *ſunt uſi. Ber.*
— — e *graviſſimis* — *gratiſſimis.*
— 8. deſideriis *animum* hominum — del. *animum.*

Ad Domitianum.

C. 4. *Pſallocithariſtae* — *poſidocithariſtae*, ſi recte asſecutus ſum manum Viri docti; nam primae ſyllabae pars reſecta erat a bibliopego.
— — etiam *virginis certamini* — etiam *virgines. Certamini.*
— 7. *militesque* Romani — *Equitesque.*
— 12. ſed quum *obnoxium* — *et obnoxium.*
— — oneribus *omnibus* haereret — del. *omnibus.*
— — qui *velut profeſſi* — *vel improfeſſi.*
— 13. Graece inſcriptum *arcui* ſit — *ἀρκεῖ.*
— 15. ſibi *exitum* — *exitium.*
— 17. *dolum* interiecit — *dolonem.*
— 22. *divelleret* — *develleret.*
— — *devictus* Domitiae — *devinctus.*

MONUMENTUM ANCYRANUM

EX RECOGNITIONE

EDM. CHISHULLI, ANGLI.

RERUM . GESTARUM . DIVI . AUGUSTI . QUIBUS . ORBEM . TERRARUM . IMPERIO . POPULI . ROM. SUBIECIT. ET. IMPENSARUM . QUAS . IN . REMPUBLICAM . POPULUMQUE . ROMANUM . FECIT. INCISARUM . IN . DUABUS . AHENEIS . PILIS . QUAE . SUNT . ROMAE . POSITAE . EXEMPLAR. SUBIECTUM.

Tabula prima intrantibus a laeva.

ANNOS . UNDEVIGINTI . NATUS . EXERCITUM . PRIVATO . CONSILIO . ET . PRIVATA . IMPENSA COMPARAVI . PER . QUEM . REMPUBLICAM . *obs*TINATIONE . FACTIONIS . OPPRESSAM IN . LIBERTATEM . VINDICAVI . *Sena*TUS . DECRETIS . HONORIFICIS . *ornatus* . IN . *eum* ORDINEM . SUM . *adlectus a* CONSULIBUS . *inter consulares ut sententiam dice* REM . LOCUM*que* . *et* IMPERIUM . MIHI . DEDIT . RESPUBLICA . U*ti* . PRAETORI . SIMUL . CUM CONSULIBUS . IR*tio et Pansa. Huic* AUTEM . EODEM . ANNO . ME . *suffectum* CONSULEM , *cum edi*DISSET . ET . TRIUMVIRUM : REIPUBLICAE . CONSTITUE*ndae* QUI . PARENTEM . *co*NIU*rati occidissent* IN . EXILIUM . EXPULI . IUDICIIS . LEGITIMIS . ULTUS . POSTEA . BELLUM . INFERENTIS . REIPUBLICAE . . . .

ARMA . TERRA . MARIQUE . . . . . *sig*NAQUE . TOTO . ORBE . TERRARUM . *circumtuli* VICTORQUE . OMNIBUS . *supplicib*US . CIVIBUS . PEPERCI . *et in* EXIL*io sponte sua de*GENTES . QUIBUS . TUTO . *liceret* . SERVARI . QUAM . EXCIDERE . M*alui* . . . . MILLIA . CIVIUM . ROMA*norum adacta* SACRAMENTO . MEO . FUERUNT . CIRCITER . *quingen*TA . EX . QUIBUS . DEDU*xi in colonia*S . AUT . REMISI . IN . MUNICIPIA . SUA . STIPEN*diis solu*TIS . MILLIA . ALIQUANTO . *plus qu*AM . TRECENTA . ET . IIS . OMNIBUS . AGROS . A*dsignavi* AUT . PECUNIAM . PROP*riam ex.* ME . DEDI7 *Longas* NAVES . CEPI . SESCEN*tas* . *praeter ali*AS . SIQUAE . MINORI*s quam trir*EMES FUERUNT7

BIS . OVANS . TRIUMPHA*vi tris egi cu*RULIS . TRIUMPHOS . ET . APPELLA*tus sum viciens et*

*se*MEL . IMPERATO*r* . *cumque plu*RIS . TRIUMPHOS . MIHI . SE*natus decrevisset iis tamen agendis su*PERSEDI . *et tantummodo laur*US . DEPOSUI . IN . CAPITOLIO . *Delmatis et Illuriis q*UOQUE . BELLO . NUNC . *perdomi*TIS . OB . RES . *Aut ductu meo aut per lega*TOS . AUSPICIIS . MEIS . TERRA . MARIQUE . PROSPERE . GESTAS . *Q*U*aesitamque bello re*QUIEM . DECREVIT . SENATUS . SUPPLICANDUM . ESSE . DIS . IMMO*rtalibus* . . . .

. . . QUO . *ex* SENATUS . CONSULTO . SUPPLICATUM . EST . IN . DEO*rum* . . .

. . . . . . VO . . . . . . UM . REC . . . AUT . R . . . .

. . . . AM . TER . DECIENS . . . .

. . . . . AE . POTES . . . .

. . . . ME . IA . . . .

. . . . Cetera huic Tabulae inscripta cuncta penitus evanuerunt.

Tabula secunda a laeva.

PATRITIORUM . NUMERUM . AUXI . CONSUL . QUINTUM . IUSSU . POPULI . ET . SENATUS . SENATUM . TER . LEGI . ET . IN . CONSULATU . SEXTO . CENSUM . POPULI . CONLEGA . M . AGRIPPA . EGI LUSTRUM . POST . ANNUM . ALTERUM . ET . QUADRAGENSIMUM . FECI . QUO . LUSTRO . CIVIUM . ROMANORUM . CENSA . SUNT . CAPITA . QUADRAGIENS . CENTUM . MILLIA . ET SEXAGINTA . TRIA . MILLIA . *Alteru*M . CONSULARI . CUM . IMPERIO . LUSTRUM *censumque* SOLUS . FECI . CENSORIN*o et* ASINIO . COS . QUO . LUSTRO . CENSA . SUNT CIVIUM . ROMANORUM . *capita* QUADRAGIENS . CENTUM . MILLIA . ET . DUCENTA . TRIGINTA . TRIA . M*illia* . *Terti*uM . CONSULARI . CUM . IMPERIO . LUSTRUM CONLEGA . TIB . CA*esare feci* SEX . POMPEIO . ET . SEX . APPULEIO . COS . QUO . LUSTRO . ET*iam censa sunt* Ro*MANORUM . CAPITUM . QUADRAGIENS . CENTUM . MI*llia tr*IGINTA . ET . SEPTEM . MILLIA

LEGIBUS . NOVI*s latis e*XEMPLA . MAIORUM . EXOLESCENTIA . *revocavi, et fugientia* IAM . EX . NOS*tro conspectu* AVITARUM . RERUM . EXEMPLA . IMITANDA . *proposui*7

. . . . . . ATUS . ET . SACERDOTES . . . .

. . . . . . V . TIS . . . . EFEC . . . .

. . . . . . QUATTUOR . AMPLISSIMA . COLLE*gia*

. . . . . . MPEIAM . ET . MUNICIPI . . . M . UNI

. . . . . . APUD . OMNIA . PULVINARIA . PRO . VALE*tudine*

V. 13. 14. Fortasse . . . . . . AVITARUM . RERUM . EXEMPLA . IMITANDA . *ad exercituum et provinciarum rectores et magistr*ATUS . ET . SACERDOTES . *misi* . . .

. . . . . USUM . EST . IN . SALIARE . CARMEN . ET . SACROSAN
. . . . . VO . . . EREA . . . TRIBUNITIA . POTESTAS . MIHI
. . . . . MUS . . . ITER . M . IN . . . .
populo SACERDOTIUM . DEFERENTE . MIHI . QUOD . PATER . MEUS . *procuravit*
suscepi id SACERDOTIUM . ALIQUOD . POST . ANNOS . EO . MOR*tuo qui post patrem*
*meum illud proc*URAVERAT . CUNCTA . EX . ITALIA . . . .
. . . . *valet*UDINE . QUANTA . ROMAE . NUN*quam* . . . .
. . . *P. Sulp*ICIO . C . VALGIO . CONSULIBUS . . . .
. . . *ae*DIS . HONORIS . ET . VIRTUTIS . AD . *mem*ORIAM
. . . *se*NATUS . CONSACRAVIT . IN . QUA . PON . . . .
. . . *a*NNIVERSARIUM . SACRIFICIUM . FACERE . . . .
. . . R . . . T . . . IN . URBEM . EX . . . .
. . . . AVIT . . . .
. . . . . PARS . . . .
. . . . . ET . PRIN . . . . . . A . MIHI
. . . . . ONOS . . . . . RAE . . . .
. *res in Hispa*NIA . GAL*liaque pr*OVINCIIS . PROS*pere* . . . .
. . . . NEP . QU . . . . . ARAM . . . .
. . . . *pro* REDITU . MEO . CO*nsacrari ut* AD . EAM . . . . . .
. . . . MAGISTRATUS . ET . SAC . . . .
. . . . IUM . . C . . P . . . .
. . . . . CUSSUM . ESS . . . .
. . . . *pe*R . TOTUM . *Imperium* . POPULI . ROMANI . *parta est terra*
*marique p*AX . CUM*que a condita urbe* . I*anum Qui*R*inum* BIS . OMNINO . CLAUSUM
*fuis*SE . PRODATUR . EUM . *Senatus* PER . ME . PRINCIPEM . *ter c*LAUDENDUM . ESSE . *iussit*
*Iater fil*IO*s* MEOS . QUOS . SIN*istra fors* MIHI . ERIPUIT . EORUM . CAIUM . ET . LUCIUM . CAESAR
ES . . . .

Tabula tertia a laeva.

HONORIS . MEI . CAUSA . SENATUS . POPULUSQUE . ROMANUS . ANNUM . QUINTUM . ET . DECI
MUM . AGENTIS . CONSULES . DESIGNAVIT . UT . EUM . MAGISTRATUM . INIRENT . POST . QUIN

V. 42. 43. Fort. . . CUM . *post Romam conditam Ianum Quirinum* BIS . OMNINO . CLAUSUM . *ante me* *fuis*SE . PRODATUR . *memori*AE . TER . ME . PRINCIPE . *c*LAUDENDUM . ESSE . *decrevit Senatus.*

QUENNIUM . ET . EX . EO . DIE . QUO . DEDUCTI . SUNT . IN . FORUM . UT . INTERESSENT . CONSILIS PUBLICIS . DECREVIT . SENATUS . EQUITES . AUTEM . ROMANI . UNIVERSI . PRINCIPEM IUVENTUTIS . UTR*um*QU*e* *eo*RUM . PAR*mis* *e*T . HASTIS . ARGENTEIS . DONATUM . AP PELLAVERUNT7

PLEBEI . ROMANAE . VIRITIM . *S*S . TRECENOS . NUMERAVI . EX . TESTAMENTO . PATRIS MEI . ET . NOMINE . MEO . QUADRINGENOS . EX . BELLORUM . MANIBIIS . CONSUL QUINTUM . DEDI . ITERUM . AUTEM . IN . CONSULATU . DECIMO . EX . PATRIMONIO MEO . IIS . QUADRINGENOS . CONGIARI . VIRITIM . PERNUMERAVI . ET . CONSUL UNDECIMUM . DUODECIM . FRUMENTATIONES . FRUMENTO . PRIVATIM . COEMPTO EMENSUS . SUM . ET . TRIBUNITIA . POTESTATE . DUODECIMUM . QUADRINGENOS NUMMOS . TERTIUM . VIRITIM . DEDI . QUAE . MEA . CONGIARIA . PERVENERUNT *ad* *sestert*IUM . MILLIA . NUNQUAM . MINUS . QUINQUAGINTA . ET . DUCENTA7 TRIBUNITIAE . POTESTATIS . DUODEVICINSIMUM . CONSUL . XII . TRECENTIS . ET . VIGINTI MILLIBUS . PLEBEI . URBANAE . SEXAGENOS . DENARIOS . VIRITIM . DEDI ET . CUOIVIS . MILITUM . MEORUM . CONSUL . QUINTUM . EX . MANIBIIS . VIRITIM MILLIA . NUMMUM . SINGULA . DEDI . ACCEPERUNT . ID . TRIUMPHALE . CONGIARIUM IN . CO*loniis* . HOMINUM . CIRCITER . CENTUM . ET . VIGINTI . MILLIA7 CONSUL . TER TIUM . DECIMUM . SEXAGENOS . DENARIOS . PLEBEI . QUAE . TUM . FRUMENTUM . PUBLICUM ACCEPERUNT . DEDI . EA . MILLIA . HOMINUM . PAULO . PLURA . QUAM . DUCENTA . FUERUNT PECUNIAM . *pro* AGRIS . QUOS . IN . CONSULATU . MEO . QUARTO . ET . POSTEA . CONSULIBUS *M. Crasso et* CN . LENTULO . AUGURE . ADSIGNAVI . MILITIBUS . SOLVI . MUNICIPIS7 EA SESTERTIUM . CIRCITER . SEXSIENS . MILLIENS . FUIT . QUAM . *ex* COLLATIONIBUS . *pro* PRAED*iis* NUMERAVI . ET . CIRCITER . BIS . MILLIENS . ET . SESCENTIENS . QUOD . PRO . AGRIS PROVINCIALIBUS . SOLVI7 ID . PRIMUS . ET . SOLUS . OMNIUM . QUI . DEDUXERUNT COLONIAS . MILITUM . IN . ITALIA . AUT . IN . PROVINCIIS . AD . MEMORIAM . AETATIS MEAE . FECI . ET . POSTEA . *Ti.* NERONI . ET . CN . PISONI . CONSULIBUS . ITEMQUE . C . ANTISTIO ET . D . LAELIO . COS . ET . C . CALVISIO . ET . L . PASIENO . CONSULIBUS . ET . *Lentulo et* MESSALINO CONSULIBUS . ET . L . CANINIO . ET . Q . FABRICIO . CONSULIBUS . *veteranis qu*OS . EME RITEIS . STIPENDIS . IN . SUA . MUNICIPI*a reduxi* PRAEM*ia aere num*ERATO PERSOLVI . QUAM . IN . REM . SEST*ertium* MILL IMPENDI7

QUATER . PECUNIA . MEA . IUVI . AERARIUM . ITA . UT . SESTERTIUM . MILLIENS . ET QUINQUIENS . AD . EOS . QUI . PRAEERANT . AERARIO . DETULERIM . ET . M . *Aemilio* ET . L . ARUNTIO . COS . IN . AERARIUM . MILITARE . QUOD . EX . CONSILIO . . . . CO*nstitu*TUM . EST . EX . *quo* PRAEMIA . DARENTUR . MILITIBUS . QUI . *Viginti stipendia* EMERUISSENT . IIS . MILLIENS . ET . SEPTINGENTI*eas Tib. Caesaris*

nomine et mEO . DETULI . . . .
. . . *qu*O . CN . ET . P . LENTULUS . *con*SULES . FUERUNT . CUM . D . . CERENT . . .
. . . . . . CENTUM . MILLIBUS . HOMINUM . . . . IBUS . . . . O . FRU . . . . .

Tabula prima a dextra.

CURIAM . ET . CONTINENS . EI . CHALCIDICUM . TEMPLUMQUE . APOLLINIS . IN
PALATIO . CUM . PORTICIBUS . AEDEM . DIVI . IULI . LUPERCAL . PORTICUM . AD . CIR
CUM . FLAMINIUM . QUAM . SUM . APPELLARI . PASSUS . EX . NOMINE . EIUS . QUI . PRI
OREM . EODEM . IN . SOLO . FECERAT . OCTAVIAM . PULVINAR . AD . CIRCUM . MAXIMUM
AEDES . IN . CAPITOLIO . IOVIS . FERETRI . ET . IOVIS . TONANTIS . AEDEM . QUIRINI
AEDES . MINERVAE . ET . IUNONIS . REGINAE . ET . IOVIS . LIBERTATIS . IN . AVENTINO
AEDEM . LARUM . IN . SUMMA . SACRA . VIA . AEDEM . DEUM . PENATIUM . IN . VELIA
AEDEM . IUVENTATIS . AEDEM . MATRIS . MAGNAE . IN . PALATIO . FECI7
CAPITOLIUM . ET . POMPEIUM . THEATRUM . UTRUMQUE . OPUS . IMPENSA . GRANDI . REFECI
SINE . ULLA . INSCRIPTIONE . NOMINIS . MEI7 RIVOS . AQUARUM . COMPLURIBUS . LOCIS
VETUSTATE . LABENTES . REFECI . ET . AQUAM . QUAE . MARCIA . APPELLATUR . DUPLICAVI
FONTE . NOVO . IN . RIVUM . EIUS . IMMISSO7 FORUM . IULIUM . ET . BASILICAM
QUAE . FUIT . INTER . AEDEM . CASTORIS . ET . AEDEM . SATURNI . COEPTA . PROFLIGATA
QUE . OPERA . A . PATRE . MEO . PERFECI . ET . EANDEM . BASILICAM . CONSUMPTAM . IN
CENDIO . AMPLIATO . EIUS . SOLO . SUB . TITULO . NOMINIS . FILIORUM . *meorum* INCO
HAVI . ET . SI . VIVUS . NON . PERFECISSEM . PERFICI . AB . HEREDIBUS . *meis iussi*
DUO . ET . OCTOGINTA . TEMPLA . DEUM . IN . URBE . CONSUL
. . . . REFECI . NULLO . PRAETERMISSO . QUOD . *eo* TEMP*ore* . . . . .
. . . . MU . . M . . . IRUMINEA . A . . . . BI . . . .
. . . . . . PRAETER . . . . IUME . LINU . . LUM . . . .
PRIVATO . SOLO . *dedicato* MARTIS . ULTORIS . TEMPLUM . FORUMQUE . AUGUSTUM . ET
THEATRUM . AD . AEDEM . APOLLINIS . IN . SOLO . MAGNA . EX . PARTE . A*d* . *id* . . . .
EMPTO . FECI . QUOD . SUB . NOMINE . M . MARCELLI . GENERI . NITESCIT7 DONA *ex*
MANIBIIS . IN . CAPITOLIO . ET . IN . AEDE . DIVI . IULI . ET . IN . AEDE . APOLLINIS . ET . IN . AE
DE . VESTAE . ET . IN . TEMPLO . MARTIS . ULTORIS . CONSACRAVI . QUAE . MIHI . CONSTI
TERUNT . HS . CIRCITER . MILLIENS7 AURI . CORONARI . PONDO . TRIGINTA . ET . QUIN
QUE . MILLIA . MUNICIPIIS . ET . COLONIS . ITALIAE . CONFERENTIBUS . AD . TRIUMPHOS
MEOS . QUINTUM . CONSUL . REMISI . ET . POSTEA . QUOTIENSCUMQUE . IMPERATOR . AP

PELLATUS . SUM . AURUM . CORONARIUM . NON . ACCEPI . DECERNENTIBUS . MUNICIPIIS ET . CON*fereN*t*ibus quae tunc* ADQUE . ANTEA . DECREVERANT7 . . . . . *mu*NUS . GLADIATORIUM . DEDI . MEO . NOMINE . ET . QUINQUIENS . FILIORUM . MEO RUM . AUT . NEPOTUM . NOMINE . QUIBUS . MUNERIBUS . PUGNAVERUNT . H*ominum circiter* DECEM . MILLIA . . . . BIS *dedi* ſERARUM . UNDIQUE . 'ACCIN*ctarum* . . . . . . *ſpectac*ULA . PRO*prio meo* NOMINE . ET . TERTIUM . NEPO*tum* . . . . . . *Ludos* FECI . MEO . NOMINE . QUATER . ALIORUM . AUTEM . M*agiſtratuum absenti*UM . TER . ET . VIGIENS . . . . . . *in colle*GIO . XV . 'VIRORUM . MAGI*ſter ad lecto in* COLLEGIUM . M . AGRIPPA . . . PER . QU*indeC*I*m viro*S . C . FURNIO . C . SILANO . COS . *quiN*t*os ſeci*. LUDOS . *ſaeculares nulli virorum viſos ante* ID . TEMPUS . DEINDE . . . . *Venationes beſtia* RUM . AFRICANARUM . MEO . NOMINE . ET . FILIORUM . MEORUM . ET . NEPOTUM . IN . CIR CO . AUT . IN . FORO . AUT . IN . AMPHITHEATRIS . POPULO . DEDI . SEXIENS . ET . VIGIENS . QUIBUS CONFECTA . SUNT . BESTIARUM . CIRCITER . TRIA . MILLIA . ET . QUINGENTAE7

NAVALIS . PROELI . SPECTACULUM . POPULO . DEDI . TRANS . TIBERIM . IN . QUO . LOCO NUNC . NEMUS . EST . CAESARUM . CAVA*to ſolo in longitudinem mille* ET . OCTINGENTOS . PEDES . IN . LATITUDINE . M*ille eraat et* DUCENTI . IN . QUO . TRI GINTA . ROSTRATAE . NAVES . TRIREMES . *et quadrirem*ES . PLURIS . AUTEM MINORES . INTER . SE . CONFLIXERUNT . *Atticis et Perſicis* CLASSIBUS . PUGNAVE RUNT . PRAETER . REMIGES . MILLIA *hominum trigin*TA . CIRCITER7

IN . TEMPLIS . OMNIUM . CIVITATIUM . P*rimarum Europae* ET . ASIAE . VICTOR . ORNA MENTA . REPOSUI . QUAE . SPOLIATIS . TEMP*lis is cum* QUO . BELLUM . GESSERAM PRIVATIM . POSSEDERAT . M*eae* STATUAE . PEDESTRES . ET . EQUESTRES . ET . IN QUADRIGEIS . ARGENTEAE . STETERUNT . IN . URBE . XXC . CIRCITER . QUAS . IPSE SUSTULI . EXQUE . EA . PECUNIA . DONA . AUREA . IN . AEDE . APOLLINIS . MEO . NOMI NE . ET . ILLORUM . QUI . MIHI . STATUARUM . HONOREM . HABUERUNT . POSUI .

Tabula ſecunda a dextra.

MARE . PACAVI . A . PRAEDONIBUS7 EO . BELLO . SERVORUM . QUI . FUGISSENT . A . DO MINIS . SUIS . ET . ARMA . CONTRA . REMPUBLICAM . TULERUNT . *trigi*NTA . FERE . MILLIA . CAPTA DOMINIS . AD . SUPPLICIUM . SUMENDUM . TRADIDI7 IURAVIT . IN . MEA . VERBA . TOTA ITALIA . SPONTE . SUA . ET . M*e pr*O . VICT*is du*C*ibus* DUCEM . DEPOPOSCIT7 IURA VERUNT . IN . EADEM . V*erba* G*al*LIAE . *Hiſp*ANIAE . A*fri*CA . SICILIA . SAR

DINIA .' QUI . . . . . . VE . . . . . *Sena*TORES . PLURES
QUAM . DCC . IN . . . . . CONSULIBUS . FACTI . SUNT . AD . EUM . DIEM
QUO . SCRIPTA . SUNT . . . . CIRCITER . CLXX7
OMNIUM . PROVINCIARUM . . . . QUIBUS . FINITIMAE . FUERUNT
GENTES . QUAE . *Nondum subiectae erant Pop. Roman*O . FINES . AUXI . GALLIAS . ET . HISPA
NIAS . PROVINCIA*sque* . . . . *quas allui*T . OCEANUS . A . GADIBUS . AD . OSTI
UM . ALBIS . FLUMINIS . . . . *ab usque regi*ONE . EA . QUAE . PROXIMA . EST . HA
DRIANO . MARI . *armis perlustravi* . NULLI . GENTI . BELLO . PER . INIURIAM
INLATO7 *Classis Romana* . . . . . AB . OSTIO . RHENI . AD . SOLIS . ORIENTIS . RE
GIONEM . USQUE . AD . *orbis extrem*A . NAVIGAVIT . QUO . NEQUE . TERRA . NEQUE
MARI . QUISQUAM . ROMANORUM . ANTE . ID . TEMPUS . ADIT7 CIMBRIQUE . ET . CHARIDES
ET . SEMNONES . ET . EIUSDEM . TRACTUS . ALII . GERMANORUM . POPULI . PER . LEGATOS . AMICI
TIAM . MEAM . ET . POPULI . ROMANI . PETIERUNT7 MEO . IUSSU . ET . AUSPICIO . DUCTI . SUNT
duo EXERCITUS . EODEM . FERE . TEMPORE . IN . AETHIOPIAM . ET . IN . *Arab*IAM . QUA . EA . *tem-*
pestate . . . .
. . . ESAE . SUNT . IN . SICILI . . . . . . SAT . TI . . IN . . ET . H . . . US . . . .
DU . . NI . . B . . . .
. . . NES . . ABAE . . . .
. . . PIUM . . . MAM . AD . . . . . . *Arme*NIAM . *mai*OREM . INTER
FECTO . REGE . EIUS . ARTAX*ia* . . M . POSSE . . . . MA . . . .
NOSTRORUM . EXEMPLO . REGI . . M . ID . . . . *in potestа-*
TEM . TIGRANIS . REGIS . PER . *Ti. Ne*RO*nem diademate eius capiti imposito transtuli Ar-*
*me*NIAM . GENTEM . POSTEA . *Inquietam* . GENTEM . ET . REBELLANTEM . *Domitam* PER . CA
IUM . FILIUM . MEUM . REGI . ARI*obarzani gubernandam et frenan-*
DAM . TRADIDI . ET . POST . *Eius Mort*EM . FILIO . EIUS . ARTAVASDI . QUO*dam iure Ariobarza-*
NE . QUI . ERAT . EX . REGIO . GENERE . ARMENIORUM . ORIUNDUS . IN . ID . REG*num deducto*7 PRO
VINCIAS . OMNIS . QUAE . TRANS . HADRIANUM . MARE . VERGUNT . *et Ponticas Asia-*
NASQUE . IAM . EX . PARTE . MAGNA . REGIBUS . EAS . POSSIDENTIBUS . *concessi*7 *Siciliam et*

V. 11 — 13. Fort. . . . . A . GADIBUS . AD . OSTI
UM . ALBIS . FLUMINIS . *et ad Istrum flumen a regi*ONE . EA . QUAE . PROXIMA . EST . HA-
DRIANO . MARI . *ad obsequium redegi* . . . .

V. 32. 33. Fort. PROVINCIAS . OMNIS . QUAE . TRANS . HADRIANUM . MARE . VERGUNT . *et Ponticas Asia-*
NASQUE . IAM . EX . MAGNA . PARTE . REGIBUS . EAS . POSSIDENTIBUS . *et Siciliam et*

SARDINIAM . OCCUPATAS . BELLO . SERVILI . RECIPERAVI7
COLONIAS . IN . AFRICA . SICILIA . *Mace*DONIA . UTRAQUE . HISPANIA . *in Gallia Comata et*
GALLIA . NARBONENSI . PR*aeter praefi*DIA . MILITUM . DEDUXI7 ITALIA . AUT*em coloni-*
AS . QUAE . VIVO . ME . CELEBERRIMAE . ET . FREQUENTISSIMAE . FUERUNT . *iixxx*
DEDUCTAS . HABET7
SIGNA . MILITARIA . COMPLURA . *per noftros duc*ES . AMISSA . DEVICTIS *legionibus, recepi*
EX . HISPANIA . ET . GEN*tibus Delm*ATEIS7 PARTHOS . TRIUM . EXERCITUUM . ROMANO
RUM . SPOLIA . ET . SIGNA *reftituere* MIHI . SUPPLICESQUE . AMICITIAM . POPULI . ROMANI
PETERE . COEGI . EA . AUTEM . SIGNA . IN . PENETRALI . QUOD . EST . IN . TEMPLO . MARTIS . UL
TORIS . REPOSUI7
PANNONIORUM . GENTES . QUAS . ANTE . ME . PRINCIPEM . POPULI . ROMANI . EXERCITUS . NUN
QUAM . ADIT . DEVICTAS . PER . TI . CAESAREM . QUI . TUM . PRAEER*at exercitib*US
IMPERIO . POPULI . ROMANI . SUBIECI . PROTULIQUE . FINES . *imperii ad Iftri* FLUMINIS
ripam . . . QUOD . A . V . . . . . US . EXERCITUS . . EIS . . . . SPRO . . . . . . A . . . .
TUSQUE . . . . POS . . . . UCIUS . . . .
GENTES . I . . . .
AD . ME . EX . IND*ia* . . . .
APUD . QU . . . . Q . . . . M . NOSTRAM . . . .
PER . LEGA*tos* BASTARNARUM . . . N . . . . ET . SAR*mata*RUM . . . .
TANAIMQUE . ULTRA . REC . . . . . RUMO . . . REX . ET . HIBER . . . .
AD . ME . SUPPLICES . CONFUGE*runt* REGES . PARTHORUM . TIRIDA*tes* . . . . .

Tabula tertia a dextra.

REGIS . PHRATIS *(fic)* . . . . . . MEDORUM . . ARTA . . . .
. . RES . BRITANN . . . . DAMNO . BELLA . . . ET . TIM . . . ORUM
MAELO . MAR . OMANORUM . SUEBO . F . . . . *Rex* PARTHORUM
PHRATES *(fic)* ORODIS . FILIUS . FILIOS . SUOS . NEPO*tesque mifit* IN . ITALIAM . NON
BELLO . SUPERATUS . SED . AMICITIAM . NOSTRAM . PER . *haec* SUORUM . PIGNORA
PETENS . PLURIMAEQUE . ALIAE . GENTES . EXPE*rtae funt Romanam* FIDEM . ME . PRIN

V. 39. 40. Fort. SIGNA . MILITARIA . COMPLURA . *per noftros duc*ES . AMISSA . DEVICTIS . *iis provinciis recepi* EX . HISPANIA . ET . GENT*ibus Delm*ATEIS . . . .

CIPE . QUIBUS . ANTEA . CUM . POPULO . ROMANO . *nullum omnino fuit* lEGATIONUM
ET . AMICITIAE . COMMERCIUM?
A . ME . GENTES . PARTHORUM . ET . MEDORUM *petierunt per* PRINCIPES . EARUM . GENTI
UM . REGESQUE . PER . EOS . ACCEPERUNT .. PArthi *Vononem regis Phra*TIS . FILIUM
REGIS . ORODIS . NEPOTEM . MEDI . *Artabanum* . . REGIS . ARTAVASDIS . FI
LIUM . REGIS . ARIOBARZANIS . NEP*otem* . . . .
IN . CONSULATU . SEXTO . ET . SEPTIMO . *postquam bella civili*A . EXTINXERAM
PER . CONSENSUM . UNIVERSORUM . *Romanorum civ*IUM . REMPUBLICAM
EX . MEA . POTESTATE . IN . SENATU*s et populi Romani a*RBITRIUM . TRANSTULI
QUO . PRO . MERITO . MEO . SENA*tus me appel*L*avit August*TUM . ET . LAUREIS
POSTES . AEDIUM . MEARUM . V*inxit* . . . . IVI . CASU . . R . . . . . .
IANUAM . MEAM . ET . QUA . . ST . . . . . R . IN . ULIA . POSI . . . .
. . US . QUEM . . . . . SC . . R . . . . M . ET . . . . VIRTUTIS . CLE
. . . . EST . P . . . US . CLUPEI . . . . . .
. . . . POST . . D . . . .
. . . . ILO . AMPLIO . . . .
. . . . CONI EO . . . .
*te*RTIUM . DE*ci*MUM . CONSULATUS . . . . *Senatus et eque*STER . ORDO
POPULUS*que* ROMANUS . UNIVERSUS . . . . *memo*RIAE . IDQUE
IN . VESTIBU*lo a*EDIUM . MEARUM *i*NSCRIBEN*dum* . . . . *et* IN . FORO . AUG
. . *sub* QUADR*igas* QUAE . MIHI *ex* S . C . POS*itae sunt.* *Scrip*SI . HAEC . *cum*
*an*NUM . AGE*re*M . SEPTUAGENS*imum sextum.*

SUMMA . PECUNIAE . QUAM . DEDI*t* . . . .
. . SIS . MILITIBUS . NECESSARIUM . . . .
OPERA . FECIT . NOVA . AEDEM . MA*tris Magnae* . . . .
DIVI . IULI . QUIRINI . MINERVA*e* . . . .
LARUM . DEUM . PENATIUM . IUV*entatis* . . . .
AD . CIRCUM . CURIAM . CUM . *Chalcidico* . . . .
IULIAM . *the*ATRUM . M . MARCELLI . . . . . . *Basilicam Cai et Luci*

V. 13. Fort. IN . CONSULATU . SEXTO . ET . SEPTIMO . *postquam bellorum civilium odi*A . EXTINXERAM

CAESARUM . . . .
REFECIT . CAPITO*lium* . . . *u*SQUE . A . . . . *theatr*UM . POM
PEI . AQU*am* . MA*rciam* . LA . . . .
IMPENSIS . R . . . . GLADIATORUM
. . . . . *ter*RAE . MOTU . INCENDIOQUE . CENSUM . . . .
. . . . USQUE . QUORUM . CENSUS . EXPLEVIT.

IS. CASAUBONI

IN

ANCYRANUM MARMOR

ANIMADVERSIONES.

Vivo Auguſto aras et templa fuiſſe in provinciis poſita, teſtantur et hiſtorici, et alia priſci aevi monumenta. Primus ipſe hoc in honorem patris ſui vel imperaverat, vel petentibus conceſſerat, ut eſt apud Dionem lib. 51. Quod poſtquam ſemel inſtitutum eſt, pleraeque provinciae exemplum ſecutae, pro magno beneficio poſtularunt ſibi ius dari arae ponendae, aut templi, in aliqua ſuarum urbium, ubi communi nomine populi totius provinciae, honoris eius cauſſa, et ſacra facerent et ludos ederent. Talis in Gallia Lugdunenſis ara, ad quam ſexaginta populos convenire ſolitos refert Strabo: talis in altera Galliae parte ara Narbonenſis, et in aliis provinciis aliae, tum Auguſto, tum Iulio Caeſari poſitae: tanto quidem ſtudio et adulatione, ut earum urbium incolae, quae huiusmodi templa apud ſe haberent, non alio magis nomine ſuperbirent, quam quod eſſent iſtorum νεοφύτων numinum aeditui: quemadmodum olim in Senatu Romano Lactorium eſſe locutum refert Sueton. Aug. c. 5. Sic interpretor veteres illos nummos, in quibus extat vox ΝΕΟΚΟΡΩΝ, cuiusmodi ſunt quum alii, tum iſti, ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ ΝΕΩΚΟΡ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΘΕΟΣ et ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Antiquarii, quorum diligentiae et indefeſſae plu-

rimum debemus, falſo exiſtimant, in huiusmodi nummis vocem *νεωκόρος* idem ſignificare ac *νεόκτιστος*: quae Graeci ſermonis imperitia pluribus arguenda non eſt. Sunt etiam nummi, in quibus adiecta particula *δὶς*, ut ΚΝΩΣΙΕΩΝ, ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, et ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Ea vocula putem (ſi ullus in re perobſcura coniecturae locus) geminum templum notari, alterum D. Iulio, alterum D. Auguſto ſacrum. Porro inter alias urbes, quae mature templum Auguſto exſtruxerunt, urbs Ancyra fuit. Nam ibi divinos honores Auguſto vivo fuiſſe exhibitos, teſtis ipſe in edicto, quod refert Ioſephus Origg. 16, 10. Verba edicti ſunt: Τό τε ψήφισμα τὸ δοθέν μοι ὑπ' αὐτῶν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς εὐσεβείας, ἧς ἔχω πρὸς πάντας ἀνθρώπους, καὶ ὑπὲρ Καΐου Μαρκίου Κηνσωρίνου, καὶ τοῦτο τὸ διάταγμα κελεύω ἀνατεθῆναι ἐν ἐπισημοτάτῳ τόπῳ γενηθέντι μοι (malim ἀνατεθέντι μοι) ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀγκύρῃ· ἐὰν δέ τις παραβῇ τι τῶν προειρημένων, δώσει δίκην οὐ μετρίαν. Ἐστηλογραφήθη ἐν τῷ Καίσαρος ναῷ. Vulgo legitur in Ioſephi codd. ἐν ἀργύρῃ: nullo ſenſu. Quare etiam Rufinus, Ioſephi vetus interpres, ea verba omiſit. Sed docuit nos in magno opere De emendat. temporum Ioſ. Scaliger, unicum litterarum decus, legendum eſſe Ἀγκύρῃ. Qua coniectura meo iudicio nihil certius. Etſi ſubit mirari, cur commune Aſiae ei potius civitati illum honorem habuerit, quam Epheſo, quae erat per illa tempora *πρόσχημα* et velut metropolis Aſiae. At Ancyra non Aſiae, ſed Galatiae tantum metropolis erat. Sed cauſſa fortaſſe fuit, quod Auguſtus peculiari cura et amore hanc urbem proſequeretur. Reperio enim etiam conditorem Ancyrae Auguſtum fuiſſe: cuius rei auctorem habeo Io. Tzetzem, qui id narrat Chiliade prima, capite de Mida. Olim non totius Galatiae, ſed partis tantum Tectoſagum metropolis ea urbs fuit: verum poſtquam tota Galatia per Au-

gustum in unam provinciam est redacta, totius Galatiae caput esse coepit; quod non ex Strabone discas, quem mirari satis non possum tam levem harum rerum fecisse mentionem, sed ex ista veteri inscriptione, quam Romae exstare testimonio doctorum Virorum discimus:

Λ. ΦΑΒΙΟΝ
ΚΕΙΛΩΝΑ
ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗϹ
ΥΠΑΤΟΝ. ΤΟ. Β.
Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ
ΤΗϹ. ΓΑΛΑΤΙΑϹ
ΑΝΚΥΡΑ
ΤΟΝ ΕΑΥΤΗϹ
ΠΡΟϹΤΑΤΗΝ.

Hinc est, quod legimus apud Suidam, *Ancyranos* dictos esse, qui olim appellabantur Ἑλληνογαλάται. Auctor Itinerarii antiquissimi a Petro Pithoeo editi, hanc urbem nunquam Ancyram simpliciter, sed semper cum adiectione Ancyram Galatiam aut Galatiae nominat. Similiter et Graeci Ἄγκυραν τῆς Γαλατίας, ut apud Epiphanium lib. 3. in Marcello Ancyrano: vel una voce Ἀγκυρογαλατίαν, ut apud Athanasium in epistola quadam patrum Sardicensium. Mortuo Augusto quin multa ambitiose decreta in eius honorem fuerint et Ancyrae et in aliis plerisque oppidis provinciarum, nemo dubitabit, qui eorum temporum adulationes noverit. Tunc temporis videntur Ancyrani et petiisse et impetrasse a Senatu facultatem transferendi in templum Augusti, quod in ipsorum urbe erat, hunc rerum gestarum eius indicem, quem manu Graecorum linguae Latinae prorsus imperitorum fuisse vel Romae descriptum, vel postea sculptum, res clamat ipsa: adeo multa sunt perperam et contra omnem Latinitatem expressa. Mul-

ta in hoc nobilissimo vetustatis monumento nuper erudite animadversa sunt ab eruditissimo clarissimoque Viro, Iusto Lipsio: conabimur et nos aliquam illi lucem ex historia adferre. Cas. Scaligeri correctionem apud Iosephum in dubium vocat Chishull. Antt. Asiat p. 166., legendum putans vel cum Sam. Petito ἐν ἀργυρῇ, *in argentea tabula*, vel sua de coniectura, ἐν Περγάμῳ.

Tit. *Impensarum quas in rempubl. populumque Romanum fecit*] Non parum gloriari solitus fuit hoc nomine Augustus, ut refert Dio non uno loco: et in testamento quoque suo fecerat idem harum impensarum mentionem. Breviter indicant illa apud Suetonium in compendio earum tabularum: *Quod paene omne cum duobus paternis patrimoniis ceterisque hereditatibus in rempubl. absumpsisset.*

Tab. I. V. 1. *Annos undeviginti natus*] Velleius Paterculus lib. 2. *C. Caesar XIX. annum ingressus, mira ausus, ac summa consecutus, privato consilio, maiorem Senatu pro republ. animum habuit.* Ubi vides adulationem hominis: ambitiose enim usus est voce *ingressus.* Melius Augustus, *natus:* nam anno, qui praecessit caedem Iulii, nono Kal. Octobr. ingressus annum XIX. erat, ac iam totum ferme confecerat, quando contra Antonium pro optimatibus bellum primum suscepit. Atque haec Octavii aetas in equestri statua fuerat notata, quam ei Senatus in rostris posuerat, teste eodem Velleio. Florus, qui Octavium, quando furori Antonii coepit resistere, ait fuisse *intra decem et octo annos tenerum,* ad calculum Octavii annos parum excegerat.

1. *Exercitum privato consilio et privata impensa comparavi*] Florus de Octavio: *revocatis ad arma veteranis, privatus, quis crederet? Consulem aggreditur.* Idem elogium ab historicis etiam Pompeio non

multo natu grandiori tribuitur. Velleius: *Cn. Pompeius XXIII annos natus, abhinc annos CXIII, privatis ut opibus, ita consiliis magna ausus, magnificeque conata exsecutus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriae, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis eius clientelis refertus erat, contraxit exercitum.*

4. *Ordinem suum*] Nihil putem mutandum in his verbis, sed sententiam aperte mutilam ita explendam. *Senatus decretis honorificis ordinem suum mihi communicavit,* vel *in ordinem suum me adscivit.* Decreta quae ait, nota sunt ex Cicerone et historicis. Dio inter alia istud fuisse ait, τὸ βουλεύειν Καίσαρα ἐν τοῖς τεταμιευκόσι: quo dicendae sententiae ius inter quaestorios Octavio tributum.

II, 1. *Patriciorum numerum auxi Consul quintum*] Postrema verba non carent difficultate, sive illa cum praecedentibus coniungas, sive cum sequentibus: saepius enim Augustus et patriciorum numerum auxit, et Senatum legit. Vide Dionem in secundo eius consulatu lib. 49. et lib. 52. sub finem, in actis anni DCCXXV, qui Coss. habuit Caesarem V. et Sex. Apuleium. De eo anno loquitur hic Augustus: nam eodem et Senatum ordinavit, et patricias gentes supplevit.

1. *Iussu populi et Senatus*] Dio lib. 49. ψηφισαμένης τῆς βουλῆς, et lib. 52. τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης. De populo altum silentium: Tacitus contra Ann. 2, 25. lege Saenia hoc negotium Augusto fuisse mandatum scribit. Vere igitur Augustus iussum se, ait, a populo et Senatu.

2. *In consulatu sexto censum populi collega M. Agrippa egi*] Huc refer notam Eusebii in Chronico ad numerum MDCCCCLXXXIX. *Censu Romae agitato inventa sunt civium Romanorum XLI centena, et LXIV millia.* Anno priore Consul quintum censuram

ſive regimen morum ſusceperat Auguſtus: ſed cenſus eo anno non eſt actus, quum maximam eius partem Roma afuerit.

3. *Luſtrum poſt annum alterum et quadrageſimum feci*] Tot anni ſunt a noviſſimis Cenſoribus Cn. Lentulo et L. Gellio, qui luſtrum condiderunt anno DCLXXXIV ad hoc luſtrum Auguſti anno DCCXXVI factum.

3. *Feci, legi*] *Facere luſtrum et condere luſtrum* Latina ſunt. *Luſtrum legere* quid ſit, neſcio. Ita tamen mox iterum ſculptum: meo iudicio latet mendum.

5. *Quum nuper luſtrum ſolus feci*] Si ita ſcripſit, *nuper* poſuit pro poſtea.

6. *Aſinio Coſ.*] Anno vigeſimo poſt luſtrum ſuperius U. C. DCCXLVI.

8. *In conſulatu ſi*] Haec verba nihil hic ſignificant: prorſusque erratum lapidicidae eſſe videntur.

8. *Cum nuperrime*] Anno uno et vigeſimo poſt proximum luſtrum U. C. DCCLXVII. Ex hoc loco apparet, paucis diebus ante ſuum ex Urbe noviſſimum diſceſſum, ſcriptum hoc ab Auguſto breviarium. Suetonius lib. 2. c. 97.

9. *Conlega Tiberio*] Suetonius lib. 3. c. 21.

11. *Mil . . . . . . iginta et ſeptem mil.*] Scr. *millia triginta et ſeptem millia.* Poſtrema vox vacat: non enim ſolet addi a Latine loquentibus. Tamen ferri poteſt, et fortaſſe ita paullo ante expleri debent lacunae poſt vocem *tria,* duobus locis. Ad hunc porro cenſum pertinent Euſebii verba in Chronico ad numerum MMXXVIII. *Auguſtus cum Tiberio filio ſuo cenſum Romae agitans invenit hominum nonageſies ter centena millia,* cuius loci immaniſſimum numerum ex hoc lapide corrigendum eſſe, recte obſervat Ioſ. Scaliger.

12. *Legi Pno . . . . exempla maiorum*] *Legi* ad ſuperiora referri non poteſt. Scribo, *lectus Pontifex max.*, Suetonius lib. 2. de Auguſto, Pontifice maximo: *Nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis abolita reſtituit, ut Salutis Augurium, Diale Flaminium, Sacrum Lupercale, Ludos ſeculares et compitalitios.* De eodem ſtudio Auguſti imitandi exempla maiorum. Vide c. 89. Horatius de eodem:

Et veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires, famaque et imperI
Porrecta maieſtas ad ortum
Solis ab Heſperio cubili.

13. *Ex nos*] Scribo *ex noſtra rep.*

13. *Multarum rerum exempla imitanda*] Sententia tale quid poſtulat, *multarum rerum imitanda propoſui*, aut ſic potius, *multa reſtitui, aliaque exempla imitanda propoſui.* Videtur enim duplicem laudem ſibi tribuere, quod fugientia maiorum inſtituta revocaverit, quodque multa ipſe egregia inſtituerit, quae futura ſint exempla poſteris ad imitandum propoſita.

III, 1. *Annum quintum et decimum*] Hoc fortaſſe verum de Lucio: nam Caium XIV natum annos creatum fuiſſe Conſulem, ex hiſtoria Dionis et veteri lapide, qui hoc diſerte continet, notum eſt. Quod igitur in altero verum erat, utrique *συλληπτικῶς* Auguſtus tribuit.

2. *Agentis*] Scribe *agentes filios.*

2. *Conſules deſignavit*] Suetonius c. 64. Sed vide hiſtoriam Dionis in anno DCCXLVIII lib. 55.

3. *Intereſſent conſiliis publicis*] Vide ſupra ad cap. 38.

4. *Principem . . . . haſtis argenteis donatum appellaverunt*] Mirum, ita Auguſtum loqui, quaſi

alter tantum filiorum eo honore fuerit affectus: nam certum eſt, ambos principes iuventutis eſſe appellatos. Etiam de haſtis argenteis disſentit Dio, qui aureas vult fuiſſe lib. 55.

7. *Libri Romani viritim*] Pro *liberis Romanis viritim*. Sed illud *liberis* emblema eſt adſcititium: nunquam enim Auguſtus ita locutus: verum, *civibus Romanis*, aut *tribubus Romanis*.

7. . . . *cenos numeravi ex teſtamento patris mei*] Lego: *Trecenos nummos* (vel *ſeſtertios*) *num.* Suetonius in Iulio Caeſare c. 83. *Populo hortos circa Tiberim publice et viritim trecenos ſeſtertios legavit.* Sed notamus ad haec verba Suetonii Dionem, qui ipſum Octavium laudat, in numero disſentire, et pro trecenis ponere *centenos vicenos*. Quare ita potius hoc quoque loco reſcribendum fortaſſe fuerit.

8. *Conſul quintum*] Poſt triumphum Actiacum. Vide Dionem lib. 51.

9. *In conſulatu decimo*] Reverſus ex bello Cantabrico. Dio lib. 53.

10. *Bis quadringenos congiarii viritim*] Dio, τῷ δήμῳ καθ' ἑκατὸν δραχμὰς δώσειν ὑπέσχετο, id eſt, *populo viritim quadringenos nummos daturum ſe promiſit.* Quare *bis* hoc loco, ſi ita ſcripſit Auguſtus, valet, *iterum*, πάλιν.

10. *Iterum aere merui et Conſul und.*] Asſentior Viris eruditis, qui corrigendum putant, *Iterum aere meo viritim Conſul undecimum.*

11. *Duodecim frumentationes*] Videtur dicere, toto illo anno ſe privatis ſumptibus aluiſſe turbam frumentantium: nam in anno duodecim frumentationes, id eſt, frumenti largitiones fiebant. Vide c. 40. De his gratuitis frumentationibus intelligit Suetonius c. 41.

12. *Emenſus ſum*] Suetonius dicto capite, *viritim admenſus eſt.*

12. *Tribunitia poteſtate duodecimum*] Is fuit annus U. C. DCCLI, quo rediit Auguſtus Romam ex itinere Gallico, triennio ante ſuscepto. Eodem anno ludi votivi pro reditu Auguſti a Tiberio Nerone Coſ. ſunt editi, et Auguſtus in locum Lepidi demortui Pont. Max. creatus, ludos pontificales, ut videtur, edidit. Hae fuere cauſſae liberalitatis hoc tempore collatae. Vide Dionem lib. 54.

13. *Quali mea congiaria frumenti . . . . . num*] Conclamatus per me locus: ad cuius lucem neque nos olim, neque alii poſt nos afferre quicquam potuimus, quod videatur vel mediocriter probandum. Omnino apparet, Ancyranos uſos eſſe in monumento hoc in ſaxum incidendo opera lapidicidae et negligentiſſimi et linguae Latinae ignariſſimi: quod in urbe Aſiae ita accidiſſe, ubi nulla admodum Latinae linguae notitia erat, mirari nemo debet; quum etiam Romae et in Italia ab id genus hominibus ſimilia perſaepe peccarentur. Haec ſunt, quae Cicero appellat *errata fabrilia* ad Atticum lib. 6. epiſt. 1.

14. *Frumenti . . . . . num*] Lego cum Lipſio *frumenti medimnum:* ſed haec verba importune nuc intruſa ſunt: nam oratio ita ſuerat continuanda: *Qualia mea congiaria nunquam minus quinquaginta et duc.*

15. *Duodecimum Conſul*] Hoc anno Caium filium Auguſtus die tirocinii in forum ſollemni cum pompa deduxit, quae fortaſſe occaſio fuit huius liberalitatis. Nam ita ſolitum fieri, ſequentium principum hiſtoriae docent. Sueton. c. 26.

15. *Trecentis et viginti millibus plebis urbanae*] Haec fuit frumentantium turba ante Iulii Caeſaris recenſum et ordinationem, qui ad centum quinquaginta mil-

lia eam redegit, ut narrat Suet. lib. 1. c. 41. Augustus, ut mox sequitur, et Dio testatur, τὸ σιτοδοτούμενον πλῆθος εἰς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε. Verum ad congiarium accipiendum quam ad frumentationem maior, uti videtur, numerus admittebatur. Fortasse tamen etiam frumentum accipientium ante Augusti constitutionem hic numerus fuit, estque hoc illud πλῆθος ἀόριστον, quod vocat Dio lib. 55.

16. *Sexagenos sexagenos denarios viritim dedit*] Tolle alterum *sexagenos*, vel fac *sexagenos senos*, aut *septenos*. Sic Claudius congiarium dedit τοῖς σιτοδοτουμένοις denarios septuagenos quinos. Dio lib. 58.

17. *Et quivis militum meorum Consul quinctum*] Intelligit donativum, quod dedit post illos tres triumphos, quos egit anno U. C. DCCXXV. Vox *quivis* sine dubio corrupta ex numero militum, qui congiarium acceperunt: qui quum expressus non sit ab historicis, imo tantum arbitrario constitui huius loci lectio potest. Lego autem: *Et quinquag. mill. militum meorum.*

19. *In colonias hominum circiter centum et viginti millia*] Deest verbum. Scribo *millia misi.* Vide supra c. 46. Non solum autem numerum deductarum coloniarum annotabant: sed etiam civium, qui id beneficium acceperant. Sic in Iulio Suetonius: *Octoginta civium millibus in colonias distributis.*

19. *Consul tertium decimum*] Eo anno Lucium filium in forum deduxit, ut biennio ante Caium, sicut modo diximus.

22. *In consulatu meo quarto*] Videtur referendum ad historiam, quam refert Suetonius c. 17., quum Augustus Brundusium venire coactus est, et desideria militum tumultuantium ordinare.

23. *Marco et Cneo Lentulo*] Male sculptum pro *M. Crasso et Cn.* Non enim ita scripserat Augustus, ut est

expreſſum. Horum conſulatus incidit in annum DCCXL. Vide Dionem lib. 54. In cuius verbis obſcuram harum impenſarum Auguſti mentionem reperio: Ὁ Αὔγουστος, inquit, πολλὰ μὲν ἀναλώσας ὡς ἑκάστοις, πολλὰ δὲ καὶ παρ' ἑτέρων λαβὼν ἀνεκομίσθη.

24. *Circiter ſexgenſim.*] Scrib. *circiter ſexagiens IM*, hoc eſt, ſexagies et ſemel centum millibus. *Sexagiens* pro ſexagies, ea conſuetudine ſcribendi, qua *totiens*, *quotiens*. Quia tamen hic numerus videtur infra modum pecuniae expenſae in emptionem agrorum, fortaſſe ſcribendum *ſexcenties*, aut *ſeptingenties I.*

24. *Itineris emit*] Nihil hic video, quod ad verborum reſtitutionem: ſententiam quidem ſatis certo asſequi mihi videor. Commemorat enim agros a ſe militibus ſuis emptos, partim de municipiis, partim de ipſo pop. Rom., qui, ut videtur, agros publicos nondum diviſos aliquos habuit. Hos Auguſtus veteranis et legionariis ſuis diviſit, et pretium illorum Praetoribus, qui aerarium adminiſtrabant, numeravit. Hoc, ni fallor, Auguſtus voluit: ſed videntur omiſſa quaedam verba. *Emi* ſaltem legendum, non *emit*.

25. *Romanis . . . . erae*] Aliorum deſcriptio habet *prae*, quod firmat emendationem Lipſii *Praetoribus*. Sed an ita locutus Auguſtus *Romanis Praetoribus?* non videtur. Potius *Romae* ſcripſiſſe eum putem.

26. *Qui deduxerunt colonias militum*] Ut Sulla, Iulius Caeſar, et Triumviri. Coloniarum militarium meminit Velleius lib. priore.

34. *Quater . . . . . avi aerarium*] Lego, *Quater levavi aerarium*, aut *ſuſtentavi*. Vult dicere, quod Dio in actis anni DCCXXVI initio lib. 53. Ἐπειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ. *Levare aerarium*, pro inopiam aerarii levare, breviter et eleganter dictum.

34. *Sestertium millia . . . . . . quingenta*] Scripserant fortasse *millies et quingenties*.

I, 1. *Curiam et continens et Chalcidicum*] Dio in quinto Augusti consulatu, lib. 51. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα διετέλεσε, τότε Ἀθήναιον, καὶ τὸ Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον καθιέρωσε. Hoc aedificium postea Domitianus refecit, ut est auctor Eusebius in Chronico, ad numerum MMCV., ubi de Chalcidico plura beatae memoriae Vir, Ios. Scaliger, ὁ πάνσοφος.

2. *Cum porticibus*] Ex isto loco scribimus apud Suetonium, c. 29., quod fugit nos monere, *Addit porticus, cum bibliotheca Latina Graecaque*. Sic cod. Memmianus, Viterb. et Grosslotii, non, ut vulgo, *Addita porticus*.

2. *Porticum ad Circum Flaminium, quem sum app. p.*] Leve mendum falsi notam Augusto inurit. Lege *quam*, et de porticu Cn. Octavii accipe, quam refecisse ait, et sivisse appellari veteri nomine. Ea fuit regione Urbis nona ad Circum Flaminium, ut hic Augustus narrat, et confirmat P. Victoris descriptio. Scribo deinde *Octaviam*, non *Octaviani*. Pulvinar Octaviani nusquam legi: nec puto sic accipiendum.

5. *Aedes in Capitolio Iovis Feretrii et Iovis Tonantis*] Hanc fecit primus: Suetonius, Dio. Illam vetustate dilapsam refecit. Livius lib. 4.

5. *Aedem Quirinis*] Barbare, pro *Quirini*. Dio in actis anni DCCXXXIX: Τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν καθιέρωσεν ἐκ καινῆς οἰκοδομήσας.

7. *Aedem deûm Penatium in Velia*] Hanc quoque refecit, non fecit. Dionysius Halicarn. lib. 1. loquens de Penatibus: Νεὼς ἐν Ῥώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς οὐ πρόσω, κατὰ τὴν ἐπὶ Καρίνας φέρουσαν ἐπίτομον ὁδὸν ἱδρυμένος, ὑπεροχῇ σκοτεινὸς, οὐ μέγας. Λέγεται δὲ κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν Οὐέλιαι τὸ χωρίον. Ita scribi debet hic locus: nam olim falsus sum, quum ex

vulgata lectione corrupta ὑπελαίας, emendabam Ὑποπαλαίαις. Nihil quidem inepti continet ea coniectura, ut illa fatua quorundam et vefana hariolatio, quam refutabamus: vera tamen non eft. Varro de Vita populi Rom. lib. I. *Tullium Hoftilium in Veliis, ubi nunc eft aedes deûm Penatum.* Meminit etiam Feftus, in voce *Mutium.*

9. *Sertorium et P.*] Lego *diribitorium.* Quod mirandum aedificium ab Agrippa inchoatum, perfecit poft illius obitum Auguftus, et publicavit, fine ulla nominis fui infcriptione. Lege Dionem in anno DCCLVII lib. 55. Hoc nifi eft, putem intelligi aliquam ex adftructis aedibus Pompeiano theatro, de quibus fecimus mentionem ad c. 51. Ea aedificia faepe incenfa, faepe reftituta. Velleius de Tiberio: *Quam magnifico animi temperamento, Cn. quoque Pompeii munera abfumpta igni reftituit!*

11. *Duplicavi, fonte novo in rivum eius immiffo*] Iulius Frontinus de Aquaeductibus Urbis Romae: *Auguftus in fupplementum Martiae quoties ficcitates agerent, auxilio aliam aquam eiusdem bonitatis opere fubterraneo perduxit usque ad Martiae rivum, quae ab inventore appellatur Augufta.*

23. *Quod fuo nomine*] Quo refertur iftud *quod?* Manifeftiffime deeft in fine fuperioris verfus aliquid. Lego totam fententiam hoc modo: *Theatrum quoque fub nomine M. Marcelli generi ex manubiis.* Suetonius: *Quaedam opera fub nomine alieno fecit, ut theatrum Marcelli.* Repete ex proximo, *feci.* Nam ut alii defcribunt nobis hoc marmor, minimum intervallum relictum eft vacuum ante vocem *manibus.* Quod eo libentius amplector, quia neceffario poft hanc dictionem apponenda alia eft: aperte enim fequentia manca funt et claudicant.

24. *In Capitolio*] Scrib. *dona in Capitolio.*

25. *Quae mihi conſtiterunt circiter millenis auri coronarl pondo, triginta quinque millium*] Donaria Auguſti partim ex auro conflata erant, partim margaritis gemmisque maximae indicaturae ornata. Utrumque hic ab eo fuerat expreſſum: et auri, inquam, pondus, quod in ἀναθήματα impendiſſet, et pecunia, qua conſtarent, tum manupretium, tum ornamenta alia. Auri ait fuiſſe circiter mille pondo: reliquam impenſam triginta quinque millium: haec vero ſumma depravatiſſime et ineptiſſime notata eſt. Taceo, quod Latinitas eam lectionem non patitur. Omnino ſcripſerat Auguſtus, XXXV HS., quod eſt, *tricies quinquies* HS., faber ſculptor, vel is potius, qui Romae deſcripſit, et in numerorum interpretatione peccavit inſulſe, et in nota HS., quam putavit millenarii numeri eſſé indicem. Stabilimus hanc noſtram et emendationem et interpretationem auctoritate Suetoniani loci, qui iſti plane geminus eſt, c. 30. *Aedes ſacras opulentiſſimis donis adornavit: utpote qui in cellam Capitolini Jovis ſedecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quingenties HS. una donatione contulerit.*

28. *Quotiescunquè Imperatorem . . . . auri coronarium non accepi*] Lego, *quotiescunque Imperator ſum appellatus, aurum coronarium non accepi.* Moris veteris fuit, ut quotiescunque duces exercituum re feliciter geſta Imperatores ſalutarentur a ſuis, provinciae et ſociae civitates ac reges dono darent illis coronas aureas, vel auri tot pondo: quod appellatum eſt *aurum coronarium.* Sub Impp. retenta eſt haec conſuetudo: nam illi toties ſalutabantur Imperatores, quoties ipſorum auſpiciis hoſtis inſigni clade afficiebatur: vide quae notamus ad lib. 1. c. 76. et ſalutato aurum coronarium ex ritu offerebatur, non ſolum a provincialibus, ſed etiam ab Italiae coloniis et municipiis:

a quibus se non accepisse gloriatur Augustus. Dio in quinto consulatu Augusti lib. 51. Παρὰ τῶν πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον οὐκ ἐδέξατο. Simile est, quod narrat Spartianus de Hadriano, *Aurum coronarium Italiae remisit, in provinciis minuit.* Idem esse factum aliquando et a Iuliano, testis Ammianus Marcellinus.

58. *Tempus defunctarum Africanarum*] Non solum corrupta sunt ista, sed etiam mutila et perturbata. Sententia tamen non obscura: narrat enim magnificentiam suam in venationibus exhibendis. Qua de re libro singulari plura, ubi hunc locum tractamus. Fortasse autem scripserat Octavius: *Spectacula amplius mille ducentarum Africanarum*, ut in unam summam contrahatur numerus Africanarum, ad populi voluptatem exhibitarum. Quem quidem numerum, vereor, ne iusto minorem longe faciam, quum certum sit, unis aliquando ludis sexcentas Africanas Augustum exhibuisse: ut in commissione ludorum, quibus Marcelli theatrum dedicabat. Dio lib. 54. Κἂν τῇ πανηγύρει τῇ διὰ τοῦτο γενομένῃ καὶ θηρία Λιβυκὰ ἑξακόσια ἀπεσφάγη.

49. *In templis*] Pridem quo ista pertinerent, indicavimus ad lib. 13. Strabonis. Notat diligentissimus ille scriptor de quibusdam signis furto Antonii sublatis, ab Augusto restitutis. Plinius quoque lib. 34. c. 8. *Fecit Myro et Apollinem, quem a Triumviro Antonio sublatum restituit Ephesiis divus Augustus, admonitus in quiete.* Exemplum huius aequitatis a P. Scipione, quem Siculis ablata signa et Romam illata, restituisse Plutarchus scribit in Apophthegmatis. Εὑρὼν, ait, τὴν πόλιν ἀνδριάντων Ἑλληνικῶν καὶ ἀναθημάτων ἀπὸ Σικελίας μεστὴν οὖσαν, ἐκήρυξε τοὺς ἀπὸ τῶν πόλεων παρόντας ἐπιγινώσκειν καὶ κομίζεσθαι.

51. *Statuae*] Adi c. 52.; de iis enim statuis intelligit Augustus, de quibus ibi Tranquillus.

II, 1. *Mare pacavi a praedonibus*] Vide ad illa c. 98. *per illum se vivere: per illum navigare.*

54. *Regis Parthorum*] Pertinet ad missos obsides, et reddita signa a Parthis, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant. Nota historia: supra c. 21.

III, 9. *A me gentes P . . thorum et Medorum*] *Parthorum et Med.* Loquebatur de Parthis et Medis, qui regem ab ipso petierunt. Strabo, Tacitus, Suetonius, Dio, alii.

* * *

Ne huic editioni aliquid deesset eorum, quae in *Casauboni* Suetonio reperirentur, etiam has in vetus Marmor animadversiones summi Viri repetere placuit. Verum scriptae sunt eae ad tam vitiosum apographum lapidis, ut interdum difficile sit indagare verba in nostro exemplari, quae istis scripturae portentis respondeant. Nostrum enim exemplar diligenter expressum est ex eo, quod a *Tourneforto*, clarissimo peregrinatore Orientis, a. 1701 acceptum, edidit et illustravit *Edmundus Chishull* inter *Antiquitates Asiaticas, Christianam aeram antecedentes*, Lond. 1728. fol., quum plures post Casaubonum, imprimis *Iac. Gronovius*, in eo emendando supplendoque doctrinam et coniectandi artem varia fortuna experti essent. Dedimus autem operam, ut ex prolixo commentario Chishulli quam brevissime excerperemus omnia, quae ad rem pertinerent et studiosis utilia essent cognitu. Illius enim diligentiae nihil admodum adiici licet.

Tit. *Rerum gestarum — subiectum*] Titulus manum fatetur descriptoris nescio cuius, sed haud dubie antiquam, ut et ultimi 15 versus. *Res gestae Augusti* in Marmore inde ab a. U. 710 a. Chr. 44 deducuntur usque ad extremam vitam, ut numerus annorum com-

pleatur fere 57. Ceterum ex PILIS in hac inſcriptione Lipſius ad Tac. Ann. 1, 11. non infeliciter coniecit apud Suet. Aug. c. 101. *in aeneis pilis*, pro *tabulis*.

I, 1. *Annos XIX natus*] Siquidem natus eſt Aug. a. U. 691. Ita eo anno, quo exercitum comparabat, a. 710, complevit menſe Octobri annum aetatis 19. egebatque 20. Conf. Tac. Ann. 13, 6. Liv. epit. 119.

3. *Senatus decretis*] Praecipue eo, quod in Ciceronis ſententiam factum eſt, de quo hic ipſe Cr. Phil. 3., ubi vide extrema. Conf. Dio Caſſ. 46, 29.

4. *Adlectus a Conſulibus*] Vide auctt. laudatos ad Velleium 2, 61. in edit. Krauſii.

6. *Me ſuffectum Conſulem*] Suffectum ſcil. Panſae loco, a. 711. a. d. 14 Kal. Sept. (menſe tum quidem Sextili.) Mox m. Novemb. cum Lepido et Antonio in primum quinquennium Triumvir factus, teſte lapide Colot. ap. Grut. 289, 1.

8. *In exilium*] Vellei. 2, 69. ibique not. p. 338.

9. *Bellum inferentis*] Interfectores Caeſaris. Vide Suet. Aug. c. 10. pr. et Intpp. ad Coelii epiſt. in Cic. ad Famil. 8, 8.

17. *Longas — ſescentas*] Ex omnibus proeliis navalibus: ex uno Actiaco 300, ipſo auctore ap. Plut. Anton. p. 947. E.

19. *Bis ovans*] Suet. c. 22.

19. *Viciens et ſemel*] Tac. Ann. 1, 9.

21. *Delmatis et Illuriis*] In faſtis Pighii hic primus triumphus inſcriptus eſt de *Iapydibus*. Vide Appian. Illyr. c. 16. ſſ.

25. *In deorum*] Suppl. *templis* una cum nota numeri, quam tamen nemo divinare poteſt.

II, 1. *Patritiorum* etc.] Sic diſtingue: *Patritiorum numerum auxi Conſul V. iuſſu populi et Senatus. Senatum ter legi. Et in conſulatu VI. cenſum populi, conlega M. Agrippa, egi.* De novis patritiis

allectis a. 725 v. Tac. Ann. 11, 25. De lecto Senatu aa. 725. 735. 741. v. etiam Suet. c. 35. et de acto censu eundem c. 27. f. cum Dione 53, 1. et Euseb. Chron. n. MDCCCCLXXXIX.

3. *Post annum XLI*] Inde ab a. 684., ubi novissimi Censores erant Cn. Lentulus et L. Gellius. Conf. Lips. Elect. 1, 27.

4. *Centum millia et — millia*] Rarior est haec cura repetendi numeri maioris, ob quam a Chishullo laudatur Moses Num. 2, 9. cum aliis locis Hebraicis.

6. *Censorino et Asinio Cos.*] Sic et alibi in lapidibus scriptum pro *Coss.* De re conf. Massoni Ianum refer. p. 281. Ad eundem a. 746 pertinet SC., quo mensis Sextilis accepit nomen Augusti, ex Macrob. Sat. 1, 12. huc positum a Chishullo.

12. *Legibus novis*] Suet. c. 32. et 89. Tac. 3, 28. et 4, 16.

16. *Quattuor amplissima collegia*] Pontificum, Augurum, VIIvirorum, XVvirorum S. F. Conf. Dio 53, 1.

18. *Apud omnia pulvinaria*] Loquitur de supplicatione a. 731. Augusto XI. Consule.

23. *Aliquod post annos*] *Aliquod* pro *aliquot*, uti posthac *adque* pro *atque*; contra alibi *set*, *haut* etc. Hi *aliquot anni* sunt fere ab a. 718 — 741. Illo anno Lepidum, quem h. l. significat, sacerdotio et potestate exuit.

37. *Pro reditu meo*] Bis in tali occasione honores decreti sunt Augusto a. 729 et 740.

43. *Ter claudendum*] Vide ad Suet. c. 22.

44. *Quos sinistra sors mihi eripuit*] Conf. Suet. Tib. c. 23. Ad illos ornandos pertinent decreta Pisanorum, quae adhuc exstant, vulgo dicta *Cenotaphia Pisana.* Ceterum continuanda sunt legendo verba: *Caesares honoris mei causa* etc.

III, 7. *Plebei Romanae viritim*] Conf. Suet. Iul. c. 83. fin.

8. *Manibiis*] Ex Verrii etymo, *manibus.* Sed et aliis in vocibus *I* olim ponebatur pro *U*, ut *contibernalis*. Alia veteris seu rudioris scripturae exempla in hoc Marmore haec sunt: *consacrare*, pro *consecrare*; *incohare* pro *inchoare*; *sescenta* pro *sexcenta* etc.

10. *Iis — pernumeravi*] Int. *plebi Romanae.* Ut paullo post, *plebi quae acceperunt.*

12. *Tribunitia potestate duodecimum*] A. 742. Conf. Ioseph. Antiqq. 16, 4.

12. *Quadringenos nummos*] Suet. c. 41. Obiter notabis, hic saepe scribi *nummum*, non *numum*, ut hodie solent plerique doctorum.

18. *Triumphale congiarium*] *Congiarium* h. l. de eo, quod tribuitur militibus.

24. *Sexsiens milliens*] Ex vestigio lacunae legendum potius videtur *sexsagesiens milliens*; etsi enormis summa est.

25. *Pro praediis*] Sic bene Chishull. v. Dio, 51, 4. Gronovius dederat *praediatoribus*; male Lips. *Praetoribus*.

27. *Colonias militum*] Conf. ad Suet. c. 46.

28. *Ti. Neroni et Cn. Pisoni*] Ablativi, pro *Nerone*, *Pisone*. Sic in lapidibus *Labeoni* etc.

36. *Ex consilio*] Sive *Senatus*, s. *Maecenatis*, s. *Liviae*. Incertum, quid ex his supplendum sit.

38. *Tib. Caesaris nomine et meo*] Conf. Dio 55, 24. seq.

I, 1. *Continens ei chalcidicum*] H. e. chalcidicum curiae Iuliae coniunctum, συνεχὲς αὐτῇ. Chalcidicum h. l. Chish. aedificium putabat esse Minervae sacrum ob verba Dionis 51, 22., ubi v. Reimar. De ceteris Sueton. c. 29.

7. *Aedem Larum*] Intell. publicorum. Aedes haec ex collationibus facta ab Aug. Tribun. pot. XIX. a. 750. teste marmore ap. Grut. 106, 4.

10. *Rivos aquarum*] Eodem anno: v. Grut. 177, 1.

18. *Refeci*] H. e. reparavi, ne conciderent. Quamquam boni ſcriptores *reficere* etiam de aedibus collapſis ponunt aut incendio deletis, ut Suet. c. 30. De re Ovid. Faſt. 2, 59.

29. *Aurum coronarium*] Conf. Dio 51, 21. *Coronarium* pro *gratuito*, vox honeſta inde orta, quod olim apud Graecos publice privatimque coronae magni pretii dabantur honoris ergo: ita iam *aurum* non videbatur eſſe pro *mercede*.

35. *Quater — ter et vigiens*] Vide ad Sueton. c. 43.

38. *Quintos ludos ſaeculares*] A. 737, de quibus ſunt ſcripta multorum, etiam recentia Gattereri et Beckii. Sed paullo probabilius in notis ſupplet Chish. *Ludos ſaeculares intermiſſos ante id tempus, deinde poſt CX annum, ut edicto monui, repetendos.*

43. *Navalis proelI ſpectaculum*] A. 752. v. Suet. c. 43. Nemus Caeſarum (Caii et Lucii) idem eſt, quod Suet. Tib. c. 72. vocat *hortos naumachiae*.

49. *Ornamenta repoſui*] Confirmat hoc Strabo 13. p. 595 (890) et 14. p. 637 (944).

50. *Is cum quo bellum geſſeram*] Antonius. Nam nullo loco modeſtus vir nominat duces a ſe debellatos.

53. *Exque ea pecunia*] Suet. c. 52.

II, 1. *Mare pacavi a praedonibus*] Conf. Vellei. 2, 73. Int. de bello Siculo, contra Sex. Pompeium geſto, quod tamquam piratici nomine infamatur, infra *ſervilis*. Ceterum ſemel notandum eſt, eo ſigno, quod *praedonibus* adſcriptum eſt, terminari et quaſi coerceri interdum periodos, ſed admodum inconſtanter.

3. *Iuravit in mea verba tota Italia*] Conf. Suet. c. 17. de Bononienſibus.

9. *Omnium provinciarum*] Conf. Eutrop. 7, 5.

14. *Claſſis Romana*] Memorabilis curſus navigationis, de quo praeter Velleium 2, 106. videndus Plin. 2, 67.

17. *Amicitiam meam petierunt*] Vide Strab. 7. p. 293 (449). *Chariides* ſunt iidem, qui *Harudes* ſcribuntur Caeſ. B. G. 1, 7.

19. *In Aethiopiam et in Arabiam*] Illuc per Petronium, huc per Aelium Gallum, amicum Strabonis, quem vide 16. p. 780 (1126) et 17. p. 820 (1175).

24. *Interfecto rege eius Artaxia*] Haec concinnata ſunt ex loco Tac. Ann. 2, 3. *Armenia inter Parthorum* etc. Conf. Suet. Tib. c. 9. Vellei. 2, 122.

33. *Ex parte magna*] Huc pertinent verba ap. Suet. c. 48. *praeter pauca.* De regnis ab Auguſto redditis ſingulatim egit Noriſ. ad Cenot. Piſ. p. 224 ſeqq.

38. *Deductas*] De numero v. Ern. ad Sueton. c. 46.

39. *Devictis legionibus*] Scil. quarum ſigna amiſſa erant, ut ex Velleio 2, 90. patet. Res clara eſt; at verba, ut ſaepe alibi, valde incerta.

40. *Trium exercituum*] Vid. Suet. c. 21. et Vell. 2, 91. impr. 82.

42. *In templo Martis Ultoris*] A. 734. Aliud templum Martis, ſupra IV, 21 memoratum, dedicavit Auguſtus a. 752. Hoc poſterius fuit in foro Auguſto, illud in Capitolio. v. Ovid. Faſt. 5, 551 ſqq.

44. *Pannoniorum gentes — ſubieci*] Vide Velleium 2, 96. Pertinet huc nobilis achates Muſei Vindob., qui laetitiam Urbis ob devictas a Tiberio gentes Pannonicas repraeſentat.

46. *Ad Iſtri fluminis ripam*] Conf. Tac. Ann. 1, 11. et Agric. c. 13. Strab. 6. et 17. extr.

47. *Exercitus* etc.] Deſperatae huic lacunae nuper operam criticam adhibuit V. C. Sainte-Croix, inſcriptione Graeca per Pocockium edita uſus, in libro Gallico: Magaz. encyclop. IV, 4. p. 91.

50. *Ex India*] A. 729 et 734. Conf. Suet. c. 21. Dio 54, 9., ubi v. Reim.; ad quem locum etiam pertinere videntur legationes Baſtarnarum, Sarmatarum, Colchorum, Hiberorum.

54. *Tiridates*] Notus ex Horatio et Iuſtin. 42, 5., ex quo Chish. lacunam ſic explet: *Tiridates obſidem ferens regis Phrátis ſilium.*

III, 1. *Arta*] Fortaſſe, *Artabanus*. Cetera exciderunt regum externorum nomina, in his regis alicuius Britannorum.

4. *Filios ſuos nepotesque*] Plane conſentit Strab. 6. p. 288 (441). Idem filios Phraatis quatuor nominat, ſed corrupte, 16. p. 748 (1085) qui ſunt *Saraspadanes, Rhodaſpes, Phraates, Vonones.*

9. *Parthorum et Medorum*] De Medis tacent ceteri; de Parthis v. Tac. Ann. 2, 1.

13. *In conſulatu VI. et VII.*] Conf. Dio 53, 2. ſqq. et de provinciarum partitione Strabo XVII. ſ. fin.


16. *Me appellavit Auguſtum*] Suet. c. 7. et Cenſorin. c. 21. qui annum ponit 727.

24. *Tertium decimum*] Conf. Tac. Ann. 1, 9. Locus ſic fere reſarciendus: [*Susceptum a me*] *tertium decimum conſulatus* [*magiſtratum*]. *Senatus et equeſter ordo populusque Rom. univerſus* [*prodiderunt*] *memoriae; idque in veſtibulo aedium mearum inſcribendum* [*iuſſerunt*] *et in foro Auguſto* [*ſub*] *quadrigas, quae mihi ex S. C. poſitae ſunt.*

28. *Septuageſimum ſextum*] A. 767. Coſſ. Sex. Pompeio et Sex. Appuleio, quos ipſe memoravit ſupra II, 9. eodemque anno obiit Aug.

29. *Summa pecuniae* etc.] Reliquiae hae ſunt ſupplementorum, quibus aliquis monumentum augere voluit, repetitis etiam iis, quae IV princ. legebantur. Ad ult. verſum de pecunia Equitibus data *Senatoribusque, quorum cenſus explevit,* conſ. Suet. c. 41.

STEMMA IULII CAESARIS.





STEMMA OCTAVII ET AUGUSTI.

C. Octavius ex

- Ancharia g.
  - Octaviam maior.
- Atia
  - Octaviam minor. nupſ.
    - C. Marcello unde
      - M. Marcellus Aug. gener. deſtinatus.
      - Marcella maior n.
        1. M. Agrippae
        2. M. Iulio Antonio
        3. Sext. Apuleio
      - Marcella mino n. M. Valerio Meſſalae unde
        - Valeria Meſſalina Claudii Imp uxor.
    - Pompeio M.
    - M. Antonio III. viro unde
      - Antonia mai. n. L. Domitio Aenobarbo
        - Cn. Domitius ex Agrippina Germ. f.
          - Neronem cuius ux
            - Poppaea Sabina
              - Claudia Aug.
            - Octavia Claudii
            - Statilia Meſſalina
      - Antonia min. n. Druſo Liviae f. v. *Stemma Liviae.*
  - Octavianum Aug. duxit Clodiam Scriboniam Liviam unde Iulia n.
    - M. Marcello.
    - M. Agrippae. unde
      - C. Caeſar.
      - L Caeſar.
      - Iulia. n. L. Aemilio Paullo unde
        - Aemilia Lepida n. Iunio Silano
          - M. Silanus
          - L Silanus
          - L Silanus
          - Iunia Calvina
          - Silanus Torquatus
          - Iulia Claudilla uxor Caligulae
          - Iunia Lepida
      - Agrippina min. n Germanico. v. *Stemma Liviae.*
      - Agrippa
    - Tiberio

STEMMA LIVIAE.




UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 29 04 06 018 7